ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

THEOLOGIA

UNIVERSA.



PARIS. — IMPRIMERIE PIERRE LAROUSSE
RUE NOTRE-DAME-DES-CHAMPS, 49.

THOMÆ EX CHARMES

ORD. CAPUCIN. SS. THEOL. PROFESS.

THEOLOGIA UNIVERSA

QUOAD PARTEM DOGMATICAM

ADAUCTA ANNOTATIONIBUS ET ADDITIONIBUS

NECNON TRACTATU DE DIVINA AC SUPERNATURALI REVELATIONE;

QUOAD PARTEM MORALEM

AD SENTENTIAS LIGORIANAS FUNDITUS REDUCTA

OPERA J.-A. ALBRAND

Superioris Seminarii Parisiensis Missionum ad Exteros

AD USUM SACRÆ THEOLOGIÆ CANDIDATORUM

SECUNDA EDITIO

A Romanis Censoribus approbata.

TOMUS QUINTUS

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
C382
Alma, California

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

1871

208.9
C342

THEOLOGIA

UNIVERSA.

TRACTATUS

DE

VARIORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS,

SEU PRÆCEPTIS PARTICULARIBUS.

Nota. Cum quilibet teneatur sub peccato mortali apprime ea quæ pertinent ad statum proprium dignoscere, ut ait D. August. [1], *unusquisque scire tenetur legem et statum quem profitetur*, operæ necessarium duximus, post præcepta omnibus communia de variis ac præcipuis humanæ vitæ statibus, peculiarem Tractatum instituere. Porro, quilibet homo considerari debet vel quatenus est membrum Ecclesiæ, vel quatenus est membrum Reipublicæ. Hinc duplicis sunt generis obligationes, aliæ scilicet quæ ligant hominem in societate religiosa christiana, aliæ quæ eumdem ligant in societate civili. Unde duplex dissertatio.

DISSERTATIO I.

De obligationibus in societate religiosa.

Nota. Cum obligatio afficiat ipsas hominum personas, tot sunt ejusdem genera distinguenda, quot in ipsa so-

[1] *De Fide et Oper.*, lib. 1.

cietate distinguuntur genera Christianorum. Jam vero in societate religiosa duo sunt genera Christianorum. Est enim unum genus mancipatum Divino officio et Deo specialiter consecratum, ut sunt *Clerici* a Deo vocati : Clericus enim græce, latine Sors dicitur ; et Deo *Devoti*, videlicet Conversi, seu *Religiosi* qui per votum Deo se manciparunt ; aliud vero genus est Christianorum, ut sunt *Laici*, a verbo græco, quod latine *Populus* dicitur [1].

De Christianis laicis nihil hic specialiter dicendum, nisi quod si velint ad societatis ipsius scopum pervenire, qui est salus æterna, tenentur :

1° Servare præcepta Dei, in Decalogo contenta, ut Christus declaravit [2] : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

2° Servare præcepta Ecclesiæ, et obedire præpositis ; nam Christus ait ad Ecclesiæ antistites [3] : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit ; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Et iterum [4] : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Unde ad rem D. August. [5] : *Nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem.*

Restat ergo ut dicamus : 1° De obligationibus Clericorum ; 2° De obligationibus Devotorum, seu Religiosorum, duplici quæstione.

QUÆSTIO I.

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM.

Nota 1. Clerici sunt ii qui aliquo ordine, vel prima saltem tonsura sunt initiati.

Nota 2. Inter Clericos, alii sunt sine beneficio ecclesiastico, alii beneficio Ecclesiastico donantur ; unde agendum

[1] Caus. 12. quæst. 1, cap. *Duo sunt genera.*—[2] Matth. 19.—[3] Luc. 10.—[4] Matth. 18.—[5] *De Symbol. ad Catechum.*, cap. 13.

est : 1° De obligationibus generalibus Clericorum, sive sint beneficio Ecclesiastico addicti, sive non; 2° De obligationibus Beneficiatorum, duplici capite.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS GENERALIBUS CLERICORUM.

Nota. Obligationes generales Clericorum in quibusdam ipsis præceptis et prohibitis, reperiuntur. Unde

ARTICULUS I.

DE HIS QUÆ SPECIALITER CLERICIS PRÆCIPIUNTUR.

QUÆRES : *Quænam specialiter Clericis præcipiantur?*

RESP. Tenentur de Horis Canonicis ; dicemus infra.

1. Non amplecti statum Clericalem, sacros Ordines, vel beneficium Ecclesiasticum suscipere, nisi per vocationem Dei, quam omnino necessariam declarat Scriptura, Hebr. 5 : *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*, etc. Porro vocatio, si consideratur ex parte Dei, definiri potest : *Ordinatio divina, qua quilibet nostrum disponitur in hoc mundo ad beneplacitum Dei cum auxiliis ad ejus voluntatem faciendam necessariis ;* si consideretur ex parte nostri, definiri potest : *Voluntas, inclinatio, gustus et habitus a Deo dati ex præordinatione sua, quibus ad talem potius quam ad alium vitæ statum impellimur.*

Signa autem vocationis sunt : 1° eadem voluntas, inclinatio, etc. ; 2° qualitates et aptitudo ad talis status munera peragenda ; 3° vocatio , seu appellatio externa Superiorum.

Alii autem dicunt vocationem consistere solum in Superiorum vocatione, qui nomine Dei quos aptos judicant

appellant. Hoc tamen ordinarie sufficere nequit; ideo communiter standum est signis præfatis.

Signa autem vocationis ad statum clericalem sunt: 1° Intentio pura et recta, ut subjectus liber ab omni vitioso affectu ad Clerum, Deo serviendi causa et salutis populi gratia, solum se conferat. 2° Scientia competens: *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus* [1]. 3° Vitæ puritas probata, et quidem ab annis plurimis. Nam excludendi sunt ab ordinatione, *qui non solum ætate neophyti sunt*, inquit D. Thom., *sed et qui ne phyti sunt perfectione*. Hinc S. Greg. [2] dicit: *Ne unquam ii qui ordinandi sunt pereant, prius aspiciatur si vita eorum continens ab annis plurimis fuit.*

Hinc graviter peccat tum qui motu proprio sese ad statum Clericalem ingerit; tum Episcopus qui confert Tonsuram et Ordines *illis in quibus divinæ ad statum Ecclesiasticum vocationis signa aliqua probabilia non deprehendit* [3]. Ob oculos habeat verba Concilii Lateran.: *Satius est, maxime in Ordinatione Sacerdotum, paucos bonos quam multos malos habere.*

2. Clerici tenentur sacros Ordines non suscipere, aut beneficium Ecclesiasticum non ambire, *principaliter* rerum temporalium appetitu; *quærere* enim *et appetere hujusmodi curata, principaliter propter honorem et divitias, videtur esse mortale*, ait D. Antonin. [4]; imo Concil. Bituric. *denuntiat omnibus cujuscumque gradus et conditionis, qui beneficia Ecclesiastica solius temporalis proventus gratia suscipiunt, eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri* [5].

Dixi *principaliter*: quia, posita principali intentione salutis propriæ vel alienæ, gloriæ Dei et Ecclesiæ utilitatis, non videtur illicitum beneficium Ecclesiasticum ad honestam sustentationem necessarium expetere, non attendendo

[1] Malach. 2, 7.—[2] Lib. II, Epist. 42.—[3] *Acta Ecclesiæ Mediolan.*, p. 3.
[4] Part. 3, cap. 5, § 4.—[5] Concil. Bitur., an. 1584, tit. *de Benefic.*, § 1.

an pingue sit vel exiguum; ratio est quia in hac secundaria intentione non apparet inordinatio et perversitas.

3. Tenentur sub mortali studio eam operam conferre, qua scientiam functionibus suis competentem comparare et conservare possint. Ex Gelas. Papa dicente : *Nemo illitteratos præsumat ad Clericatus Ordinem promovere, quia litteris carens non potest aptus esse officiis* [1]; et Concil. Toletanum VIII addit : *Aliter Ordinariis et Ordinandis imminet Dei et Ecclesiæ ejus vindicta* [2].

Resolves. In malo statu versantur, et absolutionis videntur incapaces Ecclesiastici, maxime animarum regimini dediti, qui nunquam vel perraro sacræ doctrinæ studio vacant : tum quia nullus absque præsumptione gloriari potest, scientiam ad tam arduum ministerium necessariam se perfecte jam comparasse; tum quia jam comparata scientia facile amittitur, si studium intermittatur.

4. Clerici in Sacris constituti et curam animarum habentes, tenentur ad perfectionis studium ; nam qui solemniter Deum susceperunt in specialem portionem sibi, ad præstantioris sanctitatis professionem et studium strictissime tenentur, juxta illud Levitic. 24 : *Sancti erunt Deo suo et non polluent nomen ejus;* atqui omnes Clerici solemniter Deum susceperunt in specialem portionem sibi : ergo. Hinc Apostolus ait : *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum*, etc. [3]. Idem dicit infra de Diaconis, et de aliis Clericis cum proportione dicendum docent Sancti Patres [4].

Resolves. Clerici qui orationi, lectioni spirituali aliisque pietatis exercitiis ad sanctitatem conducentibus, nunquam aut perraro vacare student, ob hanc solummodo voluntariam et habitualem negligentiam, in malo statu versantur, et absolutionis sacramentalis sunt incapaces, donec pœniteant et propositum mutent.

[1] Dist. 36, cap. 1. — [2] Cap. 8. — [3] Apost., I ad Timoth. 3, v. 2. — [4] S. Isidor., lib. IV, epist. 105; Petrus Bles., serm. 59.

5. Ratione sui status et promissionis solemniter in Ordinatione factæ, tenentur præstare obedientiam : 1° Episcopus Summo Pontifici ; 2° Presbyteri et omnes alii Episcopo, in iis quæ spectant ad honestatem vitæ et reformationem morum, ad divinum cultum, Officium, etc. [1]. Possunt tamen Parochi, et a fortiori omnes alii Cleri, aut Beneficiarii non curati, licite religionem ingredi, contradicente Episcopo ; nec potest Episcopus impedire suos Clericos ne religionem ingrediantur, ut probabimus infra, ubi de Religiosis [2] ; at multo magis non potest illos impedire ne vocationem apostolicam sequantur, cum jam non agatur de propria perfectione, sed de salute animarum periclitantium, de fide propaganda, de regno Dei stabiliendo inter infideles, ubi messis est quidem multa, operarii autem pauci. Imo, et ipsi Episcopi, ratione sui episcopatus, tenentur rogare Dominum messis ut mittat operarios in messem suam ; quo pacto igitur licite possent vocatos impedire ?

Præterea, quomodo credent Gentiles, nisi prædicabunt : quomodo autem prædicabunt, nisi mittantur ; undenam autem assumentur qui mittendi sunt, nisi ex eis diœcesibus Episcopis concreditis ? Ergo Episcopi licite non possunt retinere quos Deus assumpserit ex illorum diœcesibus ad opus suum peragendum.

Præterea, Summo Pontifici curam incumbit omnes gentes evangelizandi, docendi et ad fidem adducendi ; sed hoc non valet per seipsum immediate, sed per Missionarios quos in omni Ecclesia deligere potest, etiam contradicente Episcopo ; ergo cum Episcopus aliquem ad vitam apostolicam electum impedit, contra jus vadit Summi Pontificis.

Dices : Si omnes Clerici ad vitam apostolicam transierint, quis nostrates Christianos lucrifaciet, quis peccantes

[1] Cap. 7 *Quia fratr.*, q. 1, et ex *Pontific.*, *in Ord. Presbyt.*
[2] Conf. S. Ligor., lib. V, num. 74 et 75, et lib. VI, num. 828.

ad virtutes poterit exhortari? Respondet S. Hieronymus ad Vigilantium contra religionem amplectentem debacchantem: *Rara est virtus, nec a pluribus appetitur.* Dicam ego: rarissima est vocatio ad Apostolatum, nec tanti labores et pericula tanta a pluribus appetuntur. Aliunde, hæc est electorum syna quam Deus Episcopis reddet cum usura.

6. Teneantur sectari paupertatem spiritus, quæ in rerum omnium temporalium contemptu sita est, juxta Apostolum[1] præcipientem ne Episcopi, Diaconi cæteriquæ Ecclesiæ Ministri sint *cupidi*, et *turpe lucrum* sectentur.

7. Sacris initiati tenentur servare castitatem perpetuam ex Ecclesiæ ordinatione, quæ, ob reverentiam sacri ministerii, ipsam annexuit Ordini sacro, ita ut qui Sacris initiantur, hujusmodi votum emittere censeantur, etiamsi nihil voti meminerint, nec illud observare intenderint, nisi per metum gravem ordinati fuerint[2]: constat ex variis juribus[3].

Hinc si vir uxoratus, ex licentia uxoris expressa et omnino spontanea, sacros Ordines susceperit, tenetur ad perpetuam continentiam; uxor vero castitatem vovere debet in secundo, juxta communiorem sententiam, aut ingredi monasterium, si vir fiat Episcopus vel Religiosus, et uxor sit juvenis[4], ibi profitendo, vel non profitendo, juxta plures.

8. Clerici, præsertim sacro Ordini initiati, vel Beneficiati honestum habitum Clericalem illorum ordini ac dignitati congruentem sub gravi peccato deferre tenentur, nisi aliquando *justa causa*, v. gr. itinerationis, *excusentur*; ita statuit Concil. Trident.[5], sub gravissimis pœnis suspensionis *ab Ordinibus, ac Officio et beneficio, ac fructibus et redditibus ipsorum Beneficiorum*; atqui tantæ pœnæ non nisi propter grave peccatum imponuntur. Erit autem veniale tan-

[1] Epist. ad Tit., cap. 1, 7; et I ad Timoth. 3, 2.

[2] S. Ligor., lib. v, num. 144.

[3] Cap. *Quod votum, de Voto*, in 6; Concil. Lateran. II, c. 7; Concil. Trident., sess. 23, c. 13. — [4] S. Ligor., lib. VI, num. 917. — [5] Sess. 14, cap. 6 *de Reform.*

tum probabilissime, si ad breve tempus habitus relinquatur [1]. Ergo, etc.

Habitus vero Clericalis varius est pro variis regionibus. Attendendum est igitur tum ad consuetudinem, tum ad locorum statuta, cum ex eodem capite id pendeat ab Episcoporum ordinatione; vestis tamen Clericalis nigra esse debet et talaris [2].

Dixi *nisi causa excusentur*, quia permittitur iter agentibus habitus contractior, modo sit nigri coloris, et in quo decus et honestas clericalis eluceant. Potest autem derelinqui totaliter ex gravi causa, v. g., si immineat persecutio, vel si per locum hæreticorum aut infidelium est transeundum, aut ibi commorandum. Tunc illa vestis laicalis est eligenda, quæ pro sua forma et colore magis ad habitum Clericalem approximat, vel adhiberi potest vestis Religiosorum loci, si nullam superstitionem redoleat.

9. Clerici, præsertim Sacris initiati, aut Beneficiati, clericalem Tonsuram suo Ordini congruentem sub gravi peccato deferre tenentur, quod quidam probant ex Greg. IX [3]; *Si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit*; atqui *anathema* cum sit *æternæ mortis damnatio, non nisi pro mortali debet imponi crimine* [4]. Hic tamen agitur de coma, non vero de tonsura; unde non liquet illos excommunicationem incurrere, si tonsuram negexerint.

Hinc peccat mortaliter Clericus in Sacris constitutus, aut Beneficiatus, qui notabili tempore non gestat tonsuram, vel habitum Clericalem, cum sit res gravis pertinens ad decentiam status, et decus Ecclesiæ [5]. Clerici vero in minoribus constituti vel non Beneficiati, non nisi venialiter peccant, ut dicunt Salmanticenses contra plures qui eos ab omni obligatione solvunt.

1 S. Ligor., lib, v, num. 825.

2 In regionibus tamen calidissimis, quandoque permittitur vestis alba, quæ pertingat ad calces, eo quod alba vestis minorem caloris quantitatem absorbeat.

3 Cap. *Si quis, de Vita et honest. Cler.* — 4 Concil. Meldense, ann. 845.

5 Ita Navar., Sanch., Fontas, Anton., Paulus a Lug., etc.

Notabile vero tempus non esset unius vel alterius mensis, sed forte per annum integrum, ut communiter volunt Theologi, quamvis clare non probent [1].

10. Clericus recipiens beneficium etiam simplex, cui nullus Ordo sacer annexus est, debet habere intentionem perseverandi in Statu Ecclesiastico; nam accipiens ejusmodi beneficium, solum ut se sustentet aut ditet, donec ducat uxorem, ex probabiliori venialiter peccat, quia talis animus aliquam involvit deordinationem. Qui vero recipit beneficium Parochiale sine animo intra annum suscipiendi Sacerdotium, ultra mortale peccatum incurrit obligationem restituendi fructus, cap. *Omnissa de elect.*, in 6; illos tamen retinere poterit, si, mutata voluntate, fiat intra annum Sacerdos [2].

ARTICULUS II.

DE HIS QUÆ SPECIALITER CLERICIS PROHIBENTUR.

QUÆRES : *Quænam sint specialiter prohibita Clericis?*

RESP. Sequentia sunt graviter ipsis prohibita.

1. Quælibet negotiatio, ex cap. 6, *Ne Clerici vel Monachi*, ubi Alexander III ait : *Secundum instituta prædecessorum nostrorum, sub interminatione anathematis prohibemus ne Monachi vel Clerici causa lucri negotientur.* Idem statuitur infinitis Canonibus et Conciliis [3].

Ratio cur Ecclesia id tam severe prohibuerit, est triplex, juxta D. Thom. [4] : 1. *Quia est ordinata ad lucrum terrenum, cujus Clerici debent esse contemptores.* 2. Quia negotiatio exponit periculo peccati, nempe injustitiæ, mendacii, etc. 3. Quia *nimis implicat animum sæcularibus curis, et per consequens a spiritualibus retrahit, unde Apostolus dicit:* Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 826. — [2] S. Ligor., lib. V, num. 114 et 115.

[3] Cap. *Consequens*, dist. 88; Clement. I, *De Vita et Honest. Cleric.*; Concil. gener. Later. IV; Concil. Trident., sess. 23, cap. 1 *de Reform.*

[4] 2 2, q. 77, art. 4, ad 3.

Nota tamen eum non esse negotiatorem : 1° qui proprios agros colit ut fructus vendat, vel animalia in suis prædiis alit, ut ex fœtu, lana, lacte, pecuniam conficiat, aut animalia saginata vendat; agros tamen vel prædia aliena in istum finem conducere omnino eis prohibetur [1], licet id non sit negotiari ; 2° qui artem exercet suæ conditioni statuique consentaneam, et opera vendit ; 3° qui tempore copiæ vili pretio res omni genere comparat, ut eas, ingruente annonæ caritate, eodem pretio amicis, propinquis ac pauperibus vendat ; 4° qui emunt fructus aliorum agrorum ad animalia saginanda, et saginata vendenda, saltem *probabiliter* cum sententia communi contra plures, inquit P. Gury ; 5° qui emunt ad utendum, deinceps, augente pretio vendunt, ut vilius ematur; 6° qui negotiantur ut se suosque alant, ex P. Gury.

Notandum quod ut negotiatio sit licita, requiritur indultum apostolicum, ex Bened. XIV, const. *Apost. servit.*

2. Strictissime prohibetur Clericis negotiorum alienorum administratio a Concil. Chalced. citat. his verbis : *Decrevit itaque sanctum hoc magnumque Concilium, nullum deinceps, non Episcopum, non Clericum vel Monachum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se immiscere.* Idem habent plurima alia Concilia [2].

Resolves. Peccare graviter et absolutionis esse incapaces donec emandati fuerint, Clericos, qui administrationem temporalium bonorum in domibus nobilium exercent, qui agunt officium advocati, procuratoris, tabellionis, etc., in placitis sæcularibus, *nisi in propria causa, vel Ecclesiæ, aut miserabilium personarum, quæ suas causas administrare nequeunt* [3]. Ratio est, quia ista mere occupant animum et a spiritualibus avocant [4].

[1] Concil. Chalced., can. 3. — [2] Toto tit. *Ne clerici vel Monachi sæcularibus negot. se immiscecant*, can. *Episcopus*, dist. 18 ; Concil. Forojul., can. 5.

[3] Cap. 1 *de Postul.* ; Concil. Later. III generale, can. 12. — [4] In Gallia usus invaluerat ob bonum Ecclesiæ, ut Clerici fungerentur officio judicis et consiliarii in causis civilibus.

3. Venatio clamorosa, id est quæ fit clamore et armis, cum canibus aut avibus, interdicitur graviter Clericis, ita ut mortaliter peccent, si frequenter et cum scandalo sic venentur; ex Concil. Later. IV: *Venationem aut aucupationem omnibus Clericis interdicimus; unde nec canes nec aves habere præsumant.* Idem habetur variis juribus [1].

Ratio est quia mentem a Deo plurimum distrahit, populo scandalum parit, nec decet statum Clericalem.

Dixi 1° *clamorosa*: quia, juxta S. Raymund. et alios, licita est Clericis venatio *quieta*, quæ fit laqueo vel retibus, causa necessitatis vel recreationis moderatæ.

Dixi 2° *cum scandalo*, quia venatio clamorosa, juxta communiorem sententiam, *per se* et ratione canonum non est peccatum mortale, nisi sit frequentia, scandalum, contemptus aut contumacia; verum fere semper sacerdotem dedecet maxime [2].

4. Armorum gestatio; ex Concil. Aquens. (Concile d'Aix-la-Chapelle tenu en 1551): *Nec ensem, nec pugionem, nec ullum armorum genus gestent, nisi propter itineris necessitatem.* Unde cap. 2 *de Vita et honestate Cleric.*, dicitur: *Clerici arma portantes et usurarii excommunicentur.* Ratio est *quia non possunt Deo simul et sæculo militare* [3].

5. Choreæ, comœdiæ, publicæ saltationes illicitæ Clericis, maxime in dignitate constitutis, interdicuntur, quatenus ea morum integritate polleant, ut merito Ecclesiæ senatus dici possint.

6. Ludus alearum, ut cartarum, tesserarum et quilibet alius qui sola fortuna regitur, sub peccato mortali Clericis interdicitur a variis Conciliis et Canonibus [5]. Ratio est, quia

[1] Cap. 1 *de Clerico venatore*; Concil. Matiscon. an. 581; Concil. Victor. an. 1078, can. 10.

[2] S. Ligor., lib. IV, num. 608 — [3] Concil. Meldense, an. 945, can. 37.—[4] Concil. Lateran. sub Innoc. I, cap. 16; Concil. Trident., sess. 24, cap. 12 *de Reform.*

[5] Cap. 1, dist. 15, cap. 11 *de Excess. Prælatorum*; Concil. VI general.; Concil. Lateran., c. p. *Clerici, de Vit. et Honest. Cleric.*; Concil. Trident., sess. 22, cap. 1 *de Reform.*

talis ludus multis malis et peccatis est obnoxius. Concil. Later. IV, cap. 16 *de Vita et honestate Clericorum*, statuit : *Clerici ad aleas et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.* Ubi Glossa ait : *Hic prohibetur Clericis non tantum ludere, sed ne intersint ludo.* Item authent. de SS. Episcopis et Clericis dicitur : *Interdicimus SS. Episcopis, Presbyteris, et Diaconis, et Subdiaconis, Lectoribus*, etc., *Schematis constitutis ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes aut inspectores fieri ; aut ad aliquod ejusmodi spectaculorum spectandi gratia venire.*

Nec dicas, istos Canones in desuetudinem abiisse, nec amplius vigere ; Concil. enim Trident., sess. 22, cap. 1 *de Reform.*, sacros illos Canones innovans, illorum observantiam imperavit his verbis : *Quæ alias a Summis Pontificibus, et a Sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus.... necnon sæcularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum sub iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur, nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat.* Fatendum tamen quod ex hodierna et universali consuetudine, quæ certe differt, inquit S. Ligorius [1], ab illa antiqua arcta primitivæ Ecclesiæ disciplina, non peccare graviter Clericos iis ludentes, nisi alicubi sit prohibitio vel scandalum, quod raro abesse videtur; imo ab omni peccato, juxta multos, videtur Clericus ille excusandus, qui parce, moderate, privatim et sine scandalo iis indulget ludibus, cujus exitus a fortuna pendet, maxime si nullum aut minimum lucrum intendat, aut si lucrum pauperibus cedat. — At *summopere sibi caveant*, inquit P. Gury, *Sacerdotes cum ab immoderato affectu ad ludos, a nimia levitate animi, ab avaritiæ sordibus, a jactura temporis, tum maxime a scandalo.*

[1] Lib. IV, num. 900.

Dixi *qui sola fortuna regitur* : non enim Clericis interdicitur ludus in quo intercedit industria, v. g. piquetum, ombra, ludus gallice vocatus *trictrac*, etc.

7. Popinarum ingressus, nisi necessitatis causa in itinere, sub gravi peccato prohibetur Clericis ex infinitis Conciliis [1]. Unicum refero quartum Generale Lateran., can. 16 : *Tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.*

8. Clericis in Sacris constitutis graviter prohibetur chirurgiæ exercitium, quo adustio vel incisio intertur, cap. 9 *Ne Clerici vel Monachi.*

Medicina vero Clericis licet, sed obtento prius indulto apostolico; si tamen gravi defectu sufficientis in hac arte peritiæ vel diligentiæ mortem ægroti promoveant, mortale peccatum et irregularitatem incurrunt.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS BENEFICIATORUM.

Hic nobis agendum incumbit : 1° de Horis Canonicis; 2° de Beneficiis; inde enim maxime pendent Beneficiatorum obligationes.

QUÆSTIO I.

DE HORIS CANONICIS.

ARTICULUS I.

DE QUIDITATE, NUMERO, FINE ET INSTITUTIONE HORARUM.

QUÆRES **1**. *Quid sint Horæ Canonicæ?*

[1] Concil. Laod., can. 24; Concil. Carthag. III, can. 27; Concil. Francofurt., can. 19; Concil. Herbip., can. 2; Concil. Rhem., tit. *de Clericis in genere*; Concil. Aquensi, ann. 1585, tit. *de Vita et Honestate Clericorum.*

Resp. Sunt preces vocales ab Ecclesia institutæ, ejus nomine quotidie statutis horis Deo persolvendæ a personis ad id specialiter deputatis.

Dicuntur *Canonicæ*, quia per sacros Canones et leges Ecclesiasticas sunt præscriptæ ad laudandum Deum.

Quæres 2. *Quot sunt Horæ Canonicæ?*

Resp. Sunt septem, nimirum : Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ et Completorium, juxta illud Psalmistæ [1] : *Septies in die laudem dixi tibi.*

Quæres 3. *Ad quid septem Horæ sunt institutæ?*

Resp. Sunt institutæ ad repræsentanda septem mysteria Dominicæ Passionis, hisce verbis comprehensa apud Glossam, cap. 20 *de Celebratione Missarum :*

Hæc sunt, septenis propter quæ psallimus, horis :
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat ;
Prima replet spatis, dat causam Tertia mortis ;
Sexta Cruci nectit ; latus ejus Nona bipertit ;
Vespera deponit ; tumulo Completa reponit.

Quæres 4. *Quandonam Horæ fuerint institutæ?*

Resp. Si spectentur quoad substantiam et quantum important Officium divinum, ab ipsis Apostolorum temporibus originem duxerunt ; sic enim dicitur Actor. 3 : *Petrus et Joannes ascenderunt in Templum ad Horam orationis nonam ;* si vero considerentur quoad formam et numerum Horarum, non constat quandonam fuerunt institutæ ; certum est tamen eas esse antiquissimas, ex variis juribus [2] Refert autem *Rodulphus* divinum Officium, ineunte sæculo tertio, in æde pontificia breviatum fuisse, et ideo *Breviarii* nomen obtinuit [3].

[1] Ps. CXVIII, 164. — [2] Cap. *Presbyter, de Celebratione Missarum,*
[3] Conf. Thomassin., disc. ult., p. 4, lib. IV, cap. 10.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE HORARUM CANONICARUM.

QUÆRES 1. *Quinam ad Horas Canonicas teneantur?*

RESP. 1. Clerici sacris Ordinibus initiati, ex variis juribus [1], et præsertim ex universali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente, tenentur sub mortali quotidie recitare Breviarium, etiam post matrimonium cum dispensatione Papæ contractum, vel post degradationem, excommunicationem, suspensionem et ad triremes damnationem, cum jura universim obligent Clericos Sacris initiatos ad pensum Horarum, nec æquum sit ut commodum ex delicto reportent...

Nota tamen Clericum degradatum vel excommunicatum, non posse dicere *Dominus vobiscum*, quia hæc est quædam communicatio et functio ordinis.

RESP. 2. Omnes Religiosi et Moniales professi et ad chorum deputati, etiam fugitivi, ejecti et ad triremes damnati; et constat ex communi usu et consensu totius Ecclesiæ.

Dixi *professi, ad chorum destincti:* nam non obligantur Novitii, neque etiam illi qui non ad chorum, sed ad militiam vel functiones Laicorum destinantur, ut sunt *milites* variorum Ordinum, et *conversi* aliarum religionum.

RESP. 3. Omnes Clerici (sive Sacris sint initiati, sive non), Beneficium Ecclesiasticum possidentes, sive tenue sit, sive pingue, regulariter ad Horas persolvendas, sub mortali, ratione religionis, et restitutionis obligatione ante omnem sententiam strictissime tenentur, nisi absque culpa illud omiserint.

Probat. resp. Ex Concilio Lateranensi V, sess. 9, § *Statuimus;* ubi privantur fructibus omnes Beneficiarii qui Officium divinum non dixerint. Quod decretum confirmat

[1] Cap. *Presbyter*, et cap. *Dolentes, de Celebratione Missarum.*

Pius IV, constit. *Ex proximo* quæ viget in Gallia, ut constat ex Concil. Gallicanis : Concil. Burdigalense, anno 1583, tit. 3; Turon., eodem an., tit. 14, quod appellat dictam const. Narbon., an. 1609, cap. 41 : *Statuimus*, inquit, *ut qui Horas omnes Canonicas uno vel pluribus diebus intermiserint, omnes Beneficii vel Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur : qui vero matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat : tametsi aliquis Choro addictus non recitans, omnibus Horis Canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque et distributiones forte aliter assignatas, sola præsentia juxta statuta, consuetudinem, fundationem, aut alias sibi lucrifecisse prætendat, etiam sustineat fructuum et distributionum amissionem. Item, ille qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse; et quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, ut Clericus percipit, ad dicendum Officium parvum Beatæ Mariæ decernimus obligatum, et pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.*

Juxta hanc Bullam, decretum Lateranense et alia jura nostram explicamus responsionem.

Dixi 1° *Clerici possidentes :* nam ante adeptam possessionem nulla est obligatio recitandi, quia ante illam provisus non potest fructus beneficii percipere, nec ejus munia exercere.

Hinc si beneficiatus nullos, absque sua culpa, fructus percipiat, nec sit spes eos postea percipiendi (ut cum fundus beneficii ab Hæreticis occupatur), non obligatur ad Horas ratione hujus beneficii; quod si sit spes postea fructus beneficii percipiendi, tenetur, quia non privatur simpliciter fructibus beneficii, cum spes illa sit pretio æstimabilis.

Dixi 2° *Beneficium Ecclesiasticum :* sive possideatur in titulum, sive in commendam, quia commendæ perpetuæ a Concil. Trident. [1] vocantur *Beneficia commendata ;* unde dant jus perpetuum percipiendi fructus.

Resolvitur 1°. Qui possidet Capellaniam collativam (id est, quæ auctoritate Episcopi instituta et erecta est), obligatur ad Horas, quia est vere Beneficiatus ; propter rationem contrariam, non tenetur ad Horas qui possidet Capellaniam non collativam, etiamsi ab Episcopo conferatur ; ita omnes.

Resolvitur 2°. Pensionarius non tenetur ad Horas, quia pensio non est beneficium; tenetur tamen ad *Officium parvum Beatissimæ Mariæ Virginis* sub eadem pœna, sub qua Beneficiati tenentur ad recitationem Horarum Canonicarum, quia *ut Clericus* pensionem percipit [2].

Resolvitur 3°. Coadjutor non tenetur ad Horas præcise ratione coadjutoriæ, licet instituatur, quia nondum est Beneficiatus.

Dixi 3° *sive tenue sit sive p'ngue :* quia tenuitas non excusat ab obligatione recitationis Horarum, ut patet ex his verbis Concil. Later. : *Quilibet habens Beneficium ;* et ex his Bullæ Pii V : *Qualiacumque Beneficia possidentes ;* quæ omnes Beneficiatos sine exceptione comprehendunt. Nisi certe non pertingat ad tertiam partem sustentationis, cum ex jure [3] tale beneficium, non reputetur pro beneficio [4].

Ratio est, quia qui acceptat tenue Beneficium, sponte etiam acceptat onus illi annexum, non secus ac qui suscipit sacros Ordines, etiam accipit onera sacris Ordinibus adnexa, etiamsi nullum ex Ordinatione speret emolumentum.

Dixi 4° *regulariter :* quia nonnulla extant Beneficia quæ ex sua institutione non obligant ad Horas, sed ad alias preces, ut sunt quædam simplices præposituræ, vel per-

[1] Sess. 24, cap. 17. — [2] Bulla Pii V. — [3] Ex cap. *Is cui.*, 19, *de Præbend.*, in 6. — [4] S. Ligor., l. 4, num. 674.

sonatus, vel prioratus, qui ad recitationem Officii Beatæ Virginis, vel alicujus psalmi solum obligant, quia Beneficiatus tenetur tantum ad id propter quod datur Beneficium : atqui, etc. Neque tenentur ad restitutionem qui solo Clerico ordinis, et quotquot alio titulo quam beneficii, ad Horas tenentur, cum nullos percipiant fructus propter onus recitandi Officium.

Dixi 5° *sub mortali* : quia est gravis obligatio ad virtutem religionis et justitiæ pertinens; materia autem, respectu ad totum Officium, gravis censetur una parva Hora, v. gr. Prima, Tertia, vel integrum Nocturnum.

Nota quod dicit S. Anton. [1] : *Qui omittit omnes Horas unius diei, non præterea committere septem peccata mortalia, sed unum, et tanto gravius, quanto plus omittit de Officio : quia totum officium unius diei cadit sub uno præcepto.* Addo tamen, nisi plures Horas omitteret ex intentionibus moraliter repetitis.

Dixi 6° *et restitutionis obligatione :* quia sub hoc onere ab Ecclesia Beneficium eis collatum est, et ab eis acceptatum, ut definivit supradictus Pius V.... Igitur qui post sex primos menses per unam diem Officium omiserit, tenetur restituere omnes fructus illius diei; qui Matutinum tantum omiserit, dimidiam partem ; qui reliquas omnes Horas, alteram dimidiam; qui harum singulas (v. gr. Primam, vel Tertiam, etc.), sextam partem, comprehensis etiam distributionibus quas non lucratur, etiamsi alias Choro intersit, ut expresse habet Bulla.

Nota tamen eos qui ratione Beneficii ad alia officia præstanda, præter Horas Canonicas, tenentur, ut Episcopi et Parochi, non teneri omnes fructus restituere, sed partem duntaxat Horis Canonicis correspondentem.

Dixi 7° *ante omnem sententiam*, prout definivit Alexander VII, in damnatione hujus propositionis : *Restitutio a Pio V imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur*

[1] 3 part., tit. 3, cap. 40.

in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

Dixi 8° *nisi absque culpa omiserint :* v. gr. ex naturali oblivione, justo impedimento, bona fide, ex ignorantia invincibili, quia in conscientia non debetur pœna, ubi non est culpa.

Nota. Clericus incipit obligari a puncto subdiaconatus suscepti, et quidem ad Horas correspondentes horæ qua ordinatur; unde, si ordinatur hora undecima, tenetur recitare ab hora sexta, nec eam prævenire debet, quia probabilius non satisfaceret [1].

Quæres 2. *Ad quid insuper tenentur Canonici?*

Resp. Tenentur in Choro singulis Horis interesse, cum aliis canere et alta voce recitare Officium per se, et non per substitutos, secundum Ecclesiæ suæ usum, juxta hanc Trident. definitionem : *Omnes divina per se, et non per substitutos compellantur obire Officia, atque in Choro ad psallendum instituto, Hymnis et Canticis Dei nomen reverenter distincte devoteque laudare* [2].

Ratio est, quia datur Beneficium propter Officium; atqui ad Officium Canonici, non solum privata, verum etiam publica in Choro Horarum decantatio spectat : ergo, etc.

Hinc Episcopi tenentur invigilare ut Officium a Canonicis persolvatur et rite; ipsi tamen non debent cantibus insistere, ne per hoc a majoribus retrahantur.

Nota. Qui non sunt Canonici satisfaciunt Choro, si submisse recitant psalmos, aliam partem audiendo, quia ad satisfaciendum Officio in choro (quando psalmodia non est in obligatione), non est necesse, inquit S. Ligor. [3] ut quisquis audiat omnes voces alterius partis, unaquæque enim pars cum illa unum corpus constituit, et mutuo communicat.

Resolvitur. Canonici qui, *sine legitima causa,* a Choro absunt ultra tres menses sibi a jure concessos, vel ultra

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 140. — [2] Sess. 24. — [3] Lib. IV, num. 673.

tempus brevius, juxta suæ Ecclesiæ constitutiones,[1] peccant mortaliter et ad restitutionem tenentur, non solum distributionum quas non lucrantur, sed etiam fructuum Beneficii correspondentium psalmodiæ et cantui.

Dixi *sine legitima causa*: nam Canonici abesse a Choro, et percipere fructus Beneficiorum possunt, non tamen distributiones:

1° Cum studio Theologiæ per quinquennium vacant, vel cum docent Theologiam, obtenta prius S. Sedis licentia, toto tempore quo docent[2];

2° Cum duo Canonici sunt in obsequio Episcopi ad Ecclesiæ utilitatem[3];

3° Canonici qui sunt obsequio Papæ ad eumdem finem[4].

Nota. Communiter et satis probabiliter dicunt Doctores omissa supplere non teneri, ii qui, dum alii cantant, parant libros, organa pulsant aut campanas, vel alia choro necessaria peragunt, quia totus Chorus pro eis supplet.—Non item dicendum est de eo qui Choro alternatim respondet, organum pulsando, quin versiculum suæ partis proferat[5].

Quæres 3. *Quibus debentur distributiones quotidianæ, et distributiones pro Defunctorum anniversariis?*

Nota: Distributiones sunt *ea portio proventuum Beneficii quæ confertur iis qui divinis Officiis intersunt, et juxta Beneficii conditionem et qualitatem inserviunt.*

Resp. Debentur iis solis qui Choro intersunt, ut statuitur variis juribus: cap. *Licet, de Prebendis;* Clement., *Utii qui de ætate et qualitate;* et a Trident., sess. 24, cap. 12. dicente: *Distributiones, qui statis Horis interfuerint, recipiant; reliqui, quaris collusione aut remissione exclusa, his careant. juxta Bonifacii VIII decretum, quod incipit*: Consuetudinem. In quo Bonifacii decreto additur: *De dis-*

[1] Concil. Trident., sess. 24, cap. 12. — [2] Cap. ult. *de Magist.* — [3] Cap. 15 *de Clericis non resid.* — [4] Cap. 14, eod. tit. — [5] S. Ligor., lib. IV, num. 143.

tributionibus etiam pro Defunctorum anniversariis largiendis idem decernimus observandum [1].

QUÆRES 4. *Quænam præsentia requiritur ad lucrandas distributiones?*

RESP. Præsentia formalis et ad orandum ordinata ; ratio Juris est, quia *non censetur præsens qui non attendit* [2].

Hinc, qui tempore divini Officii confabulatur, voluntarie obdormit, vel quid simile attentionem impediens facit, non lucratur distributiones, quas si recipiat, tenetur restituere.

QUÆRES 5. *In quibus casibus absens distributiones lucrari possit?*

RESP. In tribus casibus, gravis infirmitatis, rationabilis corporis necessitatis et utilitatis suæ Ecclesiæ, juxta hanc in decreto Bonifacii VIII exceptionem : *exceptis illis quos infirmitas, seu justa aut rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret.* Ratio est, quia hi fictione Juris censentur præsentes.

Sequitur ex primo casu, eum qui gravi laborat infirmitate, vel levi quidem, sed quæ accessu ad Chorum efficeretur gravis, lucrari distributiones.

Sequitur ex secundo, illi deberi distributiones, qui de consilio medici, domo non egreditur ob valetudinis periculum. Item qui domi sese continet sumendæ medicinæ causa. Item qui convalescens urbe egreditur, ut salubriori cœlo perfruatur et roboretur. Item qui ita senio confectus est, ut divinis Officiis (quibus alias interesse consueverat), commode interesse non possit. Item qui privata vi detinetur, aut ab hostibus capitur, et sic impeditur quominus ad ecclesiam se conferat. Item qui in carcerem injuste conjicitur et detinetur... Hi enim omnes dicuntur abesse propter rationabilem et justam corporis necessitatem.

Sequitur ex tertio, Canonicos qui, tempore divinorum Officiorum, ex mandato Capituli detinentur in iis quæ ad

1 Cap. *Consuetudine, de Clerico non resid.*, in 6.
2 Lege *Coram Titio*, ff. *de Verb. signific.*

Capitulum faciunt, v. gr. in subeundis rationibus, aut in assignandis cuique suis reditibus, participes esse distributionum; idem dicendum de eo qui a suo Capitulo ad jurisdictionem aliquam suæ Ecclesiæ annexam exercendam, vel ad Summum Pontificem, aliumve Principem Legationis titulo, mittitur; hi enim absunt in utilitatem suæ Ecclesiæ.

Dices: Cap. 7 *de Clericis non resident.*, dicitur, eum qui est in servitio Episcopi ad Ecclesiæ utilitatem, percipere fructus Beneficii tanquam residens, *nisi forte sint victualia*, id est distributiones, *quæ non consueverunt absentibus exhiberi*. Ergo absenti propter Ecclesiæ utilitatem non debentur distributiones.

Resp. *Dist. cons.* Absenti propter utilitatem Ecclesiæ alienæ, *conc.*, Ecclesiæ Capituli, *nego*. Itaque textus loquitur de duobus Canonicis, qui sunt in servitio Episcopi ad utilitatem Ecclesiarum alienarum, licet in Diœcesi existentium.

ARTICULUS III.

DE MODO RECITANDI.

Quæres 1. *Quomodo Horæ sunt recitandæ?*

Resp. Hunc modum dat caput *Dolentes*, his verbis: *Districte præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebretur pariter et devote* [1].

Quæres 2. *Quænam requirantur ut Horæ recitentur studiose?*

Resp. Quinque: 1° ut debito utatur Breviario; 2° ut omnia distincte et integre proferantur; 3° ut recitentur debito tempore; 4° ut recitentur ordine præscripto; 5° ut recitentur sine interruptione. Hinc,

Quæres 3. *Quo obligati ad Horas uti debent Breviario?*

[1] Cap. *Dolentes, de Celebratione Missar.*

Resp. Teneantur uti Breviario Romano jussu Pii V edito, ut patet ex Constitutionibus Pii V et Clementis VIII, quæ initio Breviarii reperiuntur.

Excipiuntur tamen Dioeceses, Capitula et Ordines quorum Officia approbata sunt a Summo Pontifice, aut qui a 200 et eo amplius annis ante hanc Bullam, habebant Breviarium particulare, quibus tamen permittitur ex Episcopi aut Capituli consensu assumere Romanum. Hic

Nota 1. Quoad Breviaria a Summo Pontifice reprobata, sive ante, sive post Bullam fabricata, nec deinceps rite approbata, materialiter juri adversantur, ut patet; unde Episcopi tenentur illa rejicere, et omnes Sacerdotes debent Episcopos non solum non impedire, sed etiam eis favere ut sint Ritui Romano conformes. Interdum prudentiæ et sapientiæ Prælatorum suorum se committere debent in omnibus his quæ spectant ad hujusmodi reformationem quæ de jure necessaria existimatur.

Nota 2. Qui utuntur Breviario Romano, non obligantur extra Chorum ad Officium B. Mariæ Virginis vel Defunctorum, vel Psalmos Pœnitentiales, aut Graduales diebus in Rubricis præscriptis. Ita habet Bulla Pii V, qui prædicta recitantibus indulgentias concessit. Tenentur tamen ad Litanias diebus S. Marci et Rogationum, et ad Officium Defunctorum die 2ª novembris, quia sunt pars Officii iis diebus recitandi, ut patet ex communi Ecclesiæ praxi.

Resolves 1. Mortaliter peccat, qui *scienter* Officium Paschale recitat in die Palmarum, juxta definitionem Alexandri VII, in damnatione propos. 34 dicentis: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.* Et sic uniter excluditur officium Pentecostes, inquiunt Salmant. et S. Ligorius [1].

2. Peccat mortaliter, qui *scienter* et frequenter et absque causa Officium mutat. Ratio est, quia ipsa frequens Officii

[1] Lib. v, num. 161.

mutatio evaderet gravis perversio ordinis. Hanc sententiam S. Ligor. [1] æquiorem putat contra plures, qui vel ab omni peccato gravi mutantem excusant, vel eum peccati mortalis, etsi semel officium proprium dici mutat in aliud æque longum, imo longius, reum esse volunt.

3. Peccat venialiter tantum, qui *scienter* Officium mutat raro, puta ter vel quater in anno, modo mutatio non fiat in Officium notabiliter brevius; hæc enim variatio est venialis ratione parvitatis materiæ [2]. Quæ si fiat ex aliqua rationabili causa, nempe studii, itineris, infirmæ valetudinis aut magnæ defatigationis, vel specialis devotionis, nec etiam erit veniale [3].

Rogabis, quænam sint causæ probabiliter excusantes a mutatione Officii? *Resp.* Quatuor extant, videlicet: 1° si alio pergis, potes recitare Officium illius loci, nisi sis Religiosus, quia tunc ex vi professionis teneris ad Breviarium tui Ordinis, quocumque ieris, ut plurimi dicunt [4]; 2° si Capellanus Episcopi, potes illi te conformare in Officio, ex communi; 3° si Beneficiatus fueris, recitare potes sub ritu primæ classis cum octava Officium tui tituli; 4° si recites cum socio, ejus ritui potes te conformare, etiam ex sola causa societatis, ut satis probabiliter dicit S. Ligorius [5], modo socius non sit privilegiatus in Officio breviori.

Objicies: Legere unam Missam pro alia, non est peccatum; ergo nec legere unum Officium pro alio.

Resp. *Nego conseq.* Quia non eadem est obligatio legendi Missam, ac legendi Horas: Ecclesia enim, sicut liberum relinquit legere vel non legere Missam; ita hanc vel illam Missam pro devotione legere, quæ non est pro Officio, uti docet piorum consuetudo.

Inst. Qualitas vel quantitas Officii non magis est de substantia Officii quam qualitas vel quantitas Missæ; atqui

[1] Lib. v, num. 161. — [2] S. Ligor., ibid. — [3] Viva, Navar., Croix, etc.; S. Ligor., ibid.
[4] S. Ligor., ibid. — [5] Ibid.

in die Palmarum audiens Missam *de Requiem*, vel de resurrectione, æque satisfacit præcepto de audienda Missa, quam audiens Missam de illa Dominica : ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Quia Ecclesia præcipit audire Missam præcise ; e contra præcipit recitare Officium illud quoad qualitatem et quantitatem, quantum et quale pro quolibet die præscribitur in Breviario. Unde *in die Palmarum recitans Officium Paschale non satisfacit præcepto*, prout definivit Alexander VII, in damnatione propositionis contradictoriæ.

Dixi *scienter :* quia qui ex inadvertentia inculpabili mutavit Officium, non tenetur ad alterius Officii recitationem ; tunc enim valet axioma : *Officium pro Officio ;* sed, ex consilio non vero obligatione, potest id quod tali festo peculiare fuit repetere, v. gr. Lectiones, Responsoria, Orationes, etc. At si dictum fuerit Officium notabiliter brevius, v. gr. Sancti loco Dominicæ, debet fieri compensatio recitando novem psalmos ex primo Nocturno — Si error detegatur ante finem, potest vel prosequi, vel melius recitare reliqua de Officio debito, modo errorem advertat ante lapsum diei, quia obligatio Horarum est affixa diei.

Quod si errorem detegat elapso die, non tenetur Officium omissum substituere in locum Officii jam recitati, ait Tournely [1], sed tenetur repetere Officium quod jam persolvit, tum quia obligatio recitandi Officii omissi transiit cum die ; tum quia primus error non dat jus invertendi ordinem Officiorum Breviarii ; S. Rit. Congr., 17 junii 1673.

Quæres 4. *Quid requiritur ut Horæ distincte et integre proferantur ?*

Ad 1 Resp. *Requiritur* 1° ut verba non omittantur, nec syllabæ abscindantur, sed *recitentur sine syncopa*, ait Glossa [2] ; ita ut si quis verba omittat in notabili quantitate, et sensus notabiliter varietur, peccet mortaliter cum violet

[1] *De Officio divino*, part. 2, tom. 2, part. III. — [2] In cap. *Dolentes, de Celebr. Missar.*

præceptum in re gravi, et tenetur compensare partem in qua sensus est corruptus, rectam qualitatem æquivalentem, et ad restitutionem, si sit Beneficiatus.

Hinc, obligationi suæ non satisfaciunt, qui ita cum sociis festinanter recitant, ut nondum expletis versiculis a sociis, versiculos recitare incipiunt, si hoc fiat in magna quantitate; quia pars quæ anticipate dicitur, non communicatur cum sociis, qui eam audire nequeunt.

Notandum tamen quod dicit S. Antoninus[1]: *Si quis lectionem vel aliud, quod in choro* (vel a socio) *legitur, non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat dummodo conetur intelligere saltem verba;* hujus rationem præbet S. Ligor.[2], dicens quod tunc per societatem, et simul per illam tuam applicationem, censeris moraliter communicare orationi, dum intendis Deo exhibere omnes laudes et preces quas chorus vel socius profert. Præceptum enim hoc Officii ex benignitate Ecclesiæ est interpretandum; secus enim valde erit anxietatibus obnoxium determinare ad quantam quantitatem pervenerit omissio auditus, ut socii teneantur vel non, repetere.

Requiritur 2° ut Officium recitetur voce per se sensibili, sed non requiritur ut recitans possit seipsum audire; hoc enim necessarium non est ad orationem vocalem.

Ratio est, inquit Sylvius, quia nullo jure probatur recitantem Horas teneri ad se audiendum, cum præceptum obliget ad dicendum, non ad audiendum Horas. Atqui sic recitans jam vocaliter orat, quia oratio potest ore et voce fieri etiamsi non audiatur ab ipso recitante et ex se sit sonus quidam formatus ex allisione aeris ad dentes et labia, per accidens vero se habet quod sonus ille audiatur vel non; ita S. Ligor.[3] et multi alii contra plures.

Quæres 5. *Quo tempore debent Horæ recitari?*

Resp. 1. Ad vitandum peccatum mortale, tempus reci-

[1] 2 part. t., 9, cap. 12. — [2] Lib. v, num. 163. — [3] Lib. v, num. 162.

tandi Horas incipit a media nocte usque ad alteram mediam noctem, excepto Matutino, ut dicemus infra.

Et hoc Officium est pro die præsenti tantum, juxta propos. 35 damnatam ab Alexandro VII, dicentem: *Unico Officio potest quis satisfacere pro die præsenti et crastino.*

Resp. 2. Ad vitandum peccatum veniale servari debet jus vel consuetudo legitime introducta; sicut enim consuetudo vim habet inducendæ legis, ita etiam illius mitigandæ.

Hinc, omnes Horæ parvæ toto tempore matutino privatim recitari possunt. Vespere autem et Completorium a meridie usque ad mediam noctem recitantur. In Quadragesima vero dici possunt ante cenam, id est ante meridiem, exceptis diebus Dominicis, in quibus non jejunatur. — Erit tamen venialis Matutinum ad Vesperam sine causa differre, vel Vesperas et Completorium ante meridiem sine causa recitare, quia hæc est insueta inversio.

Quoad Matutinum, potest cum vel sine Laudibus recitari pridie, ab eo circiter tempore quo sol est propior ad occasum quam ad meridiem, juxta tabulam sequentem de tempore inchoandi Matutinum pro die sequenti, Romæ editam Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ, nostris horologiis accommodatam:

20 Januarii, hora secunda cum quadrante.
13 Februarii, hora sesquisecunda.
1 Martii, hora secunda cum tribus quadrantibus.
18 Martii, hora tertia.
4 Aprilis, hora tertia cum quadrante.
20 Aprilis, hora sesquitertia.
10 Maii, hora tertia cum tribus quadrantibus.
8 Junii, hora quarta.
30 Julii, hora tertia cum tribus quadrantibus.
28 Augusti, hora sesquitertia.
7 Septembris, hora tertia cum quadrante.
24 Septembris, hora tertia.

13 Octobris, hora secunda cum tribus quadrantibus.

20 Octobris, hora sesquisecunda.

18 Novembris, hora secunda cum quadrante.

15 Decembris, hora secunda.

Dixi *sine causa;* porro, ut quis possit anticipare vel postponere debitum tempus Horarum, sufficit quævis causa utilis et honesta, v. gr. iter aggrediendum, concio paranda vel audienda, periculum supervenientis occupationis vel laboris, major devotio sive quies, tempus aptius ad studendum, et simile ex S. Ligor. [1].

Quæres 6. *Quo ordine Horæ sunt recitandæ?*

Resp. Ordo ab Ecclesia præceptus, hic est : ut recitetur Matutinum ante Laudes, Laudes ante Primam, etc.; quem ordinem absque justa causa invertere peccatum est solum veniale, modo absit contemptus; *ratio* est, quia præceptum observatur quoad substantiam, omnes Horas dicendo intra diem naturalem.

Imo nullum est peccatum, nec est obligatio repetendi, si talis inversio fuit per oblivionem, inadvertentiam, vel ex justa causa, ut si quis ab ægro invitetur ad recitandas secum Vesperas, cum necdum Nonam persolverit; nam cum hic ordo non pertineat ad substantiam Officii, sed tantum ad modum, censetur Ecclesia permittere eum mutari, cum adest rationabilis causa.

Utrum autem sit mortale dicere Missam ante Matutinum et Laudes...*Resp. negative.* Ratio est, quia recitans Primam ante Matutinum non peccat mortaliter; ergo nec celebrans Missam ante Matutinum, cum majorem habeat connexionem Prima cum Matutino, quam Matutinum cum Missa; est ergo solum veniale, imo nullum est peccatum, si fiat ex justa causa, ait Lessius [2], quia quod fit ex justa causa, fit prudenter: ergo fit sine peccato. Ita communiter, S. Ligor. [3], Benedict. XIV [4].

[1] Lib. v, num. 152. — [2] Lib. II, cap. 37, num. 81. — [3] Lib. VI, num. 347. — [4] *De Sacrificio Missæ*, lib. III, cap. 13.

Nec obstat Rubrica Missalis : quia non graviter est præceptiva, nec est recepta sub mortali, ut ait Bonac. Hic

Nota ad vitandos scrupulos Julium III concessisse Patribus Societatis Jesu privilegium (cui communicant omnes mendicantes), postponendi Matutinum celebrationi Missæ *ex legitimis et justis causis* [1].

Quæres 7. *An est mortale divinum Officium interrumpere?*

Resp. Interruptio Officii facta sine causa, quantacumque sit, est solum venialis, quia hic defectus non est in substantia, sed solum in modo accidentario, cum omnes Psalmi, Lectiones, etc., per se suam habeant completam significationem.

Quod si subsit justa causa, v. gr. si Superioris præceptum vel charitas urgeat ad aliquid faciendum quod commode differri nequeat, vel si ratio urbanitatis postulat, vel si sit confessio accipienda alicujus qui libenter non expectaret, vel si velis aliquid agere vel adnotare, ut tollas distractionem, vel ne obliviscaris, et alia similia, tunc nullum peccatum erit, nullaque obligatio repetendi.

Quæres 8. *Quid requiratur ut Horæ devote recitentur?*

Resp. Requiruntur duo: 1° *Intentio* recitandi Horas et Deum orandi, non quidem actualis et explicita, sed virtualis et interpretativa, qualem habet qui, ut suæ obligationi satisfaciat, assumit Breviarium, vel debito tempore ad Chorum convenit ad recitandum Officium. *Ratio est*, quia recitatio externa Officii est indifferens ut sit oratio vel studium; ergo ab intentione orandi debet determinari ut sit oratio qualis præcipitur.

2° *Et attentio interna*, sive illa sit ad verba quatenus continent laudes Dei, sive ad sensum verborum, sive ad Deum. Ratio est, quia Ecclesia præcipit recitationem Officii tanquam actum orationis Deo gratum; atqui oratio non est Deo grata absque attentione interna, ut patet ex illa Chri-

[1] Jul. III, bull. *Sacræ*.

sti reprehensione : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* [1]. Unde Clerus Gallicanus, *ut alsonam et verbo Dei contrariam* damnavit hanc propositionem : *Præcepto satisfacit qui voluntarie labiis tantum, non autem mente orat.*

Utrum vero attentio interna requiratur sub gravi, ita ut qui non habuerit, non solum peccaverit, sed etiam teneatur Officium repetere, duplex est sententia.

Prima sententia *communior* et ex rationibus extrinsecis probabilior, affirmat. 1ª Ratio est, quia Ecclesia præcipit recitationem Officii tanquam actum orationis Deo gratum ; atqui oratio non est Deo grata absque attentione interna, ut patet ex illa Christi reprehensione : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Ergo Ecclesia requirit attentionem internam. 2ª Ratio est, quia oratio mentalis se habet ad vocalem sicut anima ad corpus : sicut enim corpus additione animæ fit vivens, ita oratio vocalis additione mentalis fit moraliter bona et meritoria ; atqui non datur oratio mentalis sine attentione interna, ut patet. Ergo, etc.

Secunda sententia ex rationibus intrinsecis *probabilior*, negat. Hanc tenet D. Antonin. [2], cum, ista explicans verba capitis *Dolentes*, de Celebrat. Missæ, *Quantum eis Deus dederit, studiose celebrent, pariter et devote*, dicit *Ecclesiam ibi apponere consilium fragilitati humanæ*, quasi dicat : *Præcipimus quod de die ac nocte dicat Horas suas ; attentionem vero et devotionem in præcepto non ponimus, sed gratiæ Dei secundum quod dare voluerit, duximus relinquendum.* Ergo ex S. Doctore, ad Horas recitandas non requiritur attentio interna, quæ necessaria est tantum ad majoritatem meritorum, ut, quo quis attentius et devotius oraverit, majora percipiet merita. Sic respondetur ad duplicem adversariorum rationem.

Prob. 1° Attentio interna non est de substantia ora-

[1] Matth. 25, v. 8. — [2] 3 part., tit. 13, quæst. 7.

tionis vocalis; atqui Ecclesia solum præcipit orationem vocalem. Ergo, etc.

PROB. *maj.* Ad substantiam orationis vocalis sufficit pronunciatio verborum procedens ex formali aut virtuali intentione laudandi Deum; atqui illa intentio potest esse absque interna attentione. Ergo, etc.

PROB. *min.* Intentio et attentio sunt actus diversarum potentiarum, nimirum intentio est actus voluntatis sibi finem præfigentis; attentio vero est actus intellectus quo quis advertit ad id quod agitur; ergo intentio potest esse sine interna attentione; ergo non est de substantia orationis vocalis, nec requiritur nisi ad majoritatem meritorum.

PROB. 2° In sententia adversariorum non requiritur attentio interna actualis, sed virtualis tantum, ut mox dicetur; atqui dari non potest attentio virtualis: ergo illa non requiritur.

Prob. min. Ex dictis attentio est actus intellectus quo quis advertit ad id quod agitur; atqui intellectus non potest perseverare moraliter in actibus primum actum subsequentibus, seu non perseverat *virtualiter*, quia non habet alium finem ultimum ad quem tendere debeat per media congruentia sicut voluntas; sed ejus finis ultimus est attendere hic et nunc ad id quod agitur, quod assequitur per actualem attentionem: ergo intellectus vel attendit, et tunc est attentio actualis, vel non attendit, et tunc nulla est attentio, nec actualis, nec virtualis.

Explicatur. Sola voluntas intendit ut finem ultimum per media ad hunc finem conducentia, quando plures sunt fines, vel quando finis ultimus adipisci non potest, nisi per media, ut dicitur in tract. *de Actibus humanis*. Et ideo sola voluntas valet *virtualiter* subsistere post actum voluntatis in mediis conducentibus ad suum finem, nisi revocetur per actum voluntatis contrarium. Hinc viator sciscitanti: Quo vadis? Recte respondet: *Vado Romam;* et si

nunc quiescat in diversorio. At si interrogat distractum utrum intellexerit, respondet: *Nullomodo, quia fuit distractus*, et quidem recte, quia finis attentionis unicus est proximus et ultimus, nimirum actu intelligere, actu advertere, et ideo intellectus non habet attentionem virtualem.

Prob. 3° Si attentio interna esset de substantia orationis vocalis, non satisfaceret suæ obligationi, qui involuntarie distractus Horas recitaret; etenim destructa, quamvis inculpabiliter, rei essentia, res subsistere non potest.

Prob. In distractione licet involuntaria destruitur attentio actualis interna, ut patet; destruitur etiam virtualis, supposito quod sit; nam illa virtualis attentio non potest subsistere ex vi intellectus, cum virtualitas intellectus non possit existere in actibus intermediis, ut dictum est; neque ex vi voluntatis, quia voluntas nequit facere quod aliæ potentiæ virtualiter agant, cum actu non agunt. Sic non magis potest dici intellectus virtualiter attendere, quam memoria virtualiter recordari, vel imaginatio virtualiter fingere. Ergo distractio quamvis involuntaria destrueret essentiam orationis vocalis. Ergo, etc.

Licet hæc sententia sit intrincesce probabilior, prima tamen, inquit S. Ligorius [1], est consulenda. Unde

Petes. *Quænam attentio requiritur?*

Nota. Triplex est attentio, nimirum *actualis*, *virtualis* et *habitualis*.

Attenti oactualis est ea qua quis actu attendit ad sensum verborum, vel ad Deum.

Attentio virtualis est actualis initio orationis concepta, quæ virtualiter permanet quandiu expresse vel tacite non revocatur... Expresse revocatur dum recitans expresse vult non attendere.... ; tacite revocatur dum recitans se distractum advertit, et nihilominus non repellit distractionem, nec revocat mentem ad attentionem.

[1] Lib. v, num. 177.

Attentio habitualis vel est facilitas attendendi repetitis actibus comparata, vel est animi dispositio qua quis attenderet, si adverteret. His positis,

Resp. 1. Attentio habitualis non sufficit, quia non est vera attentio, et cum ea sola non subsistit oratio.

2. Attentio actualis non est necessaria, quia sæpius non est in nostra potestate.

3. Attentio virtualis requiritur et sufficit, quia cum ea subsistit oratio et actus humanus.

Resolvitur juxta primam sententiam, 1° Peccat mortaliter, nec præcepto satisfacit, et consequenter tenetur repetere, qui per notabilem Offi ii partem voluntarie distrahitur; item qui licet inadvertenter distractus sit, distractioni voluntariam causam dedit; et si sit Beneficiatus, tenetur restitutionem fructuum perinde ac si Officium non persolvisset.

Resolvitur 2° Qui initio orationis attentionem habuit, satisfacit præcepto, nec tenetur repetere et restituere, si involuntarie distractus prosecutus est orationem, quia virtualiter attendit.

ARTICULUS IV.

DE CAUSIS EXCUSANTIBUS AB HORIS RECITANDIS.

Quæres. *Quot sunt causæ excusantes a recitatione Horarum, et restitutione?*

Resp. Sunt quatuor. 1ª Est legitima Papæ dispensatio, qui dispensare potest, cum Officium jure Ecclesiastico institutum sit.

2ª Est gravis infirmitas [1], qualem habere censetur qui sine notabili nocumento, vel incremento morbi, vel timore illum contrahendi, Officium legere non potest... In dubio stare potest consilio prudentis et periti medici... Si medicus dubitet, petenda est dispensatio Superioris, qui

[1] Cap. *Clericus*, dist. 91.

ex usu ubique recepto dispensare potest cum suis subditis in dubio de morali impotentia recitandi; quod videtur necessarium ad tollendas perplexitates. Potest etiam se remittere judicio probabili viri prudentis; imo, probabiliter potest etiam stare proprio judicio, si tale judicium sibi informare valeat... Qui autem per se non potest satisfacere, non tenetur per alium, hoc enim non præcipitur ab Ecclesia... Qui autem non potest recitare solus, sed potest cum socio, ad hoc tenetur; nam qui obligatur ad finem, obligatur etiam in usum mediorum facile comparabilium.

Hinc 1° Febris tertiana vel quartana non excusat, nisi tota die, aut potissima diei parte, duret; ratio est, quia censetur levis causa (est communis).

Hinc 2° Excusatur qui prudenter credit vel timet ex recitatione Officii notabilem capitis gravedinem, vel ruditatem stomachi, vel virium lassitudinem, vel febris procrastinationem advenire.

Hinc 3° Excusatur per aliquot dies convalescens ex gravi morbo ad arbitrium prudentis, donec vires reficiantur, quamvis infirmus jam Missam celebraret [1].

3ª Est gravis occupatio honesta et necessaria, quæ absque gravi sui vel proximi detrimento, tum spirituali, tum corporali, differri non potest, sitque majus bonum quam Officii recitatio.

Sic si Confessarius tota die deberet audire confessionem quæ differri non potest, vel moribundo necessario assistere, ex benigna intentione Ecclesiæ, posset a recitatione Horarum excusari; si tamen hoc impedimentum posset prævenire, teneretur anticipate Officium recitare: ita omnes.

4ª Causa est impotentia, tum physica qualis est cæcitas, vel carentia Breviarii, modo carentia non sit graviter culpabilis, v. gr. projiciendo Breviarium in mare, quia tunc

[1] S. Ligor., lib. v, num. 154.

tot peccata committeret quot essent omissiones, donec pœnitentia causam revocaret : revocata vero causa per dolorem, effectus jam non essent imputabiles ; tum impotentia moralis, qualis est justus timor gravis damni, v. gr. proditionis inter Hæreticos vel Infideles.

Qui tamen propter prædictam impotentiam non potest [illegible] Officium recitare, tenetur ad partem quam potest : unde Innocent. XI damnavit hanc proposit.: *Qui non potest Matutinum et Laudes recitare, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur.*

QUÆSTIO II.

DE BENEFICIIS.

Nota. Pensiones quæ Episcopis, Canonicis et Parochis a Gubernio in Gallia solvuntur, ut bona Ecclesiastica sunt habenda : hoc patet ex variis S. Pœnitentiariæ responsis, eo quod fuerint in Beneficiorum locum suffecta, mediante concordato inter Pium Papam VII et Gubernium Gallicum. Igitur quidquid de intricatissima quæstione de Beneficiis dicetur, iis, proportione servata, pensionibus accommodari debet.

Totam materiam de Beneficiis septem comprehendemus articulis :

Primus erit de natura et divisione Beneficiorum.

Secundus, de variis modis quibus acquiri potest Beneficium.

Tertius, de his quibus *Beneficia* debent conferri.

Quartus, de dominio et usu bonorum Ecclesiasticorum.

Quintus, de pluralitate Beneficiorum.

Sextus, de obligatione residentiæ in loco Beneficii.

Septimus, de simonia in acquirendis Beneficiis.

ARTICULUS I.

DE NATURA ET DIVISIONE BENEFICIORUM.

Quæres 1. *Quid sit Beneficium?*

Resp. Est jus perpetuum competens Clerico percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter officium spirituale, auctoritate Ecclesiæ constitutum.

Explicatur definitio: dicitur 1° *jus perpetuum*, quia ex natura sua est tale ut perpetuo duret, et dum uni aufertur, alteri tribuatur; hinc Vicaria et Commenda temporalis, item pensio perpetua, non sunt Beneficia.

Dicitur 2° *Clerico competens* tonsura Clericali insignito; et per hoc excluduntur a ratione Beneficii bona, quæ Laici propter operam Ecclesiæ præstitam, v. gr. ad pulsandas campanas, tribuuntur; sunt enim merum stipendium.

Dicitur 3° *propter officium spirituale:* nam propter ejusmodi officium datur Beneficium: unde bursæ collegiales, quæ non dantur propter officium spirituale, sed tanquam eleemosyna aut subsidium, non sunt Beneficia.

Dicitur 4° *auctoritate Ecclesiæ constitutum*, hoc est Papæ vel Episcopi; nam ad illos solos pertinet officia spiritualia instituere, eisque proventus adnectere... Hinc Capellaniæ *non collativæ*, sed a privatis, licet in perpetuum, dotatæ pro Missarum celebratione, non sunt Beneficia, nec conferuntur canonica institutione (gallice *provision*), quæ necessaria est ad conferendas *Capellanias collativas*, per consequens non obligant ad Horarum recitationem. Tamen Capellani eis in perpetuum provisi, earum titulo tanquam titulo Patrimonii, aut quasi Patrimonii possunt ordinari, ut docet Garcia [1].

Quæres 2. *Quotuplex sit Beneficium?*

Resp. Beneficium dividitur 1° in *sæculare*, quod pro Clericis sæcularibus; et *regulare*, quod pro Regularibus

[1] *De Benefic.*, part. 1, cap. 2.

est institutum, nec sæcularibus dari potest, nisi in Commendam.

Nota. Omne Beneficium est sæculare, nisi aliud probetur ex institutione, vel per possessionem pacificam quadraginta annorum, quæ legitimam statuit præscriptionem [1].

2° Dividitur in *simplex* seu *non curatum*, et *duplex* seu *curatum*.

Beneficium *simplex* est illud quod obligationi divini Officii non habet annexam curam animarum, nec præeminentiam aut jurisdictionem; talis est Capellania, Canonicatus simplex, etc.

Beneficium *duplex* est illud quod obligationi divini Officii habet annexam animarum curam, vel præeminentiam. Tales sunt Episcopatus, Parochiatus, Abbatia, Cantoria, etc.

3° Dividitur Beneficium duplex in *Dignitatem*, *Personatum* et *Officium*.

Dignitas est Beneficium habens annexam præeminentiam jurisdictionemque Ecclesiasticam in foro externo; tales sunt Episcopatus, Abbatia, Præpositura, Prioratus conventualis, Guardianatus, etc.

Personatus est Beneficium habens annexam præeminentiam Ecclesiasticam absque jurisdictione, v. gr. Primiceriatus, Lectoratus.

Officium est Beneficium habens administrationem rerum Ecclesiasticarum sine jurisdictione, ut Thesauraria, Cantoria.

4° Dividitur in *titulare et commendatum*.

Titulare est illud quod cum plenitudine juris confertur juxta ejus fundationem.

Commendatum est illud quod solius administrationis aut custodiæ gratia traditur. Si tradatur ad vitam, æquivalet Beneficio in titulum dato.

[1] Cap. *Cum de Benef., de Præbend.*, in 6.

ARTICULUS II.

DE VARIIS MODIS SEU TITULIS BENEFICIUM ACQUIRENDI.

Quæres 1. *An necessario requiratur titulus ad acquirendum Beneficium?*

Resp. Ita necessario requiritur titulus, ut qui *mala fide,* absque titulo invadit Beneficium, non solum illud amittit, sed insuper fit inhabilis ad illud postea obtinendum, prout definivit Alexander III [1].

Dixi *mala fide;* si enim bona fide absque titulo legitimo Beneficium obtinuit, potest illud retinere in utroque foro [2], modo fuerit obtentum:

1° Absque simoniaco ingressu.

2° Cum titulo colorato, ex *ordinaria collatione aut electione.*

3° Quod Beneficiarius *per triennium pacifice possederit.*

4° Quod aliunde ad illud ipso jure non fuerit inhabilis, v. gr. propter censuram aliquam, quam ante Beneficii adeptionem incurrerit. *Ita statuit regula Cancellariæ de triennali possessione.*

Quæres 2. *Quot sunt tituli quibus Beneficia acquiruntur?*

Resp. Sunt septem, nimirum: 1° collatio libera; 2° præsentatio et subsequa institutio; 3° electio et subsequa confirmatio; 4° postulatio et subsequa admissio; 5° resignatio acceptata in favorem; 6° permutatio approbata; 7° subrogatio; de quibus multa quæruntur distinctis paragraphis, quibus addemus Appendicem *de Pensionibus.*

[1] Cap. *Ad aures, de Excessibus Prælatorum.* — [2] Clement., *de Sequest*

§ I.

De Collatione libera.

Quæres 1. *Quid sit Collatio libera?*

Resp. Est *attributio Beneficii facta a Prælato jure pleno atque independenti a jure Patronatus, Graduatorum*, etc.

Dicitur 1° *attributio*, id est concessio juris in re.

Dicitur 2° *libera*, ut distinguatur ab institutione et confirmatione, quæ sunt quidem collationes, sed non liberæ, cum Prælatus debeat conferre Beneficium præsentato et electo.

Quæres 2. *Quibus competit jus collationis Beneficiorum?*

Resp. 1. Competit cuilibet Episcopo in sua diœcesi, nisi ex fundatione Beneficii, aut legitima præscriptione hoc jus competat alteri Ecclesiastico.

Resp. 2. Papæ etiam competit per se tanquam supremo et universali omnium Beneficiorum non patronatorum collatori.

Quæres 3. *Quot modis Papa confert Beneficia?*

Resp. Quatuor modis.

1° *Jure præventionis*, quando scilicet alicui confert gratiam expectativam ad primum Beneficium non patronatum vacaturum [1].

2° *Jure reservationis*, quando scilicet aliqua Beneficia reservat in favorem aliquorum; talia sunt Beneficia reservata in favorem Graduatorum; qui in Gallia, vi concordati inter Leonem X et Franciscum I, habebant jus obtinendi quælibet Beneficia non patronata vacantia quatuor anni mensibus; nempe *januario*, *aprili*, *julio*, et *octobri*.

3° *Jure concursus*, quatenus scilicet Papa cum quolibet alio Collatore concurrere potest, si velit; necesse tamen est ut in hoc casu conferat Beneficium ante Ordinarium;

[1] Cap. *Dudum*, *de Præbend.*, in 6.

alioquin collatio Ordinarii erit valida [1]. Ubi nota, quod Papa nunquam vel raro utatur jure præventionis et concursus, ut vitentur confusiones et lites, quæ inde oriri possunt. Verum sibi in multis Ecclesiis certos reservat in anno menses, reliquis Episcopo vel Patrono relictis.

4° *Jure devoluti*, quando scilicet, quis a Summo Pontifice impetrat sibi Beneficium transferri ob possidentis Canonicam inhabilitatem ; v. gr. quando ob simoniam confidentiæ, vel negligentiam Collatoris, jus devolvitur ad Papam, idem jus devolvitur ad Episcopum quando inferiores Collatores sunt negligentes.

§ II.

De Præsentatione et subsequa Institutione.

Quæres 1. *Quid est Præsentatio?*

Resp. Est *exhibitio personæ idoneæ a patrono facta Prælato, ut ipsi Beneficium vacans conferat per institutionem.* Patronus enim præsentato tantum jus ad rem confert. Jus autem in re, et ipsa collatio Beneficii per institutionem dantur.

Quæres 2. *Quid est jus Patronatus, et quotuplex?*

Resp. 1. Est *potestas præsentandi Clericum ad Beneficium vacans, sive per mortem, sive per resignationem.*

Resp. 2. Duplex est ; nempe jus patronatus *Ecclesiastici*, et jus patronatus *Laici*.

Jus patronatus Ecclesiastici est illud *quod a persona Ecclesiastica de bonis Ecclesiæ fundatum est.* Unde solis Ecclesiasticis competit.

Jus patronatus Laici est illud *quod a Laico, vel Clerico de bonis patrimonialibus est fundatum.* Unde Laico vel Clerico competit.

Quæres 3. *Quid habent commune Beneficia tum Ecclesiastici tum Laici patronatus?*

[1] Argumento capitis *Si eo tempore, de Elect.*, n 6.

Resp. *sequentia:* 1° Quod nullus Patronus seipsum præsentare possit [1]; potest tamen filium, si idoneus sit; Episcopus tamen posset ipsi motu proprio conferre Beneficium modo ipse consentiat [2]... 2° Quod si duo ejusdem Beneficii Patroni, de præsentatione inter se non conveniant, Episcopus cuilibet voluerit e duobus nominatis illud conferre possit. Ita Layman, Lessius et alii communiter.

Quæres 4. *Quid habent singulare Beneficia patronatus utriusque?*

Resp. *sequentia:* 1° Quod Patrono laico ad præsentationem concedantur tantum quatuor menses a die vacationis Beneficii: sex vero Patrono ecclesiastico; si intra id tempus Patronus non præsentaverit, Episcopus pleno jure cuilibet illud conferre potest [3].

2° Si Patronus laicus duos successive præsentet ante institutionem, tunc potest Episcopus alterutrum pro arbitrio instituere; si Patronus sit ecclesiasticus, tunc prior tempore potior est jure [4].

3° Patronus ecclesiasticus variare non potest: unde si indignum nominavit, jure suo pro hac vice excidit, et Collator Beneficium pleno jure conferre potest cuilibet digno; e contra Patronus laicus variare potest: unde si præsentaverit indignum, potest et jubetur alterum dignum præsentare [5].

4° Beneficium patronatus Laici resignari, aut permutari non potest, nec pensione gravari absque Patroni consensu; bene quidem Beneficium patronatus Ecclesiastici. Ita Glossa in Clement. unicam *de Rerum permut.*

5° Quod Beneficium Laici patronatus non sit obnoxium præventioni Papæ, nec juri indultariorum, aut Graduatorum, aut gratiarum expectativarum; bene quidem Beneficium patronatus Ecclesiastici.

[1] Cap. *Per nostras, de Jure patron.* — [2] Ibidem. — [3] Cap. 3 *de Jure patronatus* — [4] Cap. *Cum autem, de Jure patron.* — [5] Glossa in cap. *Cum tos, de Officio Ordin.*, citans caput *Cum in cunctis, de Elect.*

Nota. Ad præsentationem accedit nominatio, qua Principes, ex indulto Summi Pontificis, nominant promovendos ad Prælaturas, vel dignitates ecclesiasticas in terris sibi subjectis. Item et universitates ad quædam beneficia vacantia, vel vacatura, de quibus vide Garciam, Rebuffum, etc.

§ III.

De Electione et subsequa Confirmatione.

Quæres 1. *Quid est Electio?*

Resp. Est *personæ eligibilis præ aliis assumptio ad Beneficium vacans.* Per eam acquiritur jus ad Beneficium : nam jus in Beneficio obtinetur sola confirmatione, quam electus, secluso impedimento, intra tres menses a notitia electionis acceptatæ, petere tenetur, alias electio est irrita [1]. Est autem

Confirmatio, *concessio juris in Beneficio facta a Superiore ei qui electus est.*

Quæres 2. *Quotuplici modo fieri potest Electio?*

Resp. *Triplici:* 1° Per scrutinium, cum quilibet eligentium suffragium suum secreto tradit; 2° per compromissum, cum eligendi potestas in unum, vel plures, communi electorum consensu transfertur; 3° per inspirationem, cum electores subito quodam motu in unum communiter consentiunt. Ita Concil. Lateran. IV, c. 24.

Quæres 3. *Quot requiruntur ad validam Electionem?*

Resp. *Quatuor:* 1° Ut omnes, qui jus eligendi habent, rite vocentur; non obstat tamen si aliquis vocatus noluerit, vel non potuerit venire [2].

2° Ut intra trimestre a die vacationis Beneficii fiat electio, nisi adsit legitimum impedimentum [3].

3° Ut electores sint saltem Subdiaconi, si agatur de

[1] Cap. 6 *de Elect.*, in 6. — [2] Cap. 28 *de Electione.* — [3] Cap. 1 *de Electione.*

electione virorum, nisi speciali privilegio aliud concessum sit [1].

4° Ut electorum pars major consentiat [2].

§ IV.

De Postulatione et subsequa Admissione

QUÆRES: *Quid est Postulatio?*

RESP. Est *obsecratio ab Electoribus facta Superiori, ut ad Beneficium vacans admittere velit aliquem qui alias eligi non poterat ob impedimentum Canonicum.* Sic illegitimus, bigamus, junior, etc., postulari quidem potest, sed non eligi [3].

Nota. Nullum jus dat Postulatio ante admissionem et Confirmationem.

§ V.

De Resignatione.

QUÆRES 1. *Quid sit Resignatio?*

RESP. Est *spontanea sui Beneficii dimissio facta coram legitimo Superiore eam acceptante.*

Dicitur 1° *spontanea:* hoc est, nec metu injusto, nec vi, nec dolo extorta, alioqui est nulla, vel certe annullanda [4].

Dicitur 2° *coram legitimo Superiore*, scilicet Papa, vel altero Collatore ordinario.

Dicitur 3° *eam acceptante:* si enim non admittatur a Superiore, resignans non perdit jus suum [5].

QUÆRES 2. *Quotuplex sit Resignatio?*

RESP. Duplex, nempe *simplex* et *conditionata.*

Simplex *est ea quæ fit sine conditione et pacto* [6]. Condi-

[1] Concil. Trident., sess. 22, c. 4. — [2] Concil. Lateran. IV, cap. 24.—[3] Cap. *Cum omnes, de Electione.* — [4] Cap. ult. *de Renunt.*, et Clem. 1 *de Pœnis.* [5] Cap. ultim. *de Renuntiatione.* — [6] Cap. *Tua nos, de Simonia.*

Resp. *negat*. Quia sacris Canonibus [1] a Trid. [2] confirmatis contrariatur. Olim tamen, sub ementitæ libertatis prætextu, sequentia in Gallia usurpabantur :

1° Si quis, in gravi infirmitate constitutus, resignaverat, dabatur ei regressus post recuperatam valetudinem sine nova collatione. Ita statuitur edicto ann. 1638[3]. Multa arresta huic juri conformia refert D. Brillon.

2° Si mutua permutatione facta, Beneficium deprehendebatur litigiosum, qui illud resignaverat, debebat litem prosequi, et si evictus fuerat, alter redibat ad suum, sine nova provisione [4], non tamen citra Judicis Regii, ut in aliis casibus, declarationem.

3° Si propter criminis capitalis accusationem cujus successus erat incertus, resignaverat Beneficium, illud repetendi jus habebat, postquam evaserat condemnationis sententiam [5].

4° Concedebatur regressus, si contingeret unum ex permutatis Beneficiis, vel nova pensione onerari, vel etiam veteri pensione, modo permutans quando permutavit, id ignoraverit. Ita judicavit Senatus Paris., arresto ann. 1565, die 7 decemb., relato a Charondas.

5° Si resignatarius conventam et a Papa approbatam pensionem non solvisset, ut probat Pontas [6], citans Mendosium, Azorium, Cabbassut.

Nota. Causa prohibendi collationes cum reservatione *accessus*, *ingressus* et *recessus*, fuit duplex : 1° ne speciem hæreditariæ successionis præbeant; 2° ne dent causam optandæ vel captandæ mortis alienæ.

[1] Alexander. III, cap. *Ex transmissa*, *de Renuntiatione ;* Clemens. III, cap. *Super*, et cap. *In præsentia*, eod. tit.—[2] Sess. 25, cap. 7 *de Reform.*— [3] Art. 20. — [4] V. *Regres.*, num. 24, 26, etc. —[5] Pontas, V. *Regres.*—[6] V. *Regres.*

§ VII.

De Subrogatione.

Quæres 1. *Quid sit Subrogatio?*

Resp. Est *unius vocatio in jus et locum alterius...*: solummodo locum habet inter duos de Beneficio litigantes, quorum si unus lite pendente e vivis excedat, superstes in jus et locum ipsius sufficitur. Quod ideo statutum est, ut lites inter Clericos tandem finiantur.

Quæres 2. *Quale est jus acquisitum per Subrogationem?*

Resp. Est ita firmum, ut licet mortuus collitigans jus suum tertio concessisset, et post mortem ejus, iste tertius Beneficium impetrasset, provisio istius tertii ipso jure irrita foret.

APPENDIX.

DE PENSIONIBUS.

Quæres 1. *Quid sit Pensio Clericalis?*

Resp. Est *jus percipiendi fructus ex alterius Beneficio.* Quo jure, utpote jure communi contrario, nullus uti potest absque Papæ auctoritate et institutione [1].

Quæres 2. *In quibus casibus creari possunt Pensiones?*

Resp. *In tribus:* 1° Ut tollatur Beneficiorum magna inæqualitas in permutatione facienda.

2° Ut lis inter duos de Beneficio collitigantes componatur.

3° Ut indigenti Sacerdoti qui Beneficio inservivit, subveniatur.

Quæres 3. *Quot requirantur conditiones ut Pensio licite obtineatur?*

[1] Ita definivit Concil. Rothom., tit. *de Episc. Officiis*, num. 20.

Resp. *Tres.* 1° Ut Pensionarius egeat, nec aliunde ad suam honestam sustentationem necessaria habere possit, ut probat Pontas [1].

2° Quod pensio tertiam partem fructuum non excedat. Ita docet Sylvius [2], Tolet. [3], Sotus [4]; unde Papa admittens resignationem cum pensione, semper apponit hanc conditionem: *Modo tertiam partem fructuum non excedat; alias præsens gratia nulla sit eo ipso.* Quamvis Papa ob justam causam possit majorem constituere.

3° Quod Titulario supersint ad victum et vestitum moderatum sufficientia [5].

ARTICULUS III.

E HIS QUIBUS BENEFICIA DEBENT CONFERRI.

Quæres 1. *Quinam sunt incapaces Beneficii possidendi?*

Resp. Sequentes ita sunt incapaces, ut eorum electio, nominatio, collatio, sint ipso jure nulla et irrita.

1° *Illegitimi*, ob irregularitatem, a qua solus Papa dispensare potest ad Ordines majores, Beneficia cum cura, et alia quæ requirunt Ordinem sacrum, qualia sunt Canonicatus, post Trident., Episcopus vero non nisi ad Tonsuram, minores Ordines et Beneficium simplex. Ita statuitur c. 1 *de filiis Presbyt.*

2° *Qui non receperunt primam Tonsuram* [6].

3° *Qui non habet Ordinem sacrum*, quod Beneficium ex sua institutione requirit [7]; ex consuetudine tamen satis est, si intra annum suscipiatur is ordo, sed non debet ultra differri [8]; quod si ultra differat nominatus, nisi justo impedimento detentus fuerit, Beneficio illo privatur ipso facto [9].

[1] V. *Pension*, cas. 4. — [2] V. *Beneficium.* — [3] *Instr. Sacerd.*, lib. v, cap. 83. — [4] Cap. 9, *de Jure et Just.*, quæst. 7, art. 2. — [5] Cap. *de Monachis*, et cap. *Cum causam, de Prœbendis.* — [6] Cap. 6 *de Transact.* — [7] Cap. 22 *de Elect.*, in 6. — [8] Ex Clement. 2 *de Ætate;* et Trident., sess. 22, cap. 4, — [9] Cap. 35 *de Elect.*, in 6.

Qui vero acceptat Parochiam sine animo recipiendi Sacerdotium intra annum, peccat mortaliter, et tenetur restituere fructus, etiam ante omnem sententiam, nisi mutata voluntate illud recipiat [1].

4° *Qui non habet ætatem idoneam* [2]. Hæc autem varia est pro varietate Beneficiorum.

Nam 1° ut quis ad Episcopatum assumatur, requiruntur 30 anni [3].

Ad Abbatias, dignitates cum cura et Parochias, annus 25 inchoatus [4].

Ad dignitates sine cura sufficit annus vigesimus secundus completus [5].

Ad Beneficia simplicia, ut sunt Capellaniæ, annus 14 inchoatus [6].

Ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis jure novo Trid. requiritur annus vigesimus primus, quia annexum habet Subdiaconatum; debet autem annus vigesimus primus esse completus.

5° *Qui est conjugatus* [7]; si Clericus minorum Ordinum habens Beneficium, contrahat matrimonium, ipso jure illud amittit [8], quia suscipit statum incompatibilem. Si sit Clericus sacrorum Ordinum, non amittit ipso facto Beneficium [9], quia matrimonium est irritum, sed eo est privandus [10].

6° *Qui est aliqua censura, vel irregularitate irretitus* [11].

Quæres 2. *Quodnam est peccatum conferre Beneficium indigno?*

Nota. Indignus est is qui ad Officium debite præstandum est ineptus ratione pravæ vitæ, vel putatur non futurus utilis Ecclesiæ, nec satisfacturus Officio.

[1] Cap. 35 *de Elect.*, in 6. — [2] Cap. 7 *de Elect.* — [3] Cap. cit. — [4] Cap. 7 *de Elect.*; et Trident., sess. 24, cap. 12. — [5] Trident., ibidem. — [6] Trident., sess. 23, cap. 6. — [7] Cap. 1, 2 et 8 *de Cleric. conjug.* — [8] Cap. 2, eodem tit. — [9] Cap. 1, eodem titul. — [10] Ibidem, et Glossa communiter recepta. — [11] Cap. 7 *de Clericis excomm.*, cap. 8, *de Ætate*, cap. 18, *de Sent. Excommun.*, in 6.

Resp. Est mortale quodvis Beneficium, etiam simplex, conferre indigno, eumve præsentare, aut eligere.

Ratio est, quia *Beneficium datur propter Officium;* ergo qui ineptus est ad Officium præstandum, arcendus est a Beneficio. Unde Concil. generale IV *præcipit* Collatoribus et Patronis sub pœna suspensionis a conferendis Beneficiis *ut, prætermissis indignis, idoneos assumant, qui Deo et Ecclesiis velint et valeant gratum impendere famulatum* [1].

Quæres 3. *Utrum ad quodlibet Beneficium simplex aut duplex, curatum vel non curatum, digniores sub mortali sint promovendi, prætermissis minus dignis* (Quæstio est de notabili dignioritate vel minoritate) ?

Resp. *affim. et probatur quoad Beneficia curata.*

1. Ex Concil. Trident. [2], hortante omnes Collatores, Patronos, Electores, *ut imprimis meminerint eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint.*

Nec refert quod Concilium ibi loquatur tantum de Episcopatibus; idem quippe statuit cap. 18 *de Parochiis,* præcipiens ut Parochiæ dentur dignioribus, et dicit Patronum teneri digniorem ad eas præsentare.

Nec comparativum *digniores*, quo utitur Trident., pro *positivo* sumitur, cum hæc insulsa interpretatio rejecta sit ab Innocent. XI, in *damnat. prop.* 47.

Prob. 2. In re gravi fidem debitam violare et accipere personas [3], est peccatum mortale ; atqui qui eligunt minus dignos, relictis dignioribus, fidem quam Ecclesiæ debent, violant, et accipiunt personas in re gravi : ergo, etc.

Prob. *quoad Beneficia non curata.*

1. Ex S. Thoma et S. Antonino, a quorum doctrina recedere in moralibus omnino periculosum est.

S. Thomas, de omnibus Beneficiis sermonem faciens,

[1] Refertur cap. *Grave, de Præb.* — [2] Sess. 24, cap. 1 *de Reformat.* — [3] Jacob. 2, 9.

ait : *Quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune* [1].

Div. Antoninus, disserens de puero cui simplex Beneficium fuit collatum, ait : *Jure divino illicitum est dare talia Beneficia talibus, nisi quando alii non inveniuntur, quia contra justitiam distributivam est, si detur minus digno... unde contempto meliore, sanctiore, justiore, dare alteri est grave peccatum* [2].

PROB. 2 *Ratione :* tum quia agere contra mentem fundatorum est peccatum mortale; atqui qui eligit minus dignum relicto digniore, agit contra mentem fundatorum, cum eorum intentio sit ut Beneficia dignioribus conferantur : ergo, etc.; tum quia committitur acceptio personarum in Beneficiis, si non dentur dignioribus, ut supra dictum est.

QUÆRES 4. *Utrum, prætermissis dignioribus, liceat interdum conferre Beneficium simplex dignis?*

RESP. In quibusdam eventibus licitum, juxta mentem interpretativam Fundatorum.

1° Cum id postulat charitas, ut si Clericus non possit inopia levari, nisi per Beneficium simplex.

2° Cum id postulat majus bonum Ecclesiæ, v. gr. ut digniores serventur pro Beneficiis curatis; vel ut pastor minus idoneus, a cura animarum amoveatur.

3° Cum Patronus præsentat dignum, huic debet conferri etsi sint magis idonei [3].

Nota. De bonorum Ecclesiasticorum usu et dominio dicemus in tract. *de Justitia*, diss. 2, cap. 2, art. 3, § 3.

[1] 2 2, q. 63, art. 2, ad 3. — [2] D. Antonin., 3 part., tit. 15, cap. 1, § 3.
[3] Causa 16, quart. 7, cap. *Monasterium.*

ARTICULUS IV.

DE BENEFICIORUM PLURALITATE.

Nota. Beneficia alia dicuntur *compatibilia*, alia *incompatibilia.*

Beneficia *compatibilia* sunt ea, quæ personalem residentiam non exigunt, nec idem Officium eodem tempore persolvendum.

Incompatibilia sunt duplicis generis :

Incompatibilia *primi generis* sunt ea, *quorum unum ipso facto, absque ulteriori sententia excludit alterum ;* ut sunt duo Beneficia curata, duæ Dignitates, duo Personatus, duo Officia [1]; item Præbendæ uniformes sub eodem tecto, v. gr. duo Canonicatus, duæ Capellaniæ concurrentes ad eamdem functionem in eadem Ecclesia [2].

Incompatibilia *secundi generis* sunt ea, *quæ simul retineri non possunt absque dispensatione : non tamen ita pugnant, ut primum vacet ipso facto, obtento secundo.* Ejusmodi sunt duo Beneficia absque animarum cura, postulantia residentiam, v. gr. duo Canonicatus in diversis Ecclesiis.

CONCLUSIO.

Seclusa justa causa, omnino illicitum et juri naturali morali contrarium est, plura simul possidere Beneficia etiam compatibilia et simplicia.

Nota. Hæc propositio hominibus qui, ut ait Trident., *improbæ cupiditatis affectu, plura simul Beneficia obtinere non erubescunt,* tam nauseosa, infinitis propemodum Conciliorum decretis et Pontificum ac Patrum oraculis est definita, quæ referre sigillatim, cum non ferat brevitas propo-

[1] Extrav. *Execrabilis, de Præbendis.* — [2] Cap. *Litteras, de Concessione præbend.*

sita, hic eorum rationes unico argumento perstringemus. Itaque

PROB. *proposit.* Juri ac æquitati naturali repugnat : 1° quod Ecclesiasticus ordo pervertatur; 2° quod minuatur cultus divinus; 3° quod animæ certo periculo exponantur; 4° quod justitia distributiva lædatur; 5° quod fraudetur voluntas Fundatorum; 6° quod defuncti injuste precibus atque suffragiis sibi debitis priventur, etc.

Atqui per pluralitatem Beneficiorum : 1° *Ecclesiasticus ordo pervertitur, quando unus plurium Officia occupat Clericorum* [1]. 2° *Minuitur cultus divinus* [2]. Deus enim magis per plures ministros, quam per unum colitur. 3° *Animæ certo periculo exponuntur* [3], cum inde profluant scandalorum occasiones et suppeditentur avaritiæ, luxus et ambitionis materiæ. 4° *Justitia distributiva laditur* [4], dum multi digni esuriunt, alii vero ebrii sunt. 5° *Fraudatur pia voluntas fundatorum* [5], quorum intentio fuit sua fundatione promovere cultum Dei, qui pluralitate Beneficiorum minuitur. 6° *Defuncti injuste suffragiis sibi debitis privantur*, dum unus pluribus obligationibus, nequit illis animabus satisfacere. Ergo, etc.

Dixi in prop., *seclusa justa causa:* nam, ut ait Toletus [6], *plura Beneficia habere, est de eorum numero quæ mala sunt; tamen possunt bona fieri, si aliquibus bonis circumstantiis copulentur;* ut occisio quæ, adveniente lege justitiæ, redditur licita et honesta.

QUÆRES 1. *Quænam sit justa causa possidendi aut conferendi plura Beneficia, sine Pontificis dispensatione?*

RESP. Unicam assignat Concil. Trident. [7], tenuitatem nimirum Beneficii, conceditque ut, si Beneficium *ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat, liceat*

[1] Concil. Trident., sess. 24, c. 17. — [2] Extrav. *Execrab. de Præbend.* — [3] Concil. Lateran. III, c. 23. — [4] Extrav. *Execrab., de Præbend.*; et D. Thom., Quodl. 5, art. 15.—[5] D. Thom., cit.—[6] *Instr. Sacer.*, lib. v, cap. 8. — [7] Sess. 24, c. 17.

aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.

Quæres 2. *An per dispensationem Pontificis licitum sit habere plura Beneficia requirentia residentiam?*

Resp. Id licitum esse, si adsit justa causa dispensandi. Dixi *si adsit justa causa:* sine qua non est tutus in conscientia, qui per dispensationem Pontificiam obtinuit plura beneficia, sed uno retento tenetur cætera resignare; ratio Cajetani [1] est, quia est contra jus naturale divinum ut unus habeat plura Beneficia; atqui Pontifex non potest dispensare in iis quæ sunt juris divini naturalis, nisi interveniat justa causa quæ turpitudinem tollat: ergo, etc.

Quæres 3. *Quænam sunt justæ causæ dispensandi in pluralitate Beneficiorum?*

Resp. *Sunt tres.* Prima est tenuitas Beneficii, ut supra dictum est.

Secunda est necessitas Ecclesiæ, v. gr. si desint alii, vel idonei, *quod hodie moraliter est impossibile,* ait Paulus a Lugduno [2].

Tertia est Ecclesiæ utilitas; sic filiis Principum et eximie doctis, dantur interdum Episcopatus, ut Ecclesiæ adversus hæreticos defendantur, ut posse fieri definit Concil. Lateran. IV [3].

Verum, ait Dominicus Soto [4], *ratio illa dispensandi solum habebat locum, quando Ecclesia vagiebat in cunis et potentia sæculari opprimebatur; jam vero hoc ætatis, si fas est dicere verum, nescio an eadem dispensationis causa, tam legitima existat.*

Attendant ergo qui coacervatis pinguescunt Beneficiis, ista Div. Bernardi verba: *Qui non unus est, sed plures in Beneficiis, non unus, sed plures erunt in suppliciis.*

[1] *In Summa*, v. *Beneficium.* — [2] *De Benef.*, art. 5. — [3] Rel. cap. *de Multa, de Præb.* — [4] *De Jure et just.*, lib. III, p. 4.

ARTICULUS V.

DE BENEFICIARIORUM RESIDENTIA.

QUÆRES 1. *Quid sit Residentia ?*

RESP. Est *in loco Beneficii commoratio, personalisque munierum Ecclesiasticorum functio.*

PROB. Ex Concil. Trident.[1] : *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, et bonorum operum exemplo pascere ; pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt ; sacrosancta Synodus eos admonet et hortatur ut divinorum præceptorum memores, factique gregis forma in judicio et veritate pascant et regant... declarat omnes... obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse, nisi ex causis infra scriptis*, etc.

Ex hoc decreto patet ipso jure divino naturali Beneficiatos curatos non solum ad residentiam teneri, sed et per seipsos personaliter munia sua explere ; cum residentia ipsis non præcipiatur, nisi propter officium ab ipsis personaliter debitum, juxta illud effatum : *Propter quod unumquodque tale et illud magis.*

Item *Canonici aliique Clerici præbendas vel dignitates in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis possidentes, similiter tenentur ad residentiam.*

PROB. Ex eodem Trident.[2], et iisdem rationibus ; cum, cæ-

[1] Sess. 23, cap. 1, *de Refor.* — [2] Sess. 24, cap. 12.

teris paribus, eadem sit erga ipsos et æque gravis obligatio.

QUÆRES 2. *Quibus pœnis afficiantur Beneficiarii non residentes?*

RESP. Privantur *ipso facto* Beneficiorum suorum fructibus *pro rata temporis absentiæ*, eosque restituere tenentur *fabricæ Ecclesiarum aut pauperibus, alia etiam declaratione* judicis *non secuta* [1]. Deinde ad residentiam possunt cogi *per censuras Ecclesiasticas, et substractionem fructuum, aliaque juris remedia etiam usque ad* (Beneficiorum suorum) *privationem* [2].

QUÆRES 3. *Quænam sint justæ causæ a residentia excusantes?*

RESP. Quatuor assignat Concil. Trident., ibidem, modo *ita provideant oribus, ut ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant* et a S. Sede petita licentia indulgeatur.

1° Est *Christiana charitas:* ut si aliqua Ecclesia in hæresis periculo versaretur, et Episcopi aut Parochi, aut Canonici prædicatione juvari possent.

2° Est *urgens necessitas:* cum nempe Beneficiarius residendo incurreret *periculum vitæ, vel propter morbum* sibi particularem, non communem, ut pestis; *vel propter persecutionem*, sibi personaliter factam; *vel propter aeris intemperiem* [3].

3° *Debita obedientia:* si nempe Beneficiarii ad aliquod aliud Ecclesiasticum negotium applicentur a Superioribus suis.

4° *Evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas:* sic excusantur: 1° qui in Officiis publicis a Rege destinantur; 2° qui deputantur ad docendam Theologiam, si nullus reperiatur idoneus; 3° Canonici studio Theologiæ ad quinquennium addicti, obtento prius indulto apostolico [4].

[1] Concil. Trident., sess. 23, c. 1. *de Ref.* — [2] Ibidem. — [3] Barbosa, *in Concil. Trident.*; sess. 23, c. 1 *de Ref.*, n. 8. — [4] Honorius III, in cap. *Super. Specul., de Magist.*

Nota 1. *Extra has causas* Episcopi possunt quotannis sive continue, sive interrupte, a suis Ecclesiis *ex justa causa* ad summum tribus mensibus abesse [1].

2. Canonici possunt duobus vel tribus mensibus sive continuate, sive interrupte abesse, *salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt* [2].

3. Extra quatuor causas supra enumeratas, nullum tempus absentiæ a Concil. Trident. Parochis conceditur; quod si habeant justam discedendi causam, debet esse *ab Episcopo cognita et probata, qui discedendi licentiam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa*, concedere non debet; quod si licentia discedendi concedatur, debent *Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione* relinquere [3].

ARTICULUS VI.

DE SIMONIA.

Tria de simonia occurrunt perpendenda sequentibus sectionibus : 1° natura, malitia et divisio ; 2° modi quibus committi potest ; 3° pœnæ quibus afficiatur.

SECTIO I.

De natura, malitia et divisione Simoniæ.

Quæres 1. *Quid sit Simonia ?*

Resp. Est *studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum* [4].

Dicitur 1° *studiosa :* id est deliberata, ut excludantur

[1] Trident., sess. 23, c. 1 *de Reform.* — [2] Trident., sess. 24, cap. 12. — [3] Trident., sess. 23. — [4] D. Thom., 2 2, q. 100, art. 1.

motus voluntatis non plene deliberati, vel procedentes ex ignorantia inculpata.

Dicitur 2° *voluntas :* ut includatur Simonia mentalis.

Dicitur 3° *emendi vel vendendi :* sub quibus terminis comprehenduntur omnes contractus onerosi, sive temporale detur ut *pretium* rei spiritualis, sive ut *motivum* ad acquirendum spirituale, sive tanquam rei spiritualis *gratuita compensatio*, prout definivit Innocentius XI [1]. Et e contra excluduntur omnia pacta non onerosa, nec novam obligationem addentia præter antidoralem, v. gr. si des aut promittas alteri pecuniam, ut ipse sit obligatus ad tibi in genere, non vero in specie remunerandum ; vel si petas aliquid spirituale gratis sine obligatione rigorosa, ut frequenter dantes eleemosynam solent a paupere preces petere [2] ; vel Episcopus conferens Beneficium Clerico in recognitionem, non vero compensationem gratitudinis ob obsequium præstitum, vel conferens indigno, sola ratione consanguinitatis, amicitiæ, sed gratis. Idque docet S. Thom. [3] dicens : *si aliquis aliquid spirituale alicui conferat propter quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita* (collatio), *non tamen simoniaca ;... unde hoc non pertinet ad contractum venditionis, in quo fundatur simonia* [4].

Dicitur 4° *aliquid spirituale :* id est res vel actio sacra ad salutem animæ specialiter ordinata, vel ad cultum Dei pertinens, ut dona Spiritus Sancti, oratio, Sacramenta, Reliquiæ Sanctorum : item omnis potestas supernaturalis ejusque usus, ut omnis actus ordinis et jurisdictionis Ecclesiasticæ.

Dicitur 5° *spirituali annexum :* id est, quod licet de se temporale sit atque naturale, aliquam tamen spiritualitatem et supernaturalitatem induit, propter connexionem quam habet cum rebus spiritualibus et supernaturalibus, quæ connexio potest fieri tripliciter.

[1] Innocentius. XI, *in damn. prop.* 45 et 46. — [2] S. Ligor., lib. v, num. 53. — [3] 2 2, quæst. 100, art. 5, ad 2. — [4] S. Ligor., ibid.

1° *Antecedenter*, præcedendo spirituale tanquam quid ordinatum ad illud; tale est jus Patronatus quod præcedit præsentationem ad Beneficium; talia sunt vasa vestimentaque sacra, altaria, quæ referuntur ad sacrificium Missæ.

2° *Concomitanter*, cum rei spirituali necessario est annexum et veluti intrinsecum, ut labor intrinsecus in administratione Sacramentorum, celebratione Missæ, etc.

3° *Consequenter*, cum rem sacram, a qua dependet, subsequitur, ut jus percipiendi Beneficiorum proventus, quod supponit officium spirituale, propter quod confertur.

Dices: Manca est ista definitio, deest enim hæc particula *pro re temporali;* ergo.

Resp. *Nego ant.* Illæ enim voces de industria omissæ sunt, ut nostra definitio conveniret omni Simoniæ, etiam illi quæ reperitur in permutationibus factis sine auctoritate Superioris, in qua non reperitur temporale pretium.

Quæres 2. *Quotuplex est Simoniæ pretium?*

Resp. *Triplex*, scilicet munus a manu, a lingua, ab obsequio.

Munus a manu, est pecunia, vel aliud pecunia æstimabile, v. gr. solutionis dilatio, mutui traditio, pensionis solutio, tum ex parte solventis, tum ex parte recipientis, tum ex parte Episcopi convenientis, remissio debiti.

Munus a lingua, est favor, patrocinium, intercessio, laus, commendatio apud alium, etc.

Munus ab obsequio, est quodvis obsequium alteri præstitum vel præstandum, ad rem spiritualem ab ipso comparandam, v. g. si Episcopus conferat beneficium famulo ut sibi gratis inserviat.

Quæres 3. *Quale sit peccatum Simoniæ?*

Resp. Est gravissimum peccatum contra religionem et justitiam, nec potest fieri veniale ex levitate materiæ.

Dixi 1° *contra Religionem:* quia est species quædam sacrilegii, quatenus per ipsam res sacra turpiter et indigne tractatur, cum terrestri et profanæ adæquetur.

Dixi 2° *contra justitiam:* quia per Simoniam aliquis usurpat dominium rerum quod non habet; unde omnes actus simoniaci sunt irriti, et obligant ad restitutionem.

Dixi 3° *nec potest fieri veniale ex levitate materiæ:* quod est certum in Simonia de jure naturali, tum rei spiritualis, cum nulla sit, vel minima, quæ pretio æstimari possit absque gravi, tum ipsiusmet doni, tum Donatoris, nempe Dei, irreverentia et contemptu; tum rei temporalis pro spirituali datæ; nam quo vilior est res illa temporalis, eo majus est rei spiritualis vilipendium. Verum in Simonia tantum de jure Ecclesiastico, probabiliter docent Navarrus, Zeroll, quibus consentire videtur Croix, dari posse parvitatem materiæ. Ratio, quia tunc non accipitur temporale pro pretio rei spiritualis, et ideo non fit injuria rei spirituali; sed peccatur tantum contra præceptum Ecclesiæ prohibentis tantum speciem Simoniæ; atqui in præceptis Ecclesiæ datur parvitas materiæ: ergo, etc. [1].

QUÆRES 4. *Quotuplex sit Simonia?*

RESP. Simonia dividitur 1° in eam quæ est *juris divini*, et in eam quæ est *juris humani ecclesiastici.*

Simonia juris divini est *rei temporalis commutatio pro re spirituali qua talis;* unde est prohibita quia est intrinsece mala.

Simonia juris humani est *pactio quælibet aut conventio, quæ ab Ecclesia sub pœnis simoniæ inhibetur, quatenus labem redolens simoniacam.* Lex enim facit ut objectum suum sit materia virtutis illius, ex cujus motivo fertur: sic commercium a non jejuno est sacrilegium, quia Ecclesia ex motivo reverentiæ vetuit sumptionem cujuslibet rei ante communionem.

Dividitur 2° in *realem, mentalem*, et *conventionalem.*

Simonia realis est *pactio simoniaca, ex utraque parte completa saltem inchoate.*

Dicitur 1° *Pactio.* scilicet expressa vel implicita.

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 59.

Dicitur 2° *saltem inchoate* : quia ad Simoniam realem sufficit solutio partis pretii, aut traditio instrumenti pro debito, cum receptione rei spiritualis, vel spirituali annexæ.

Simonia mentalis est *datio rei spiritualis pro temporali, vel temporalis pro spirituali, nullo pacto etiam tacito interveniente:* ut, si quis serviat Episcopo ea intentione ut pro temporali obsequio ei procuret Beneficium, nulla tamen verbis, vel nutibus facta conventione. Hæc est vera Simonia, et ejusdem speciei coram Deo cum Simonia reali [1], vocaturque *peccatum Simoniæ mentalis*, ut distinguatur ab interna voluntate committendæ Simoniæ absque externa executione, quæ vocatur *peccatum mortale Simoniæ.*

Simonia conventionalis est *pactio exterius ex una vel utraque parte facta, dandi vel accipiendi rem temporalem pro spirituali;* et est triplex, scilicet, *pure conventionalis*, *mixta*, et *confidentiæ.*

Conventionalis pure est *ea in qua ex neutra parte pactum executioni est mandatum.*

Conventionalis mixta est *ea in qua pactum ex una parte executioni est mandatum.* Est mixta conventionali et reali.

Simonia confidentiæ est *ea qua quis alteri confert aut procurat Beneficium, cum pacto expresso tacito, ut is cui procuratur, illud aliquando sibi vel alteri resignet, vel pensionem absque Superioris auctoritate ex eo solvat.*

Unde est species Simoniæ conventionalis mixtæ cum ex una parte sit completa.

Quæres 5. *Quot modis committitur confidentia?*

Resp. Committitur quatuor modis.

1° *Per accessum*, ut cum Prælatus volens alicui per ætatem incapaci procurare Beneficium, illud confert alteri, eo pacto ut quamprimum incapax factus fuerit capax, illud accipiat.

[1] Cap. 34 *de Simon.*

2° *Per ingressum*, ut cum quis Beneficium sibi collatum, ante captam ejus possessionem, alteri resignat, eo pacto ut illud postea ingrediatur, si iste moriatur, vel Beneficium dimittat.

3° *Per regressum*, ut cum quis Beneficium a se possessum, alteri resignat, eo pacto ut iste sibi vel alteri, idem Beneficium resignaturus sit convenienti tempore.

4° *Per stipulationem pensionis*, sibi vel alteri ex fructibus Beneficii dandæ.

Porro, ad hanc Simoniam requiritur ut accessus, ingressus, regressus, sint in idem Beneficium; alias non erit Simonia confidentialis, sed conventionalis mixta, vel realis, si utrimque sit completa.

QUÆRES 6. *In quibus contractibus committatur Simonia juris humani?*

RESP. Committitur 1° *datione*, etiam spontanea, et acceptatione munerum ex occasione examinis ad Beneficia [1]. Item ex occasione collationis Ordinum, Tonsuræ, Litterarum dimissoriarum, vel testimonialium [2].

Dixi *ex occasione*: nam si darentur pro collatione Ordinum, pro Litteris dimissoriis, etc., esset Simonia juris divini, cum isti actus sint spirituales, utpote procedentes a potestate spirituali ordinis aut jurisdictionis.

Committitur 2° in *venditione Officiorum* quorumdam temporalium, quæ regimen Ecclesiæ temporale spectant, ut sunt officia Œconomi, Sacristæ, Advocati, Defensoris Ecclesiæ, etc. [3]; in his enim Officiis est quædam dignitas propter quamdam conjunctionem quam habent cum supellectili sacra, rebus et ministris Ecclesiæ.

Committitur 3° *venditione Chrismatis*, etiam secundum materiam [4]. Item venditione Ecclesiæ [5], vel Cœmeterii [6].

Committitur 4° in *permutatione Beneficiorum* sine auc-

[1] Concil. Trident., sess. 24, cap. 18 *de Reform.* — [2] Trident., sess. 21, c. 1 *de Rform.* — [3] Cap. *Si quis Episcop.*, 1, quæst. 1, et cap. *Solv.*, cap. 1, quæst. 3. — [4] Cap. *Si quis Episc.*, 1 quæst. — [5] Cap. 15 *de Simon.* — [6] Cap. 13 *de Sepult.*

toritate Prælati, nullo interveniente pretio : *item* in resignatione in favorem sine auctoritate Papæ. *Item* in resignationibus confidentiariis [1].

SECTIO II.

De modis quibus Simonia committi potest.

Nota. Innumeris modis committi potest Simonia, quos, claritatis causa, sub diversis paragraphis exponemus.

§ I.

De Simonia in vendendis temporalibus spirituali annexis.

1. Est Simonia carius vendere rem temporalem annexam antecedenter spirituali, propter spiritualem cui annexa est.

Dixi *carius:* quia licite emi et vendi potest nisi prohibeatur, quia res illa retinet suum valorem intrinsecum, nec ita dependet a re spirituali, ut ea vendita, hæc censeatur vendi.

Hinc vendi possunt, fundus cui annexum est jus patronatus, vasa sacra, ornamenta sacra, etc.

2. Est Simonia vendere rem concomitanter annexam spirituali, ut labor necessarius ad exercendam sacram functionem, v. gr. Missam celebrandam. Ratio est, quia hæc actio ita intrinseca est actioni spirituali, ut vendi non possit, quin actio spiritualis vendatur. Secus vero si labor sit extrinsecus, puta si Sacerdos celebret Missam cum cantu, vel tali hora, aut tali loco, vel simili. Ratio est, quia talis labor cum sit extrinsecus, vendi potest quin actio spiritualis vendatur, et aliunde pretio temporali est æstimabilis. *Ita omnes.*

3. Est Simonia vendere rem consequenter annexam

[1] Cap. *Quasitum, et permut.*, cap. ult. *de Pactis.*

2° *Per ingressum*, ut cum quis Beneficium sibi collatum, ante captam ejus possessionem, alteri resignat, eo pacto ut illud postea ingrediatur, si iste moriatur, vel Beneficium dimittat.

3° *Per regressum*, ut cum quis Beneficium a se possessum, alteri resignat, eo pacto ut iste sibi vel alteri, idem Beneficium resignaturus sit convenienti tempore.

4° *Per stipulationem pensionis*, sibi vel alteri ex fructibus Beneficii dandæ.

Porro, ad hanc Simoniam requiritur ut accessus, ingressus, regressus, sint in idem Beneficium; alias non erit Simonia confidentialis, sed conventionalis mixta, vel realis, si utrimque sit completa.

QUÆRES 6. *In quibus contractibus committatur Simonia juris humani?*

RESP. Committitur 1° *datione*, etiam spontanea, et acceptatione munerum ex occasione examinis ad Beneficia [1]. Item ex occasione collationis Ordinum, Tonsuræ, Litterarum dimissoriarum, vel testimonialium [2].

Dixi *ex occasione*: nam si darentur pro collatione Ordinum, pro Litteris dimissoriis, etc., esset Simonia juris divini, cum isti actus sint spirituales, utpote procedentes a potestate spirituali ordinis aut jurisdictionis.

Committitur 2° in *venditione Officiorum* quorumdam temporalium, quæ regimen Ecclesiæ temporale spectant, ut sunt officia Œconomi, Sacristæ, Advocati, Defensoris Ecclesiæ, etc. [3]; in his enim Officiis est quædam dignitas propter quamdam conjunctionem quam habent cum sacellectili sacra, rebus et ministris Ecclesiæ.

Committitur 3° *venditione Chrismatis*, etiam secundum materiam [4]. Item venditione Ecclesiæ [5], vel Cœmeterii [6].

Committitur 4° in *permutatione Beneficiorum* sine auc-

[1] Concil. Trident., sess. 24, cap. 18 *de Reform.* — [2] Trident., sess. 21, c. 1 *de Reform.* — [3] Cap. *Si quis Episcop.*, 1, quæst. 1, et cap. *Solv.*, cap. 1, quæst. 3. — [4] Cap. *Si quis Episc.*, 1 quæst. — [5] Cap. 15 *de Simon.* — [6] Cap. 13 *de Sepult.*

toritate Prælati, nullo interveniente pretio : *item* in resignatione in favorem sine auctoritate Papæ. *Item* in resignationibus confidentiariis [1].

SECTIO II.

De modis quibus Simonia committi potest.

Nota. Innumeris modis committi potest Simonia, quos, claritatis causa, sub diversis paragraphis exponemus.

§ I.

De Simonia in vendendis temporalibus spirituali annexis.

1. Est Simonia carius vendere rem temporalem annexam antecedenter spirituali, propter spiritualem cui annexa est.

Dixi *carius:* quia licite emi et vendi potest nisi prohibeatur, quia res illa retinet suum valorem intrinsecum, nec ita dependet a re spirituali, ut ea vendita, hæc censeatur vendi.

Hinc vendi possunt, fundus cui annexum est jus patronatus, vasa sacra, ornamenta sacra, etc.

2. Est Simonia vendere rem concomitanter annexam spirituali, ut labor necessarius ad exercendam sacram functionem, v. gr. Missam celebrandam. Ratio est, quia hæc actio ita intrinseca est actioni spirituali, ut vendi non possit, quin actio spiritualis vendatur. Secus vero si labor sit extrinsecus, puta si Sacerdos celebret Missam cum cantu, vel tali hora, aut tali loco, vel simili. Ratio est, quia talis labor cum sit extrinsecus, vendi potest quin actio spiritualis vendatur, et aliunde pretio temporali est æstimabilis. *Ita omnes.*

3. Est Simonia vendere rem consequenter annexam

[1] Cap. *Quæsitum, et permut.*, cap. ult. *de Pactis.*

spirituali, ut jus percipiendi Ecclesiasticos reditus. Ratio est, quia hæc res non potest acquiri nisi ratione officii spiritualis; ergo nec vendi, nisi vendatur spirituale ei præsuppositum.

§ II.

De Simonia circa Missarum celebrationem, Sacramentorum administrationem.

1. Probabilius non est Simonia mentalis et mortalis, Missam celebrare, Horis canonicis interesse, Sacramenta administrare, *etiam principaliter* mercedis temporalis intuitu.

Dixi *etiam principaliter*, ita ut quis nec Missam celebraret, nec Sacramenta administraret, nisi hanc mercedem temporalem speraret : quia temporale non accipitur pro pretio spirituali unum cum alio æquiparando, sed tanquam stipendium ex justis debitum. Aliunde, qui dat stipendium, arguit Croix, principaliter propter Missam, numquid dicitur simoniacus? Sic, vice versa, neque Simoniam committit, qui dicit Missam principaliter ob stipendium. Ita Suarez, Pal., Sot., Dian., Sanch., Sylv., Croix et alii cum S. Lig., qui notat tamen sacra ministeria peragere principaliter ob emolumentum temporale non facile excusari potest a culpa veniali, cum sit quædam inordinatio dirigere spiritualia ad temporalia [1].

2. Non est Simonia ex functionibus Ecclesiasticis temporalia suscipere, imo et exigere per modum justi stipendii ac sustentationis *secundum ordinationem Ecclesiæ et consuetudines approbatas*, ut ait Div. Thom. [2], *modo tamen*, addit Div. Doctor. [3], *ab invitis non exigatur per spiritualium abstractionem ; hoc enim haberet quamdam venditionis speciem.*

Ratio resolutionis est, quia *dignus est operarius cibo*

[1] Lib. v, num. 54.—[2] 2 2, quæst. 100, art. 2, in corp.—[3] Ibidem, art. 3, in corp.

suo [1]. Unde Concil. Constantiense damnavit hunc Wiclefi articulum : *Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.*

3. Nec est Simonia, in urgente necessitate, Ministro nolenti Sacramenta conferre, aliquid retribuere, non tanquam rei sacræ pretium, sed ad injustam vexationem redimendam, id est, ut ait Lessius [2], *ad alliciendum animum ut pravam voluntatem non dandi deponat et in bonum commutet, quod sane licitum est.*

4. Non est Simonia aliquid accipere pro docenda Theologia, quia, licet versetur circa objectum supernaturale, tamen actio eam docendi per se primo non ordinatur ad animæ salutem, neque immediate dirigitur ad movendam voluntatem, sed exercitandum intellectum audientis. Aliud est de catechesi vel concione, pro qua præcise aliquid accipere est simoniacum, cum pro fine habeant instructionem ad salutem animæ immediate ordinatam.

5. Simonia est, juri divino opposita, dare vel exigere quidpiam in pretium dispensationis voti, juramenti, matrimonii, etc., quia dispensare est usus potestatis spiritualis... Potest tamen Prælatus, his cum quibus dispensat, imponere per modum mulctæ, onus eleemosynam erogandi pauperibus vel Ecclesiæ, modo ex hac mulcta nullum emolumentum ipsemet suscipiat : hoc enim prohibetur a Concilio Tridentino [3].

§ III.

De Simonia circa Religionis ingressum.

1. Dare vel accipere aliquid pro ipso ingressu Religionis vel professione, tanquam pretium aut motivum ingrediendi vel profitendi, est Simonia, quia Religio est status

[1] Matth. 10. — [2] Lib. II, cap. 35, dub. 7, num. 43. — [3] Sess. 25, cap. 18 *de Reform.*

spiritualis perfectionis, cum per eum homo se Deo totaliter devoveat [1].

2. Si tamen Monasterium sit egenum, nec absque gravamine novos candidatos suscipere possit, licitum est pro eorum victu et sustentatione, necessaria pacisci et accipere ; modo candidati vere gratuito ad Religionem admittantur, nec eorum pecunia principaliter intendatur; ratio est, quia temporale, nempe dos, non datur pro spirituali sed pro temporali, nempe pro sustentatione quam Communitas egena non debet.

3. Etiamsi dives sit Monasterium, potest, juxta Trident. [2], aliquid recipere pro victu et vestitu Novitii, durante novitiatu. Ratio est, quia Novitii non habent jus ut alantur ex communibus Monasterii bonis, nisi fiant Communitatis membra; porro non fiunt membra Communitatis, nisi cum eidem se per professionem solemnem alligant.

§ IV.

De Simonia circa varios modos ambiendi et conferendi Beneficia.

1. Est Simonia dare vel promittere alteri aliquod munus sive a lingua, sive ab obsequio, *ea principali intentione*, ut ab eo Beneficium obtineat, vel ut ille alter curet ut sibi vel alteri detur Beneficium [3]. Ratio est, quia munere temporali intenditur obtentio Beneficii, eoque medio comparatur.

Dixi *principali intentione:* quia si principaliter intendat omnia munia sua ad gloriam Dei obire, a Simonia excusatur, licet secundaria intentione de obtinendo Beneficio cogitaret.

2. Collator aut Patronus qui Beneficium confert aut pro-

[1] 2 2, quæst. 100, art. 3. — [2] Sess. 5, cap. 16 *de Regular.* — [3] Cap. 1, can. 1, quæst. 3.

curat Clerico propter obsequia sibi personaliter exhibita, maxime in rebus suis domesticis, Simoniam committit, juxta definitionem Alexandri III [1].

3. Simoniacum est pactum reparandi ecclesiam, dandi aliquid fabricæ, vel pauperibus, etc., ad obtinendum Beneficium [2].

4. Qui ad preces amici Clerico Beneficium confert, si per hoc intendat oratorem sibi obligare, committit Simoniam muneris a lingua [3]. Si tamen Clericus est dignus, excusatur a Simonia, *quia subest justa causa*, ut addit Div. Thomas.

5. Vera non est Simonia, sed *illicita et carnalis collatio*, ait Div. Thomas [4], gratis conferre Beneficium amico vel consanguineo principaliter propter amicitiam qua eum prosequitur. At Simonia est, si conferas aut procures Beneficium principaliter cujuslibet temporalis emolumenti intuitu, v. gr. *ut inde honoratior vel opulentior fiat tua familia*, etc. [5].

§ V.

De Simonia circa Resignationes et Permutationes.

Nota. Juxta definitionem Canonum [6], *omnes pactiones super Beneficiis in quibus non intervenit Sedis Apostolicæ approbatio, illicitæ sunt atque simoniacæ.*

Ratio legis est, quia in pactione et commutatione rei spiritualis, cui temporale commodum annectitur, periculum est ne id fiat intuitu rei temporalis; resignatio vero in favorem prohibita est ad tollendam omnem speciem hæreditatis in Beneficiis.

Ex hac lege multa ad praxim necessaria deducuntur.

1. Simoniaca est omnis resignatio in favorem alterius,

[1] Cap. *Cum essent, de Simonia.*—[2] Cap. *Ex multis*, 1, quæst. 3.—[3] D. Thom., 2 2, quæst. 100, art. 5, ad 3.—[4] Ibidem. —[5] D. Thomas, in 4, dist. 25, quæst. 3, art. 3, ad 7. —[6] Cap. 34 *de Simon.*, et cap. 5 *de Reg. permut.*; et Concil. Rothom. 8, cap. *de Episcopis et Conf.*, num. 20.

vel cum reservatione pensionis, facta sine auctoritate Papæ [1].

2. Simoniaca est resignatio facta cum pacto, ut resignatarius solvat expensas factas a resignante ut Beneficium obtineret, vel ut Beneficii ædificia resarciret aut augeret.

3. Simoniaca est permutatio, si permutantes compensent auctoritate propria inæqualitatem fructuum pecunia, vel pensione; aut si unus illorum alteri imponat aliquod onus quod sit præter naturam permutationis, v. gr. omnes sumptus solvendi.

4. Nulla est nec canonica permutatio, nisi Beneficiorum ad quæ compermutantes vere, legitime et actualiter sunt promoti; *item* illicita est Beneficii actualiter possessi permutatio cum altero in futurum etiam certissime obtinendo, prout statuit Innocentius III [2].

5. Simoniaca est electio eorum qui inter se paciscuntur mutuo sibi conferre ad dignitates suffragia.

6. Simoniacum est, et sub pœna excommunicationis *ipso facto* incurrendæ prohibitum [3], suffragia in electionibus quovis commodo terreno emere; et qui sic fuit electus, dignitatem tenetur dimittere, cum electio ejus *ipso jure* nulla sit atque irrita.

§ VI.

De Simonia in Transactionibus et Compositionibus.

1. Simoniaca et nulla est omnis transactio, vel cessio juris etiam dubii circa Beneficium non gratuita, propria auctoritate facta [4], etiamsi detur spirituale pro spirituali.

2. Simoniaca est transactio ad impediendam vel dirimendam litem super Beneficio, hoc pacto, ut unus litigantium cedat juri suo pro pecunia, et alteri Beneficium pa-

[1] Ex tit. *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.* — [2] Cap. *Cum univers., de Rer. permut.* — [3] Extravag. *Detestabile.* — [4] Cap. 7 *de Transact.*

cificum relinquat; vel hoc pacto, ut unus desistat, modo alter solvat impensas factas [1], si fiat propria auctoritate.

Item hoc pacto, ut unus beneficium, alter pensionem super beneficio habeat, quia hujusmodi pensiones Ecclesia solum tolerat, quando constituuntur, *non ex pactione partium, sed ex jussione judicum, pro bono pacis et utilitatis* Ecclesiæ utique, non privatorum, illisque beneficium non oneratur, sed beneficiarii persona duntaxat, ita ut, ipso defuncto, ejus successor ad pensionis solutionem non teneatur, nec judices quicumque, sed arbitri duntaxat, in quos compromissum est, id decernere possunt: quod dum faciunt, Sedes Apostolica id non tam probat quam tolerat, ait Innocent. III [2].

Dixi in utroque casu, *si fiat auctoritate propria:* quia auctoritate Superioris factæ illæ compositiones et transactiones ob bonum temporalis pacis approbantur a jure [3].

3. Semper simoniacum est dare spirituale ad redimendam vexationem injustam, sive ad obtinendum Beneficium, sive post obtentum Beneficium, quia tunc spirituale datur in compensationem mali temporalis vitandi; quæ compensatio ex se est pretio æstimabilis.

4. Simonia est redimere justam vexationem post obtentum et possessum Beneficium; nam eo ipso quod justa est vexatio, sequitur quod jus in Beneficio non sit omnino firmum, vel auferri possit, v. gr. propter crimen; unde tunc daretur pretium ad confirmationem vel conservationem Beneficii quod est quid spirituale.

5. Simonia est quodlibet munus offerre ad redimendam vexationem injustam: 1° qua quis impeditur ne jus acquirat ad Beneficium; 2° qua quis jam habens jus inchoatum per præsentationem, impeditur ne jus plenum obtineat per collationem, confirmationem, etc. [4]. Ratio est, quia jus sive inchoatum per præsentationem, sive ple-

[1] Cap. 4 *de Pactis.* — [2] Cap. *Nisi essent, de Præbendis.* — [3] Cap. 2 *de Arbit.* — [4] Cap. 23 *de Simon.*

num per collationem aut confirmationem, est quid spirituale, quod pretio temporali acquirere velle simoniacum est.

6. Immunis est a simonia, qui pretio temporali injustam vexationem redimit, qua impeditur a possessione pacifica Beneficii, ad quod jus plenum et perfectum habet; ut definitur a Jure [1]. *Ratio* est, quia tunc non datur pretium pro re spirituali, cum hæc vere sit acquisita, sed solum pro liberatione ab injuria, quæ est quid temporale, et nihil acquiritur de novo; ita Div. Thom. [2], qui docet quod *antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel dignitate, vel præbenda, per electionem, vel provisionem, seu collationem, seu Canonicam institutionem, vel confirmationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere. Sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam jus alicui acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.*

7. Simoniam committit qui, ad injustam vexationem redimendam, dat aliquid spirituale, vel quasi spirituale, v. gr. Beneficium, pensionem Ecclesiasticam, vel officium Ecclesiasticum; quia talis redemptio est temporalis pretioque æstimabilis; atqui simoniacum est dare spirituale pro temporali: ergo, etc.

SECTIO III.

De pœnis Simoniæ.

Nota 1. Licet quælibet simonia, etiam mentalis, sit grave crimen, tamen nullæ pœnæ Canonicæ incurruntur: 1° ob simoniam pure mentalem, sed sufficit *per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori*, ut ait Gregor. IX [3]; 2° ob simoniam pure conventionalem et conventionalem mix-

[1] Cap. 28 *de Simon.* — [2] 2 2, quæst. 100, art. 2, ad 5. — [3] Cap. 46, *de Simon.*

tam, excepta confidentiali; quia jura has pœnas statuentia *realem rei spiritualis receptionem requirunt* [1].

Dixi *realem rei spiritualis receptionem:* quia multi asserunt pœnas Canonicas incurri ob simoniam conventionalem mixtam, dum res spiritualis est tradita, licet nondum sit solutum pretium promissum; ratio eorum est quia tunc simonia videtur completa exterius, sicut contractus venditionis censetur completus, si res sit tradita et pretium promissum, etsi nondum solutum... Alii tamen communius docent solam simoniam realem in qua intervenit munus a manu, inducere pœnas juris, tum quia hæc est praxis Curiæ Romanæ; tum quia pœnæ juris impositæ pro aliquo actu, intelliguntur de actu exterius ex omni parte consummato, nisi lex aliud clare exprimat, cum ex Reg. juris. *Odia sint restringenda.* Huic sententiæ adhæreo.

Igitur duæ duntaxat simoniæ species pœnis Canonicis sunt obnoxiæ: prima est simonia realis et hæc a manu; secunda est confidentialis.

Nota 2. Nullam pœnam a jure latam esse nisi pro simonia commissa in ingressu Religionis, vel in Ordinatione, vel in Beneficio; nomine autem Beneficii comprehenduntur etiam Officia jurisdictionem spiritualem habentia; ut Provincialatus, Prioratus, Guardianatus, etc. Colligitur ex extrav. *Detestabile, de Simon.* De his triplici paragrapho.

§ I.

De pœnis Simoniæ in ingressu Religionis perpetratæ.

Quæres. *Quot sunt pœnæ Simoniæ pro ingressu Religionis?*

Resp. *Sunt tres.* 1ª Est excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt omnes et singuli sive dantes, sive recipientes [2].

[1] Extrav. 1 et 2 *de Simon.* — [2] Extrav. *Sanc. de Simon.*

2 Suspensio ab Officiis Capitularibus Papæ reservata, lata in Conventum, si consenserit [1].

3 Simoniace scienter admissus, si per sententiam fuerit convictus, in arctius Monasterium debet detrudi, nec absque dispensatione Papæ in eodem Monasterio manere potest [2].

§ II.

De pœnis Simoniæ in Ordinatione perpetratæ.

Quæres. *Quot sunt pœnæ Simoniæ in Ordinatione commissæ?*

Resp. *Sunt tres.* 1ª Est excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt, tum Ordinans, tum Ordinatus, tum Ordinationis mediatores [3].

2ª Sic Ordinatus ignoranter, suspensus est ipso jure ab Ordine simoniace suscepto ; scienter vero simoniace Ordinatus suspensus est ab omnibus simpliciter Ordinibus [4].

3ª Simoniace Ordinans suspensus est per triennium a collatione omnium Ordinum [5]. Et ubi recepta est Bulla Sixti V *Sacrum* (non est recepta in Gallia), suspensus est a collatione omnium Ordinum, etiam primæ Tonsuræ, et ab executione omnium munerum Pontificalium, et interdictus est ab ingressu Ecclesiæ.

§ III.

De pœnis Simoniæ in Beneficiis commissæ.

Quæres 1. *Quot sunt pœnæ Simoniæ in Beneficiis commissæ?*

Resp. *Tres.* 1ª Excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt qui Beneficium simoniace susceperunt, contulerunt, aut quovis modo procuraverunt [6].

[1] Extrav. *Sane, de Simon.* — [2] Cap. 25, *de Simon.* — [3] Extravag. *Cum detestabile, de Simon.* — [4] Ibidem. — [5] Cap. 45, *de Simon.* — [6] Extravag. *Cum detestabile.*

2ª Irrita est ac nulla simoniaca electio, præsentatio, resignatio, collatio, nullumque jus tribuit; ita ut simoniace provisus, etiam occultus, teneatur ante omnem sententiam Beneficium dimittere, et omnes fructus restituere Ecclesiæ ejusdem Beneficii, cum nullum jus in Beneficium acquirat [1].

3ª Qui simoniace electus vel provisus fuit, est ipso facto inhabilis ad idem Beneficium, nec potest illud ex Episcopi dispensatione obtinere [2].

QUÆRES 2. *Quot sunt pœnæ Simoniæ confidentialis?*

RESP. Hæ pœnæ ex Bulla 85 Pii IV, et Bulla 85 Pii V, sunt:

1ª Excommunicatio Papæ reservata contra utrumque contrahentem, si sint inferiores Episcopis; nam Episcopi incurrunt solum interdictum ab ingressu Ecclesiæ.

2ª Privatio Beneficii per confidentiam obtenti, et quidem ante omnem sententiam, cum ejus collatio nulla sit.

3ª Inhabilitas ad idem Beneficium, et ad alia acquirenda.

4ª Privatio Beneficiorum antea legitime possessorum, et pensionum prius obtentarum; non tamen ante sententiam judicis declaratoriam, cum justo titulo possideantur: unde usu ita est recepta Bulla.

5ª Beneficia per confidentiam collata et accepta reservata sunt Papæ, nec possunt ab Ordinariis conferri.

6ª In prædictis Bullis fructus Beneficiorum per confidentiam acquisitorum, et pensionum sic constitutarum, reservantur Cameræ Apostolicæ; sed hæc reservatio in Gallia non observatur.

QUÆRES 3. *Utrum simoniace promotus pœnis Canonicis sit obnoxius, dum ipso ignorante, ab alio perpetrata est Simonia, v. gr. a patre aut amico, qui per Simoniam ipsi procuravit Beneficium?*

RESP. Licet sic promotus non incurrerit pœnam excom-

[1] Extrav. *Cum detestabile.* — [2] Cap. 27 *de Simon.*, et cap. penult. *de Elect.*

municationis, cum sit a culpa immunis, attamen invalida est ejus provisio, et ad Beneficium obtinendum fit inhabilis [1].

Hinc tenetur, ante omnem sententiam, Beneficium dimittere, et omnes fructus perceptos extantes restituere, non tamen eos quos bona fide consumpsit, cum eos bona fide possederit. Ita Div. Thom. [2]. Ratio est, quia irritatio directe fertur a jure [3] in omnem acquisitionem quæ fit per simoniacam labem, nec ad hanc requiritur culpa, vel scientia acquirentis aut conferentis.

Excipiuntur duo casus, in quibus a jure declaratur valida collatio, ignorante proviso, simoniace facta.

Primus est, si provisi inimicus, ipso ignorante, pretium obtulerit, ut eum ad illud Beneficium obtinendum inhabilem redderet [4].

Secundus est, si provisus hanc resciens Simoniam expresse contradixerit : modo postea non acceptaverit, vel pretium ab illo promissum non solverit [5].

Porro, juxta plures, ignoranti Simoniam non favet regula Cancellariæ de triennali possessione ad præscriptionem, quia expresse exigit ut possessio sit *absque simoniaco ingressu ;* sed multi alii docent eum qui, mediante tertii Simonia, Beneficium accepit, posse illud retinere, si integro triennio hanc Simoniam ignoraverit, quia illa verba, *absque simoniaco ingressu*, videntur in rigore requirere ut Simonia se teneat ex parte ingredientis Beneficium. Ita tenent Cabass., Lessius, Layman, De Lugo, Gomez, Rebuf., Antoine, etc.

Quæres 4. *An pretium per Simoniam acceptum restitui debeat, et cui?*

Resp. *Quoad primum, affirm.* Quia est injuste comparatum : *Gratis accepistis, gratis date ;* ergo nullo titulo retineri potest.

[1] Cap. 26 *de Simon.* — [2] Quæst. 100, art. 6, ad 5. — [3] Cap. 3 *de Simon.* — Cap. 27 *de Simon.* — [5] Cap. 33 *de Simon.*

Nec dicas: pretium pro re spirituali ut temporaliter fructifera acceptum, stante æqualitate inter pretium et valorem fructuum, non esse acceptum contra justitiam naturalem, sed solum contra religionem, et reverentiam rei sacræ; ergo jure naturali non est restituendum.

Resp. *Nego ant.* Injustitia enim hic non petitur ex inæqualitate inter pretium et valorem fructuum, sed ab venditione rei invendibilis; atqui fructus illi, seu jus ad illos est invendibile, sicut et ipse titulus spiritualis, sine quo non provenit, et sine quo proinde vendi, æstimarique non potest, uti declaratur can. *Si quis*, quæst. 3: *Si quis objecerit non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur. Nam, cum corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut aliquid tale sine rebus corporalibus in nullo proficiat, nec anima sine corpore vivat, quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum iuvenditum derelinquit.* Vide propositionem 22, damnatam ab Alexandro VII.

Resp. *ad secundum.* Pretium acceptum per Simoniam in Beneficio, sive realem, sive conventionalem mixtam, restitui debet Ecclesiæ ejusdem Beneficii, prout definitur cap. 11 *de Simonia.*

Acceptum vero pretium pro ingressu Religionis, restitui debet ei qui illud dedit, ut definitur cap. 19, *de Simonia.* Similiter dicendum de pretio accepto pro Ordinatione, cum nulla lex in pœnam ei reddi vetet; jure autem naturali res reddi debet ei qui ejus habet dominium.

Quæres 5. *Quis a pœnis in Simoniam latis absolvere et dispensare potest?*

Resp. 1 Nullus nisi solus Papa, ab inhabilitate ad Beneficium possidendum dispensare potest, sive conscio proviso, sive eo ignorante commissa sit Simonia [1]. Quod si vero provisus *ignoranter recepit simplex Beneficium per simo-*

[1] Cap. 27 *de Simonia*, et cap. penult. *de Electione.*

niacam pravitatem, post liberam resignationem, Episcopi dispensatio toleratur [1].

Resp. 2° A suspensione quam Clericus simoniace ordinatus incurrit, solus Papa dispensare potest; indulgetur tamen ut Episcopus possit dispensare cum eo qui inscius sic fuit ordinatus [2].

De excommunicatione supra dictum est, sicut de suspensione, quæ incurritur pro Simonia in ingressu religionis commissa.

QUÆSTIO II.

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM.

Nota. Cum omnis Religiosus suam Regulam, Constitutiones, Statuta expositionemque Regulæ præ manibus habeat, hic solummodo perpendemus quæ communia sunt omnibus Religionibus, sequentibus capitibus, quorum

Primum erit de natura et essentia Religiosi status

Secundum, de ingressu Religionis et Novitiatu;

Tertium, de Professione religiosa;

Quartum, de Professorum obligationibus;

Quintum, de Religionis egressu;

Sextum, de Prælaturis religiosis;

Septimum, de variis quæstionibus Regularium.

CAPUT I.

DE NATURA ET ESSENTIA STATUS RELIGIOSI.

Quæres 1. *Quid est status Religiosus?*

Resp. *Est stabile vitæ institutum ab Ecclesia approbatum, et tendens ad perfectionem per tria vota paupertatis, obedientiæ et castitatis.*

[1] Eodem cap. penult. *de Elect.* — [2] Extrav. *Cum detestabile, de Simon.*

Dicitur 1° *stabile institutum*, quia per vota homo se in perpetuum Dei obsequium tradit irrevocabiliter.

Dicitur 2° *vitæ*, sive *contemplativæ*, nempe eorum qui sunt instituti ad opera vitæ solitariæ et contemplativæ, et vocantur Monachi : tales sunt Benedictini, Carthusiani, Bernardini, etc. ; sive *activæ*, eorum scilicet qui sunt instituti ad opera vitæ activæ, ut Ordines militares et Hospitalarii ; sive *mixtæ*, eorum nempe qui instituti sunt ad vitam actione et contemplatione mixtam, ut sunt Mendicantes, Canonici Regulares, PP. Societatis. Inde colliges tria esse genera Religiosorum.

Dicitur 3° *ab Ecclesia approbatum*, quia sine hac approbatione non potest esse status spiritualis supra communem statum Christianorum, sed omnes sunt mere laici, et nisi sint Clerici, sunt omnes subjecti potestati sæculari.

Dicitur 4° *tendens ad perfectionem ;* ad quam tendere tenentur Religiosi, non quidem per omnia supererogationis opera, sed per ea solummodo quæ in sua regula, constitutionibus, statutis et observantiis regularibus, sunt præscripta ; non enim tenentur vitam regularem agere nisi juxta suum institutum ab Ecclesia approbatum.

Hinc Religiosus qui suam regulam, constitutiones et statuta ordinis contemnit, mortaliter peccat ; quia ipsammet perfectionem contemnit, si media sine quibus comparari nequit, despiciat. *Contemnere autem censetur, qui ea observare minime est sollicitus, vel qui ea omittit ex intentione ordinationibus Superiorum se non subjiciendi*, ait Div. Thomas [1].

Dicitur 5° *per tria vota* sive solemnia sint, sive simplicia, ut sunt illa in Societate Jesu emissa juxta jus novum Gregor. XIII, statuentis [2] vota illa simplicia Religiosum constituere. Ratio est, quia per vota simplicia potest fieri traditio irrevocabilis ex parte voventis, ut fit in Societate Jesu.

Porro in tribus illis votis consistit essentia status reli-

[1] Quæst. 188, art. 1, ad 2. — [2] In Bulla *Ascendente Domino*.

giosi : nam per illa homo se suaque omnia Deo consecrat, voluntatem suam Superiori subjiciens propter Deum. Per votum *castitatis*, Deo consecrat corpus, ut abstractus a carnalibus desideriis, Deo melius servire possit. Per votum *paupertatis*, Deo bona sua temporalia consecrat, iis se privans propter Deum, ut Deus sit ipsi omne bonum, nec aliud possideat, nisi ipsum, sepositis privilegiis a Concilio Trident. [1] Mendicantibus concessis, quibus renuntiarunt Fratres S. Francisci Capuccini, et ii qui Minores de Observantia vocantur.

QUÆRES 2. *Quodnam genus Religiosorum sit perfectius?*

RESP. Religio contemplativa est perfectior Religione activa ; Religio autem mixta cuilibet præstantior est.

PROB. Perfectio Religionis primario spectatur ex fine ; atqui finis Religionis contemplativæ, cum immediate ordinetur ad ipsum Deum, præstantior est fine Religionis activæ, juxta illud Christi [2] : *Martha, sollicita es et turbaris erga plurima, Maria autem optimam partem elegit.* Religionis autem mixtæ finis, qui est non soli contemplationi vacare, sed etiam contemplata in alios transfundere, perfectior est fine religionis tantum activæ, ac tantum contemplativæ : ergo, etc.

CAPUT II.

DE RELIGIONIS INGRESSU ET NOVITIATU.

QUÆRES 1. *Quinam invalide recipiuntur in Religione?*

RESP. 1. Invalide recipiuntur qui non sunt sui juris ; tales sunt : 1° *Episcopi*, hi enim jurejurando sunt adstricti obedire Romano Pontifici, unde sine illius consensu non possunt recipi, ita definitur in jure [3] ; 2° *servi*, mancipia dicti, quia sunt possessio dominorum [4] ; 3° *pueri ante annos pu-*

[1] Sess. 25, cap. 3. — [2] Luc. 10, 41. — [3] Cap. 10 *de Renuntiat.* — [4] Cap. *Si quis*, 17, q. 2.

ætatis, quia subsunt tutoribus vel parentibus quoad vitæ dispositionem ; facti vero puberes Religionem ingredi possunt, etiam invitis parentibus, quia efficiuntur sui juris in iis quæ ad statum vitæ pertinent. Ita Div. Thom. [1] ; 4° *conjugati post matrimonium consummatum*, nisi accedat conjugis consensus [2], aut nisi sit adultera, et alter innocens [3] ; 5° *professi* qui ex uno Ordine ad alium laxiorem transvolant [4].

Resp. 2. Qui excluduntur a Religionibus ratione propriarum Constitutionum, quæ debent consuli.

Quæres 2. *Quinam illicite recipiuntur ?*

Resp. Illicite recipiuntur : 1° *debitis gravati*, ut declaravit Clemens VIII[5] ; 2° *filii* parentes suos in gravi necessitate relinquentes : *ratio* Div. Thom. [6] est, quia jure naturæ tenentur parentes alere ; 3° *qui*, sub spe matrimonii, *virginem deceperunt*, quia per ingressum ei injuriam inferrent ; 4° *rationibus reddendis abnoxii*, ut sunt tutores, thesaurarii, nisi prius redditis rationibus, quia illorum persona est ad illam functionem obstricta.

Quæres 3. *An liceat quempiam ad Religionem impellere ?*

Resp. Quempiam impellere ad Religionem vi, metu, fraude, est gravissimum peccatum contra religionem et justitiam ; unde Concil. Trident. [7] anathemati subjicit qui puellam aut viduam sic impellunt, quæ excommunicatio non est reservata.

Quæres 4. *An liceat quempiam a Religionis ingressu retrahere ?*

Resp. Non licet *absque justa causa :* nam in Concil. Trident. [8] anathemati subjiciuntur omnes qui mulieres volentes ingredi Religionem impediunt ; quod certe peccatum mortale supponit, etiam erga masculos.

[1] Quæst. 191, art. 4. — [2] Cap. 4, 8, 13 *de Convers. conjug.* — [3] Cap. 15, 16, 17 eod tit. — [4] Trident., sess. 24. — [5] Const. ann. 1602. — [6] Quæst. 101, art. 4. — [7] Sess. 25 *de Regular.*, cap. 18. — [8] Ibidem.

Dixi *absque justa causa*; quales sunt subjecti ad Religionem inidoneitas et irregularitas Religionis.

Quæres 5. *Quisnam ingredi Religionem teneatur?*

Resp. Is solum, qui vovit Religionem, tenetur ingredi, juxta sequentes regulas.

1. Qui vovit Religionis ingressum nullo tempore determinato, tenetur diligenter ac serio curare, ut quamprimum moraliter fieri potest, recipiatur, et postea profiteri, si judicet Religionem illam sibi convenire; nam ista omnia virtualiter et implicite vovit. Quare si sine justa causa egrediatur, vel si sua culpa efficit ut ejiceretur, tenetur postea serio curare ut iterum admittatur. Ratio est, quia votum obligat ad non apponendum sponte sua impedimentum executioni ejus, alioqui esset illusorium.

2. Qui vovit ingressum Religionis determinatæ, si in ea non sit admissus, liber est a voto: nam non intendit se ulterius obligare. Si vero Religionis ingressum in genere voverit, non admissus in una, alteri se præsentare tenetur. Ratio est, quia tale votum est votum de assumenda aliqua ex omnibus Religionibus, ideoque est de omnibus sub disjunctione.

3. Qui laxiorem Religionem vovit, licite ingreditur strictiorem, non vice versa. Ratio est, quia talis mutatio est de meliori bono [1].

Quæres 6. *Qualiter peccent Capitulares suffragium Novitio denegantes?*

Resp. Si sine causa legitima suffragium denegent, peccant graviter contra justitiam. Ratio est, quia Novitius per ardua exercitia Novitiatus, jus ad profitendum comparavit... Quod si adsit justa causa, tenentur sub mortali suffragium denegare ob damnum Religioni emergens, quod utique damno et incommodo particulari longissime prævalet.

[1] Cap. 10 *de Regular.*

CAPUT III.

DE PROFESSIONE RELIGIOSA.

Quæres 1. *Quænam ad Professionis validitatem requirantur?*

Resp. Sequentia : 1° Ætas sufficiens, quæ ex Trident. [1], est annus decimus sextus completus.

2° Integer nec interpolatus annus probationis post susceptum habitum [2]; qui annus debet computari a momento suscepti habitus in momentum professionis : unde non est annus solaris, continens 365 dies, cum sex horis ; sed est annus civilis, continens 365 dies, et in anno bisextili 366.

3° Prælati acceptatio tacita vel expressa, cum consensu majoris partis Capituli [3].

4° Consensus plenus atque perfectus voventis, liber a metu gravi etiam reverentiali, de quo egimus p. 1, § 1, punct. 1 et 2 *de Contractibus*.

5° Carentia impedimenti in illo Ordine essentialis ; alias esset inhabilis ad profitendum, nec ejus traditio vere acceptaretur.

Quæres 2. *An qui emisit Professionem nullam, possit reclamar. ?*

Resp. Potest ex Concil. Trident. [4], quod tria requirit ut reclamans possit audiri.

1. Ut reclamet intra quinquennium, *a die professionis* computandum. Excipe : 1° si metu gravi aliave justa causa fuisset a reclamatione impeditus [5]; 2° si toto quinquennio ignorasset suæ Professionis nullitatem ; quia ignorantia non minus reddit impotentem ad reclamandum, quam metus.

[1] Sess. 25, cap. 15 *de Regular.* — [2] Ibidem. — [3] Cap. 13 *de Regul.* — [4] Sess. 25, cap. 19 *de Regular.*, — [5] Cap. 1 *de Iis quæ vis metusve*, etc.

2. Ut *causas* nullitatis, *quas prætendit, coram Superiore suo et Ordinario deducat.*

3. Ut non dimiserit habitum ante hanc deductionem; si tamen bona fide dimiserit, et postea resumpserit, est audiendus, ut probat Navarr. [1].

Quæres 3. *Quid requiratur ad ratificandam invalidam Professionem?*

Resp. 1° Requiritur notitia invaliditatis; alioquin ratificatio non erit libera, utpote ex errore emissa. Excipe tamen, si Professionem renovando, expresse velit ipsam esse ratam, etiamsi ab initio fuisset invalida.

2° Requiritur novus consensus expressus et liber: est enim novum votum; nec sufficit quod plures annos manserit in Religione, cum, ex regula juris, *non firmetur tractu temporis quod ab initio non subsistit* [2].

Quæres 4. *Quam vim habeat Professio Religiosa?*

Resp. 1° Extinguit omnia vota simplicia ante ipsam emissa [3], saltem si profitens intendat commutare.

2° Tollit irregularitatem ex defectu natalium ex parte, nimirum ut possit ordinari, et Beneficium simplex obtinere [4].

3° Remittit pœnam peccatis debitam, non quidem ex opere operato, sed ex opere operantis opus præstantissimum; ita probat Div. Thomas. [5].

Quæres 5. *Utrum Religiosus, qui Ordinem amplexus est, in quo præcepta et alia fundamentalia regulæ puncta rite non observantur, teneatur vivere secundum regulam quamvis non intenderit nisi vivere sicut vivunt, qui regulam, quoad puncta illa et præcepta, transgrediuntur?*

Resp. *affirm., et prob.* ex Concil. Trident., sess. 25 *de Regularibus*, cap. 1, ubi absque ulla exceptione præcipit, *ut omnes Regulares, tam viri quam mulieres, ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant et componant;*

[1] Comment. 4 *de Regular.*, in fine. — [2] *Regul.* 18, jur., in 6. — [3] Cap. 4 *de Voto.* — [4] Cap. *de Filiis presbyter.* — [5] 2 2, quæst. 180, art. 3, ad 3.

atque imprimis, quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis et castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus regulæ et ordinis peculiaria vota et præcepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem victum, et vestitum conservanda pertinentia fideliter observent... cum compertum sit, a Superiore non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ bases sunt et fundamenta totius regularis disciplinæ, exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium, necesse est.

Ratio est, quia votum solemne non a sola voluntate voventis pendet, sed ab intentione Ecclesiæ, quæ approbavit regulam, ad quam se adstrinxit: ergo non est in dispositione voventis Religionem solemniter profiteri hac conditione, quod regulam nolit observare secundum præcepta et puncta fundamentalia, sed secundum relaxationes quæ circa ea, dissimulatione Superiorum, irrepserunt, quasque Ecclesia nunquam permisit, et in quibus Superiores dispensare non possunt.

Dices. Div. Thom.[1], ait: *Qui interpretatum votum fecit, ad tria vota Religionis principalia in omni casu tenetur; sed ad alias observantias, quarum transgressio ex dissimulatione Prælatorum inducitur, (qui dum videntes non corrigunt, indulgere videntur), non videtur obligari.* Ergo non tenetur ad præcepta et alia puncta regulæ fundamentalia, quæ ab aliis Religiosis non fideliter observantur.

Resp. *Nego conseq.* Quia Div. Doctor loquitur tantum de observantiis regularibus, in quibus Prælati regulares dispensare possunt, ut constat ex his verbis: *Dum* (Prælati) *videntes non corrigunt, indulgere videntur.* Tales sunt observantiæ illæ, quas[2] non tradi videtur in regula *per modum præcepti, sed proponi per modum ordinationis cujusdam vel statuti obligantis ad certam pœnam.* Ergo si quædam tradantur per modum præcepti, ad eorum observa-

[1] 4, dist. 37, art. 3, quæst. 1, ad 5. — [2] 2 2, quæst. 186, art. 9, ad 2.

tionem Religiosus tenetur in omni casu, tum quia in eis Prælati regulares non possunt dispensare; tum quia, postquam Div. Thom. hic in corp. dixit: *Transgressio horum trium* (votorum) *obligat ad mortale*, addit: *Aliorum transgressio non obligat ad mortale, nisi vel propter contemptum regulæ quia hoc directe contrariaretur professioni, per quam aliquis vovit regularem vitam;* cujus contemptus reus est, qui puncta regulæ fundamentalia transgreditur, *vel propter præceptum, sive oretenus a Prælato factum, sive in regula expressum, quia hoc esset facere contra obedientiæ votum.*

Inst. Ille Religiosus non intendit intrare Religionem nisi ut viveret sicut alii vivunt; ergo ad nihil ulterius tenetur.

Resp. *Nego conseq.* Quia, ut supra dictum est, votum solemne non pendet a sola voluntate voventis, sed ab intentione Ecclesiæ Religionem approbantis; atqui est intentio Ecclesiæ ut præcepta et puncta fundamentalia regulæ fideliter observentur, ut constat ex Gregor. XIII, cui, cum Patres Concilii Rothomagensis anno 1581 celebrati, sequens dubium proposuissent: *Circa decretum de clausura Monialium sunt quæ, ex fundatione, dicunt liberum sibi relinqui exitum et introitum monasterii; aliæ prætexunt se non emisisse votum clausuræ, nec unquam ingressuras monasterium, si audivissent illam fuisse clausuræ obligationem; et per parentes nobiles necem etiam Episcopis intentant, si ausi fuerint egressum prohibere. In his perplexitatibus supplicatur quid agendum, maxime ubi timetur ne per clausuram aliquid deterius contingat.* Respondit Pontifex: *Executioni demandentur Decreta Concilii Tridentini et Bullæ Summorum Pontificum, quibus sublata sunt omnia privilegia et fundationes.*

Resolves 1. Qui professus est regulam S. Francisci, tenetur sub mortali jejunare a festo omnium Sanctorum ad festum Nativitatis Domini; etiamsi, dum Religionem ingressus est, Religiosi illius instituti fideliter non observa-

rent illud jejunium; quia est præceptum æquivalens regulæ per hæc verba imperativi modi intimatum : *Jejunent* (fratres) *a festo omnium Sanctorum ad Nativitatem Domini*, cap. 3 regulæ. Idem dicendum de singulis feriis sextis totius anni, propter hæc regulæ verba : *Aliis autem temporibus non teneantur, nisi sexta feria, jejunare.*

Hinc Minorita, frangens illud jejunium, peccat mortaliter, sicut et illi qui illo tempore ei carnes apponunt, aut qui ei bene pranso cœnam ministrant, quia peccato cooperantur alieno.

Resolves 2. Minoritam non posse neque per se, neque per personam interpositam, recipere pecuniam, nec acceptam impendere quocumque modo, licet circa hoc punctum fuerit prævaricatio in Ordine, dum Religionem professus est; quia pecuniæ usus est formaliter prohibitus in cap. 4 regulæ, his verbis : *Præcipio firmiter fratribus universis, ne ullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam*, etc.

CAPUT IV.

DE PROFESSORUM OBLIGATIONIBUS.

Nota. Præter obligationes *generales* Clericorum, de quibus egimus initio hujus tractatus, et quibus strictiori modo subjiciuntur Religiosi, sunt aliæ ipsis *speciales*, quæ ortum ducunt ex tribus votis solemnibus, de quibus agemus tribus quæstionibus.

QUÆSTIO I.

DE OBEDIENTIA RELIGIOSA.

Quæres 1. *Quid sit Obedientia Religiosa?*
Resp. *Est virtus moralis virum Religiosum inclinans ad*

executionem præcepti Superioris, in omnibus quæ cadunt sub virtute obedientiæ. Duplex est : nempe

Obedientia *materialis* quæ est *virtus inclinans ad executionem operis præcepti, non qua præcepti,* sed propter aliud motivum honestum, v. gr. propter intrinsecam operis præcepti honestatem, etc. Hæc est sufficiens obedientia.

Obedientia *formalis* quæ est *virtus inclinans ad executionem operis præcepti, qua præcepti.*

Inobedientia *materialis* est *violatio præcepti sine expressa intentione violandi.* Hæc reperitur in omni peccato.

Inobedientia *formalis* est *violatio præcepti cum expressa intentione violandi præceptum, vel præcipientem contemnendi.*

Quæres 2. *Ad quid teneatur Religiosus ex vi voti obedientiæ?*

Resp. 1. Tenetur ad servandam regulam secundum vim obligationis ejus in unaquaque Religione receptam.

Resp. 2. Tenetur obtemperare Superiori in omnibus quæ præcipit consentanee ad regulam, constitutiones et regularem observantiam : et quidem si præcipiat *in virtute sanctæ Obedientiæ*, tenetur obedire sub peccato mortali ; tunc enim Superior intendit illum obligare quantum potest, atque sub peccato mortali : si autem hac forma præcipiendi non utatur, non videtur velle obligare sub mortali, sed tantum sub veniali, nisi transgressio aliunde fiat mortalis, v. gr. propter contemptum.

Resolves 1. Religiosum teneri servare nova Capitulorum statuta, quia spectant ad regularem observantiam.

Resolves 2. Religiosum in Religione relaxata teneri obedire Prælatis eam reformare studentibus, *in his quæ necessaria sunt ad observationem regulæ*, sive relaxatio fuerit introducta ante, sive post ejus professionem. Ratio est, quia hæc ad statum religiosum, quem amplexus est, sunt essentialia.

Dixi *in his quæ necessaria sunt ad observationem regulæ :*

quia quoad alias observantias regulares quæ sunt observationi regulæ accidentales, reformationem quidem acceptare tenetur, si relaxatio post ejus professionem fuerit introducta, non autem si ante ejus professionem; ratio est, quia suum institutum observare tenetur prout professus est, non aliter.

Resolves 3. Religiosum teneri Prælato obtemperare etiam cum periculo vitæ, si bonum Religionis id postulet, v. gr. fratribus peste infectis inservire. Item tempore pestis Religiosus mendicans, cujus institutum est spirituali proximorum saluti incumbere, tenetur obedire Superiori præcipienti ut sæcularibus peste infectis Sacramenta ministret, si deficiat Parochus vel alius Sacerdos ad id destinatus, quia hoc est secundum ejus regulam, cum Mendicantes vi sui status Episcoporum sint coadjutores, ut colligitur ex jure [1].

Resolves 4. Superiores Regularium posse præceptis suos subditos ubicumque terrarum existentes, obligare, fugitivos propria auctoritate capere ; quia potestas in suos illis competit non ratione territorii, sed ratione personalis obligationis ex voto obedientiæ.

Resp. 3. Religiosus tenetur obedire Papæ in omnibus quibus tenetur suis Prælatis regularibus obtemperare ; nam votum obedientiæ per se primo ac principaliter fit Summo Pontifici, tanquam supremo omnium Religionum Præposito Generalissimo.

Quæres 3. *Quandonam est mortalis inobedientia?*

Resp. 1. Inobedientia formalis semper est mortalis, etiamsi præceptum sit de re levi, juxta illud Apostoli [2] : *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit;* et illud Christi : *Qui vos spernit, me spernit* [3]. Contemnere autem Deum in levi est grave peccatum.

Resp. 2. Inobedientia materialis est mortalis, si mate-

[1] Cap. *Dudum, de Sepulturis.* — [2] *Rom.* 13, 2. — [3] Luc. 10, 16.

teria præcepta sit gravis; venialis vero, si materia præcepta sit levis. Ita communiter Doctores.

QUÆSTIO II.

DE CASTITATE RELIGIOSA.

QUÆRES. *Quid sit Castitas Religiosa?*

RESP. *Est votum solemne, quo Religiosus promittit abstinentiam perpetuam a voluptatibus carnalibus illicitis, et alias licitis.*

Dicitur 1° *a voluptatibus carnalibus illicitis:* tum internis, v. gr. a turpi cogitatione, desiderio, etc.; tum externis, v. gr. aspectu, tactu, etc.; unde quidquid in sæculari extra conjugium est peccatum contra castitatem, est insuper in Religioso sacrilegium contra votum, ac proinde duplicem habens malitiam: ita tamen ut malitia sacrilegii sit mortalis in iis actibus, in quibus malitia libidinis est mortalis; venialis vero in quibus illa est venialis.

Dicitur 2° *et alias licitis:* quia Religiosus nec licite nec valide potest contrahere matrimonium.

QUÆSTIO III.

DE PAUPERTATE RELIGIOSA.

QUÆRES 1. *Quid sit Paupertas Religiosa?*

RESP. *Est votum solemne, quo Religiosus promittit abdicationem omnis dominii, proprietatis, ususque independentis a voluntate Superioris.*

Dicitur 1° *quo Religiosus:* non autem Monasterium, nam ex Trident. [1], *exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capuccinorum, et eorum qui Minorum de Observantia vocantur,* cæteri absque religiosæ Paupertatis læsione, aliquid possidere possunt in communi.

[1] Sess. 23, cap. 3 *de Regular.*

Dicitur 2° *promittit abdicationem* in perpetuum, per renuntiationem possessorum et in posterum possidendorum.

Dicitur 3° *dominii, proprietatis* : per quod aufertur Religioso jus disponendi de re pretio æstimabili, tanquam sua; eam scilicet independenter a Superiore recipiendo, retinendo, emendo, commodando, etc.

Dicitur 4° *ususque independentis* : quia usus independens proprietatem arguit; unde jure merito a Trident. [1] damnantur tanquam veri proprietarii qui, sine Superioris licentia, non solum de rebus mobilibus disponunt, sed et qui iisdem utuntur.

Colliges eos læsæ paupertatis esse reos, qui de rebus communitatis, vel ad usum sibi concessis, pro libitu tanquam de suis disponere præsumunt. Tales sunt qui independenter a Superiore

1° Aliquid, etiam pro communitate, recipiunt vel retinent [2].

2° Qui aliquid dant vel expendunt sine licentia Superioris [3]. Hinc si Religiosus aliquid sine licentia valida Superioris donet, accipiens tenetur illud restituere Religioni, cum donatio sit irrita.

3° Qui aliquid commodant, permutant, etc., quia sunt actus proprietatis.

4° Qui rem cum licentia acceptam abscondit, ne Superior eam auferat, vel licentiam datam revocet; item qui murmure Superiorem impedit ne rem concessam repetat; vel conqueritur tanquam de injuria, dum Superior aliqua ei aufert. Ratio est, quia ista omnia sunt actus sibi usurpantis usum independentem, cujus est incapax per votum paupertatis, ut constat ex jure [4].

5° Qui rem sibi concessam non dimittit statim atque Superior licentiam datam revocat; quia jam eam haberet sine licentia [5].

1 Sess. 25, cap. 2 *de Regular.* — 2 Cap. 6 *de Statu Monachorum.* — 3 Ibidem. — 4 Cap. 4 et 6 *de Statu Monachorum.* — 5 Cap. 6, supra.

6° Qui res Monasterii aut sibi concessas, ut vestis, oleum, etc., dilapidant, prodigaliter consumunt, negligenter tractant; quia res illæ tribuuntur tantum ad consumptionem necessariam vel utilem, non autem ad destructionem negligentia acceleratam, et Monasterio damnosam.

7° Qui in rerum usu aut dispensatione, limites honestatis aut paupertatis religiosæ notabiliter excedunt, sive sint inferiores, sive superiores : tales sunt qui habent superflua, qui pecuniam et similia in usus suos concessa, in res turpes, varias et inutiles expendunt; idque verum est etiamsi Superior consentiat, nam Superior tales usus nec licite, nec valide concedere potest, cum repugnent statui pauperis, et a Canonibus prohibeantur [1]. Hinc qui rem notabilem ludo exponit, etiam cum Superioris licentia, gravi proprietatis crimine reus constituitur.

8° Qui a sæculari invitatus, manducat aut bibit sine licentia Superioris, quia Religioso non licet uti ulla re temporali pretio æstimabili sine licentia Superioris : comestio autem et potatio est res temporalis pretio æstimabilis.

Quæres 2. *Quænam licentia Superioris requiritur ut Religiosus possit uti rebus temporalibus?*

Nota. Quadruplex est Superioris licentia, nempe :

Expressa, quæ verbo, scripto, aliove signo aperte conceditur.

Virtualis, quæ expressæ æquivalet; sic cui committitur Officium, permittuntur et actiones ad ejus executionem requisitæ.

Tacita, quæ ex circumstantiis verisimiliter creditur adesse; ut cum Prælatus sciens subditos aliquid accipere, retinere, donare, non prohibet cum facile possit; nam tunc tacite consentire censetur: secus si difficile impedire posset, eo quod, v. gr. timeret ne domus turbaretur Religiosi querelis; tunc enim mere tolerat, non concedit, unde non excusatur Religiosus.

[1] Clement. I, *de Statu Monachor.*, et Trident., sess. 25, cap. 2 *de Regul.*

Notat hinc Lessius [1] quod *in Monasteriis bene ordinatis non conceditur* facultas tacita vel generalis, nisi in rebus minoris momenti et crebro occurrentibus.

Præsumpta seu *interpretativa*, est ea qua, justa causa occurrente, concluditur quod Superior vellet, si statum rei sciret. His notatis,

Resp. 1. Sufficit ut licentia Superioris sit expressa, vel virtualis, aut tacita; requiritur tamen expressa 1° dum agitur de re gravi, nec urget necessitas; 2° dum facilis ad Superiorem patet recursus. Ratio est, quia illæ tres licentiæ sufficiunt ut actus Religiosi sint dependentes.

Resp. 2. Licentia præsumpta non sufficit, nisi cum causa urget et Superior non potest tunc adiri; ita ut censeatur concedere licentiam, licet non petatur. Ratio est, quia Superior approbare non debet inferiores licentiam suam sic facile interpretari; quia admissa universaliter hac præsumptione, inferiores fere semper pro libitu de rebus tanquam suis disponerent, cum gravi damno religiosæ disciplinæ, quod ex officio tenetur impedire Superior.

Porro qui aliquid ex licentia Superioris præsumpta recepit, tenetur postea ubi primum potest, petere licentiam ut illud retinere possit, quia licentia non minus ad retinendum quam ad recipiendum requiritur.

Resp. 3. Licentia debet esse omnino voluntaria et libera; hinc si sit per vim, metum, fraudem obtenta, vel si procedat ex errore, est nulla, et qui ea utitur, est proprietarius.

Quæres 3. *An peculium seu pensio annua Religiosis sit licita?*

Resp. Censent communiter Doctores peculium Religiosorum esse licitum sub his conditionibus:

1° Quod constituatur ex licentia Superioris expressa, et ad nutum ejus sit revocabile et applicabile ad usus Monasterii, si indigeat.

[1] Lib. II, cap. 41, dubitat. 9.

2° Quod sit incorporatum quoad dominium et proprietatem cum communibus bonis Monasterii.

3° Quod in dispositione ac potestate Religiosi non maneat, sed apud Superiorem aut Procuratorem.

4° Quod in usus pios et licitos, juxta paupertatis religiosæ limites, expendatur cum licentia Superioris.

5° Quod ex justa causa permittatur : quæ causa petitur, tum ex parte Religiosi qui propter infirmitatem, senium, etc., particularibus indiget; tum ex parte Monasterii ita indigentis, ut omnia subditis suis necessaria et honestas commoditates, suppeditare non possit.

Ratio cur peculium cum his conditionibus sit licitum, est quod proprietas non sit penes Religiosum, sed simplex usus licitus dependens a voluntate Superioris.

Dices : Peculium Religiosorum estillicitum, ex Trident.[1] prohibente, *ne deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum et usum.* Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Ad Trident. *resp.* quod prohibeat tantum illud peculium quod extra manus Superioris aut Monasterii possidetur, quod proprietatem sonat; unde addit : *Nemini liceat bona tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur*[2].

Quæres 4. *Quæ summa requiratur ut Religiosus peccet mortaliter peccato proprietatis, accipiendo aut expendendo sine licentia Prælati?*

Resp. Requiri eamdem quantitatem quæ sufficeret ut aliquod furtum laici sit mortale, cum appropriatio facta a Religioso sit furtum, quia contrectat rem alienam invito vel inscio Superiore, quod est injustum et sacrilegum.

Porro spectandæ sunt leges cujuscumque Instituti, quia fieri potest, ut quod forte non est grave contra paupertatem Religiosam spectatam in genere, sit grave contra pau-

[1] Sess. 25, cap. 2 *de Regular.* — [2] Trident., ibidem.

pertatem, ut est propria talis vel talis Religionis. Sic in nostro Capuccinorum Ordine, per decretum factum in Capitulo generali habito Romæ anno 1662, consentientibus omnibus Patribus ibi congregatis, statutum fuit summam quindecim assium esse sufficientem materiam peccati mortalis furti, et proprietatis.

QUÆRES 5. *Quænam sint pœnæ proprietariorum?*

RESP. Præter peccatum mortale reservatum quod incurrit proprietarius, sunt tres :

Prima, ut recludatur ad agendum pœnitentiam [1].

Secunda, ut privetur voce activa et passiva ad biennium, atque etiam juxta suæ Regulæ et Ordinis Constitutiones puniatur [2].

Tertia, ut Ecclesiastica sepultura privetur [3]; quæ pœnæ non sunt latæ, sed ferendæ sententiæ.

QUÆRES 6. *An Religiosi non professi capaces sint dominii?*

Nota. Illi sic dicuntur qui per votum simplex, sed tamen acceptum ab Ecclesia, facti sunt vere Religiosi.

RESP. *affirm.* Et dominium retinent quamdiu Superiori videtur, quia hoc non repugnat voto paupertatis Religiosæ. Non est enim de essentia paupertatis Religiosæ ut reddat incapacem dominii, vel ut dominio privet, sed tantum ut privet potestate utendi.

Hinc Religiosi non professi nullum possunt habere usum suorum bonorum vel aliorum, absque consensu Superiorum. Id patet ex Constitutione Gregor. XIII, quæ incipit : *Ascendente Domino* (an. 1584), et ex Constitutionibus variarum Congregationum, præsertim Societatis Jesu.

QUÆRES 7. *An Religiosi non professi servantes dominium directum bonorum, possint* valide *de his disponere sine licentia Superioris?*

RESP. *Prima sententia negat.* Ratio, quia per votum

[1] Cap. 6 *de Statu Monachor.* — [2] Concil. Trident., sess. 25, cap. 2 *de Regular.* — [3] Cap. 4 et 6 *de Statu Monach.*

paupertatis a legitimo Superiore acceptatum, se privavit potestate alienandi suo arbitrio, solamque retinuit facultatem disponendi ex arbitrio et consensu Superioris.

Hinc talis Religiosus, inquiunt, æquiparatur pupillo cujus dispositiones sunt irritæ, si fiant absque consensu tutoris. Ita Lessius, etc.

Secunda sententia probabilior *affirmat.* Ratio est, quia talis Religiosus vere est dominus, et ideo licet illicite, valide tamen disponit de sua re. Neque valet æquiparatio, nam lex positiva inhabilitat pupillum, non vero Religiosum. Ita P. Gury.

QUÆRES 8. *An in Gallia exstent pro nunc vota solemnia, et Ordines vere et proprie Religiosi ?*

RESP. 1° *Negative quoad Moniales.* Patet ex variis Sacræ Pœnitentiariæ responsis ; præsertim ex ea data ad Episcopum Cænomanensem (2 jan. 1836), ubi ad quæsitum, an votum ingrediendi Religionem Sedi Apostolicæ sit adhuc reservatum, cum in genere responsum fuerit *affirmative*, statim additur : *Sed votum mulieris cujus intentio respexerit ad monasteria, prout nunc in Gallia existunt, non est reservatum ; quia, scilicet, monasteria eadem a Sede Apostolica, attentis peculiaribus circumstantiis, non tanquam Ordines vere et proprie religiosi, sed uti piissimarum familiæ fœminarum æstimantur.*

RESP. 2° *quoad homines*, dicta responsio non obstat ; nam in præfata responsione ad quartum Sac. Cong. Pœnitent. declaravit *decreta per Sacram Pœnitentiariam alias edita spectare solummodo ad moniales.*

Olim plures auctores negabant. Ratio, quia ex ordinatione Ecclesiæ votum solemne reddit Religiosum solemniter professum omnino incapacem omnis dominii, ut dictum est supra ; atqui, spectatis circumstantiis peculiaribus in quibus versatur Gallia, illa dominii incapacitas non existit, siquidem Religiosi, jure proprio successiones saltem paternas accipiunt, easque valide suo monasterio, vel aliis

tradunt, quod fieri nequit, nisi sint veri possessores, verumque acquirant dominium : ergo, stante tali Ecclesiæ ordinatione, votum solemne paupertatis non existit in Gallia, usquedum a Sancta Sede aliter provisum fuerit.

At nunc, post Decretum Greg. XVI, quo vota solemnia Religiosis S. Benedicti in Gallia degentibus conceduntur, extra dubium res est : extant in Gallia vota solemnia et Ordines vere et proprie religiosi. Ad hoc autem requiritur ut conventus canonice sint erecti.

CAPUT V.

DE RELIGIONIS EGRESSU.

Quæres 1. *An Summus Pontifex possit dispensare in votis solemnibus?*

Resp. Potest ex gravi causa ; constatque ex Constitutionibus Bonifacii VIII [1] et Gregor. XIII [2], ubi sic loquuntur : *Nos igitur attendentes quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa ;* atqui Papa in jure Ecclesiastico potest dispensare : ergo, etc.

Dices : Juxta Innocentium III [3], *abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere :* ergo non potest dispensare.

Resp. *Dist. conseq.* Non potest dispensare in votis solemnibus cum Religioso manente in statu Religiosi professi, *conc.;* cum Religioso extracto e statu Religiosi professi, *nego.* Papa enim de plenitudine potestatis potest aliquem extrahere ex statu Religiosi ad contrahendum matrimonium ob gravem causam, v. gr. ut pax et Religio in regno firmentur.

Hinc solemnitas votorum in eo consistit ex institutione

[1] Cap. unico *de Voto*, in 6. — [2] Bulla *Ascendente Domino*. — [3] Cap. 6 *de Statu Monachi*.

Ecclesiæ, ut vota emittantur sub certa regula a Sede Apostolica approbata, cum traditione et acceptatione ex utraque parte perpetuis, et via ordinaria indissolubilibus.

QUÆRES 2. *An liceat ex una ad aliam Religionem transire?*

RESP. Omnibus Regularibus jure concessum est ut possint ad Religionem arctiorem transire, ut statuitur cap. *Licet, de Regular.* Hic tamen transitus non est laudabilis; cum moneat Apostolus ut *quisque in vocatione, in qua vocatus est, permaneat* [1]. Unde Concil. Trident. [2] statuit ut translatus ad aliam Religionem etiam arctiorem, sit incapax Beneficiorum sæcularium, etiam curatorum, et perpetuo maneat in claustro sub obedientia Superioris.

RESP. Pro nunc, ut sit validus hic transitus, duo requiruntur a jure:

1° Ut a Summo Pontifice transeundi petatur et obtineatur licentia, quam olim ordinarie satis erat a Prælato postulare [3].

2° Ut expleat annum probationis completum, quia Trident. generatim hunc annum requirit [4]; quo expleto, debet profiteri [5].

QUÆRES 3. *An Religiosus factus Episcopus eo ipso a tribus votis cæterisque regularibus observantiis sit liber?*

RESP. 1° *negat. quoad tria vota.* Nam ex jure [6] obligatio votorum est de intrinseca ratione Religionis; sed Religiosus per episcopatum non desinit esse Religiosus: ergo his votis non liberatur.

Hinc Religiosus factus Episcopus tenetur, vi voti obedientiæ, præstare eamdem obedientiam, non quidem Prælatis regularibus, cum desierit esse eorum subditus, ut ait Div. Thom. [7], sed Summo Pontifici, omnium Religionum supremo Superiori. Item tenetur eamdem servare casti-

[1] *I Cor.* 7, 20. — [2] Sess. 14, cap. 11 *de Reform.* — [3] Cap. *Licet, de Regular.* — [4] Trident., sess. 25, cap. 15 *de Regular.* — [5] Trident., sess. 14, cap. 11. [6] Cap. 6 *de Statu Monachor.* — [7] Quæst. 185, art. 8, ad 3.

tatem simul et paupertatem, secundum quam nullius rei verum dominium sibi comparare potest, sed Ecclesiæ cui præest. Ita Lessius, Pontas, Paul. a Lugdun.

RESP. 2° *quoad observantias regulares:* ad ipsas non tenetur. Ratio est, quia ut teneatur ad observantias regulares, debet esse subjectus regulæ et Prælatis regularibus; atqui Religiosus factus Episcopus non est subditus regulæ et Prælatis regularibus, ut constat ex jure [1]: ergo, etc.

QUÆRES 4. *An aliquis possit e Religione ejici, et quas ob causas?*

RESP. AD 1. *affirmative,* servatis de jure servandis, ut statuitur ab Urb. VIII [2] et Innocent. XII.

RESP. AD 2. Sunt tres causæ, propter quas Religiosus potest ejici. *Prima* est *incorrigibilitas;* cum nempe ter juridice convictus de eodem crimine gravi, non se emendavit. Hæc sola, jure communi, est expressa [3].

Secunda est *perpetratio criminis,* propter quod in illa Religione constituta est ejectio.

Tertia est *occultasse impedimentum* quod in illa Religione censetur essentiale. Ratio est, quia dolus dedit causam admissioni, ac proinde Monasterium non tenetur retinere.

DICES: Duæ causæ ultimæ non sunt in jure expressæ: ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* Sufficit enim quod approbatæ sint a Sede Apostolica juris auctore, et fuerint intimatæ cuilibet ante professionem; Constitutiones autem Religionum has causas electionis decernentes sunt approbatæ a Summo Pontifice.

QUÆRES 5. *An Superiores teneantur fugitivos et apostatas requirere et recipere?*

Nota. Fugitivus est is, qui sine Prælati sui licentia

[1] Cap. *Statutum,* 18, q. 1. — [2] In Declarat. 21 sept. 1624. — [3] Cap. 6 *de Statu Monach.,* et cap. *Pescandæ,* 24, quæst. 5.

sponte a Monasterio discedit, animo aliquando ad illud revertendi.

Apostata est is, qui sponte a Religione discedit, animo nunquam ad eam redeundi.

Resp. Superiores ad hoc strictissime et sub gravi peccato tenentur, prout statuitur in jure [1]. Ratio est, quia tenentur, in quantum possibile est, subditorum suorum curare salutem, et ipsos ex statu perditionis eripere.

Si tamen essent scandalosi et aliis Fratribus periculosi, non tenerentur eos requirere; si tamen sponte redirent, et esset spes emendationis, tenerentur eos recipere propter rationem supra dictam.

Quæres 6. *An Religiosus e Religione egredi teneatur ut parentibus in grari necessitate constitutis subveniat?*

Dixi *in grari necessitate:* quia si esset extrema parentum necessitas, teneretur quocumque modo, etiam per Religionis egressum, eis subvenire.

Resp. *cum dist.* Vel filius, parentibus in gravi necessitate constitutis, professus est; vel parentes ex improviso inciderunt in egestatem post filii professionem.

Si primum, filius tenetur egredi, si aliter eis subvenire non potest. Ratio est, quia ingredi non poterat, obligatione subveniendi jam contracta.

Si secundum, filius non tenetur egredi, nec potest repugnante Prælato, ut docet Div. Thom. [2]. Ratio est, quia jam mutavit statum; ergo illi obligationi superveniens non tenetur satisfacere, nisi quantum potest salvo statu; sicut si esset matrimonio conjunctus, non teneretur deserere uxorem ad subveniendum parentibus.

[1] Cap. *Ut, de Regular.*, et cap. *A nobis extra, de Apostat.* — [2] Quæst. 101, art. 4, ad 4.

CAPUT VI.

DE PRÆLATURIS RELIGIOSIS.

Quæres 1. *An sit obligatio sub mortali eligendi digniorem in Superiorem Regularium.*

Resp. *affirm.* Eadem est enim ratio de Superiore Religioso ac de Episcopo et Parocho, cum sit animarum pastor et habeat subditos, quos in viam salutis dirigere, imo et ad perfectionem promovere tenetur ex munere suo : ergo, etc.

Quæres 2. *Quænam sint obligationes Superioris Religiosorum ?*

Resp. Tres assignamus præcipuas : 1° Tenetur exemplo cæteris prælucere, communem in omnibus vitam agendo, observantiasque regulares adamussim observando.

2° Tenetur instruere et exhortari subditos in doctrina sana, eosque promovere ad perfectionem propriam sui Instituti per observationem regulæ, constitutionum cæterarumque observantiarum regularium, quia ad hoc constituti sunt Superiores.

3° Tenetur delinquentes prudenter corripere, ne ignave omnia dissimulantes, penitus ruat aut labefactetur regularis observantia.

CAPUT VII.

DE VARIIS QUÆSTIONIBUS REGULARIUM.

Quæres 1. *An liceat feminis ingredi domos Religiosorum ?*

Resp. Certum est non licere feminis ingredi, nec Superiori eas admittere ; nam id semper generatim, saltem ex consuetudine vim legis habente, prohibitum fuit : hinc

graviter peccant mulieres in claustra virorum temere ingredientes, nisi excuset mentis levitas, bona fides et ignorantia.

QUÆRES 2. *Quas pœnas incurrant mulieres ingredientes claustra virorum, et Religiosi eas in claustra introducentes ?*

RESP. Ex Constit. Pii V et Greg. XIII aliisque SS. PP. constitutionibus, incurrunt excommunicationem ipso facto Papæ reservatam; Religiosi vero ipsas introducentes incurrunt ipso facto pœnam suspensionis in divinis, privationis Officiorum, et inhabilitatis ad alia Officia obtinenda.

Illas autem omnes et singulas Sanctæ Sedis sanctiones et constitutiones, tam ante quam post Concilii Tridentini decreta super clausura quorumcunque monasteriorum Religiosorum virorum editas, Benedictus XIV sua Constitutione quæ incipit : *Regularis disciplinæ*, sub iisdem pœnis renovavit, et inviolabiliter ab omnibus observandas præcepit, necnon omnia indulta, privilegia, licentias quacumque de causa, concessas super hujusmodi accessu et ingressu *motu proprio* revocavit, earumque usum sub censuris Romano Pontifici reservatis interdicit.

QUÆRES 3. *An liceat ingredi domos Monialium ?*

RESP. Omnibus, tam viris quam fœminis, cujuscumque conditionis vel ætatis fuerint, Concil. Trident. prohibuit sub excommunicatione ipso facto incurrenda, ingredi Monialium monasteria sine licentia Episcopi, vel Superioris, in casibus necessariis [2].

QUÆRES 4. *Quibus in casibus Regulares exempti Episcoporum jurisdictioni subjaceant ?*

RESP. Circa hanc quæstionem sequentia sunt tenenda.

1. Regulares extra claustra degentes, quales sunt fugitivi, apostatæ, si deliquerint, puniri possunt ab Episcopo tanquam Apostolicæ Sedis delegato [3].

[1] V. *Monaster.*, cas. 4. — [2] Concil. Trident., sess. 25, cap. 5 *de Regular.* — [3] Trident., sess. 6, cap. 14 *de Regular.*

2. Regularis notorie scandalosus populo, si, instante Episcopo, a suo Superiore non puniatur intra tempus ab ipsomet Episcopo præfixum, ab ipso Episcopo puniri potest [1].

3. Regulares non possunt indulgentias populo promulgare citra Ordinarii licentiam et approbationem [2].

4. Non possunt in propriis ecclesiis exponere Sanctissimum Sacramentum absque consensu, saltem tacito, Episcopi [3].

5. Ab Episcopo compelli possunt, ut ad publicas processiones indictas accedant; et si aliqua de præcedentia suboriatur controversia, brevi manu ab ipso est componenda [4].

6. Tenentur censuras et interdicta ab Episcopo promulgata in suis ecclesiis publicare ac servare: item servare dies festos, quos Episcopus in sua diœcesi servandos præceperit [5].

7. Regulares, quibus cura animarum personarum sæcularium imminet, sive in alienis, sive in suis ecclesiis, subsunt Episcopo in iis quæ ad dictam curam et Sacramentorum administrationem pertinent [6].

8. Regulares qui in alienis ecclesiis, absque Episcopi licentia, concionari præsumunt, vel qui in suis ecclesiis, ipso contradicente, conciones agunt, vel qui inter concionandum errores et scandala in populum disseminant, ab eodem Episcopo puniri possunt [7].

9. Episcopi in his quæ pertinent ad clausuram Monialium conservandam aut restituendam, in Monasteriis etiam exemptis, plenam auctoritatem habent, tanquam Sedis Apostolicæ delegati [8].

QUÆRES 5. *Quid sit dicendum de privilegiis Regularium?*

[1] Concil. Trident., sess. 25, cap. 14 *De Regular.* — [2] Trident., sess. 21, cap. 9 *de Ref.* — [3] *Declaratio Card. Concil. Trident. interp.* — [4] Trident., sess. 25, cap. 13 *de Regul.* — [5] Trident., sess. 25, cap. 12 *de Regular.* — [6] Ibidem, cap. 11. — [7] Trident., sess. 5 cap. 2, *de Ref.* — [8] Trident., sess. 25, cap. 5 *de Regular.*

Resp. Privilegia Regularium sunt concessa vel scripto, nempe in Bullis Summorum Pontificum; vel oretenus, et vivæ vocis oraculo. Circa ea, sequentia sunt notanda:

1° Omnia Regularium privilegia vivæ vocis oraculo concessa a Gregorio XV et Urbano VIII fuere revocata.

2° Privilegia scripta continentur in digesto quod *mare magnum* nuncupatur; quilibet enim Ordo habet suum mare magnum. Continentur etiam in Bullis, post *maris magni* collectionem.

3° Privilegia omnia expresse contraria Concilii Trident. decretis, penitus sunt revocata; quibus decretis sunt contraria quando ipsis superadditur hæc clausula: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis.*

4° Privilegia quæ non sunt expresse revocata per Concil. Trident. suum primitivum robur obtinent, definiente Trident.: *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia et facultates, quæ ipsorum personas, loca et jura concernunt, firma sint et illæsa* [1].

5 Privilegiis uni Ordini concessis, cæteri Ordines communicant, ut expresse definierunt Leo X et Julius II.

Hæc de Regularium privilegiis sufficiant, cum sit Prælatorum regularium ea diligenter inquirere, et subditis exponere, ne hi falsum pro vero adoptantes, conscientiam suam erroris laqueo implicent, a quo vix sese extricare possent.

Quæres 6. *Quænam sit Prælatorum regularium potestas circa subditorum suorum absolutionem?*

Resp. Talis est, ut subditos suos a quibusvis peccatis, censuris ac sententiis tum notoriis, tum occultis, a jure vel ab homine quomodolibet latis et promulgatis, absolvere possint vi privilegiorum a variis Summis Pontificibus [2] concessorum .... item vi privilegiorum a Clemente IV, Sixto IV, Julio II, Pio V, Gregorio XIV concessorum, possint

[1] Trident., sess. 25, cap. 20 *de Regul.* — [illegible] IV, Eugen. IV, Six. IV, Alexandro VI, Paul. III, Paul. V, Gregor. XIII, Clem. VIII.

cum subditis suis dispensare in omni irregularitate, excepta ea quæ provenit ex bigamia, membrorum mutilatione et homicidio voluntario ... Hanc autem potestatem dispensandi et absolvendi aliis delegare possunt, cum censeatur quasi ordinaria et officio suo annexa.

QUÆRES 7. *Utrum Regulares aliis quam Confessariis sui Ordinis valeant confiteri?*

RESP. Cum existunt in loco ubi nullus conventus, nullusque Confessarius Ordinis reperitur, possunt libere ac licite quemlibet Presbyterum sæcularem ab Ordinario loci, vel Regularem a suo Superiore regulari ad sacramentales confessiones recipiendas approbatum adire, atque ab illo absolvi. Ita pro Patribus Capuccinis statuit Benedict. XIV, Bulla *Quod communi* [1].

DISSERTATIO II.

De Obligationibus in Societate civili.

Nota. Quæque societas civilis sub duplici respectu considerari debet: quoad ejusdem partes, et quoad ipsum totum integrum. Si consideratur sub respectu ejus partium, tot sunt numero societates, quot sunt familiæ ex quibus societas civilis conflatur, et vocantur societates privatæ, seu domesticæ. Spectata vero quoad ipsum totum integrum, unica est societas civilis, ex privatis societatibus conflata.

Jam vero, quilibet homo in societate constitutus, vel vitam agit privatam in societate domestica, vel aliquo officio publico fungitur, et dignitate publica insignitus est, ad bonum publicum.

Ex hac duplici conditione, duplex oritur species obligationum. *Aliæ*, scilicet, quæ hominem ligant, in vita privata, seu societate domestica, et vocantur obligationes

[1] Data ann. 1742, die 30 martii.

privatæ. *Aliæ* quæ ligant eum cum in societate civili publico munere donatur : de quibus dicemus duplici quæstione.

QUÆSTIO I.

DE OBLIGATIONIBUS PRIVATORUM.

Nota. Obligationes privatæ in tres species dividi possunt, cum tres sint species privatarum societatum. Alia est enim *paterna*, alia *conjugalis*, et *herilis* alia.

Ex *paterna* societate nascuntur obligationes parentum et filiorum ; et cum tutores et magistri habeantur uti patres respectu minorum ac discipulorum, hinc illorum obligationes huc revocamus [1].

Ex *conjugali* oriuntur obligationes mariti et uxoris, de quibus in tract. *de Matrimonio*.

Ex *herili* deducuntur obligationes dominorum et famulorum.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM ERGA LIBEROS, ET VICISSIM.

QUÆRES 1. *Quænam sunt obligationes parentum erga liberos ?*

RESP. *Quatuor*. Parentes ex justitia debent filiis suis, scilicet amorem, instructionem christianam, exemplum et correptionem.

Contra amorem filiis debitum peccant :

1° Qui abortus periculo sese exponunt [2].

2° Qui pueros non curant alere et convenienter sustentare [3].

[1] *In hoc præcepto* nempe IV. Decalogi *intelligitur mandari quidquid pertinet ad reddendum debitum cuicumque personæ, sicut secundarium includitur in principali, ait* S. Thom., 2 2, q. 122, act. 5, ad 2. Huc veniunt etiam patrini, de quibus in tractatu *de Sacramentis*.

[2] Lib. IV, ff. *de Agnos. et alend liberis.* — [3] Ibidem.

3° Qui eos absque urgenti necessitate in xenodochiis collocandos exponunt [1].

4° Qui quibusdam ex filiis omnino dediti, alios negligunt et acerbe tractant.

5° Qui filios suos ad aliquem statum invitos cogunt [2], vel ab aliquo amplectendo invitos retrahunt [3].

Contra instructionis debitum graviter peccant :

1° Qui diligenter non curant filios suos per se vel alios rudimenta fidei edocere.

2° Qui de rebus divinis nunquam aut raro cum ipsis sermonem habent.

3° Qui permittunt eos liberius vivere, ludo et delectationibus immodicis assuescere, in peccandi occasione versari, etc.

4° Qui non invigilant ut præceptum orationis impleant, cæteraque vitæ Christianæ munera rite obeant.

Contra bonum exemplum filiis debitum gravissime peccant :

1° Qui coram filiis verba impudica et blasphemias proferunt.

2° Qui coram eis ebrietatem sectantur, ludos immoderate frequentant, maritaliter secum agunt, etc.

3° Qui filios aut filias secum dormire sinunt, cum imminens adest periculum gravis scandali [4].

Contra correptionis debitum graviter peccant parentes :

1° Qui filios delinquentes non objurgant, et, cum oportet, moderate non puniunt ; *qui* enim *parcit virgæ, odit filium suum ; qui autem diligit, instanter erudit* [5].

2° Qui filiis suis libertatem relinquunt quævis frequentandi consortia ; cum tamen maximum ipsius periculum immineat a consortio malorum. Quare *Prov.* 1 dicitur : *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.*

[1] Lib. IV, ff. *de Agnosc. et alend. liberis.* — [2] Trident., sess. 25, cap. 18 *de Regular.* — [3] Cap. *Puella*, 20, q. 2. — [4] In 3 part. Act. Concil. Mediol., tit. *de Cautione et custod.* — [5] *Proverb.* 23, 14.

Prohibe pedem tuum a semitis eorum; pedes enim eorum ad malum currunt.

3° Qui filiis et filiabus suis permittunt consortia diversi sexus, quia in illis castitatem, etiam puerorum, periclitari norunt qui eorum confessionibus audiendis versati sunt. Quare Div. Hieronym., epist. *ad Gaudentium*, ait: *Nesciat puella, imo timeat cum pueris ludere.*

4° Qui filiis et filiabus permittunt lectionem romanensium, fabularum, vel frequentationem spectaculorum minus honestorum, in quibus mundi spiritus imbibitur, amor obscenus sensim sine sensu inspiratur, devotionis spiritus extinguitur.

5° Qui erga ipsos nimium severi, ipsos ad iracundiam provocant.

6° Qui magis ira quam charitate, magis phantasia quam ratione, in ipsos sæviunt.

QUÆRES 2. *Ad quid obligentur liberi erga parentes?*

RESP. Debent parentibus amorem, reverentiam et obedientiam; nam hæc tria, juxta omnes, continet præceptum naturale: *Honora patrem tuum et matrem*, etc. [1].

Contra amorem parentibus debitum graviter peccant filii, et quidem peccato distincto ab eo quod aliunde committunt:

1° Qui parentibus signa odii ostendunt, vel signa amoris nunquam aut raro dant.

2° Qui ipsos dure tractant, de ipsis erubescunt; aliquid agunt, vel omittunt, ex quo prævident parentes contristandos, vel in gravem iram excitandos esse, licet illud de se non sit peccatum.

3° Qui ipsis non subveniunt in necessitate spirituali vel corporali, v. gr. qui ipsos non visitant, si sint infirmi; non providet de necessariis, si sint egeni, etc.

Contra reverentiam debitam graviter peccant:

1° Qui parentes spernunt, irrident, contumeliis afficiunt, torvis oculis aspiciunt, etc.

[1] *Deuteron.* 6, et Matth. 19, 9.

2° Qui eos percutiunt etiam leviter, imo qui ipsis minantur, aut contra ipsos manum elevant, etsi sine animo percutiendi; in his enim est gravis in parentes irreverentia et injuria.

Contra obedientiam filii graviter peccant:

1° Qui parentibus obedire nolunt in iis quæ spectant ad domesticam administrationem, vel bonos mores; in his enim subditi sunt parentibus.

2° Qui in contrahendo matrimonio parentum consensum non postulant, aut illud contrahunt ipsis rationabiliter invitis; si tamen injuste consensum denegent, licite filii contrahere possunt.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS TUTORUM, CURATORUM, MINORUM, ETC.

Nota. Tutor est is cui commissa est cura pupilli et bonorum ejus.

Curator est is qui assignatur minori, præcipue in curam bonorum ejus.

Inter tutores et curatores illud tantum discriminis intercedit, quod tutor detur principaliter in curam personæ, et secundario in curam bonorum impuberis; curator vero detur principaliter in curam bonorum, et secundario in curam personæ puberis.

QUÆRES 1. *Quænam sunt obligationes Tutoris et Curatoris?*

RESP. 1. Tutor cum erga pupillum vices patris gerat, tenetur:

1° Curam gerere pupilli, ejus personam tueri, christiane educare per se, vel per alios, et dare operam ut artem sibi convenientem addiscat.

2° Tenetur pupilli bona curare, et fideliter ac diligenter administrare, si opus fuerit.

Resp. 2. Certum tenetur fideliter ac diligenter bona minoris administrare, et insuper ejus personæ et educationi, cum opus fuerit.

Hinc si Tutor vel Curator in administratione suæ tutelæ sint graviter negligentes, peccant mortaliter, et tenentur ad compensationem damni, quia peccant contra proprium officium, proindeque contra justitiam.

Quæres 2. *Quænam sunt obligationes Pupilli et Minoris?*

Resp. Tenetur Tutoribus ac Curatoribus suis exhibere amorem, reverentiam et obedientiam in iis quæ ad eorum tutelam spectant, velut parentibus, quorum locum illi tenent.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS MAGISTRORUM ET DISCIPULORUM.

Quæres 1. *Quænam sint obligationes Magistrorum erga discipulos?*

Resp. Magistri discipulis sicut patres filiis debent amorem, correctionem, exemplum, et specialiter doctrinam.

Contra debitum discipulos doctrina instruendi peccant magistri:

1° Qui discipulorum progressum in litteris non sedulo promovent.

2° Qui non satis student ut recte officio fungantur.

3° Qui sine causa scholam omittunt.

4° Qui scientiam aut artem quam profitentur, eos diligenter edocere negligunt; ad quam edocendam si stipendium suscipiant, ad restitutionem tenentur.

Quæres 2. *Quænam sint obligationes Discipulorum?*

Resp. Debent magistris amorem, reverentiam et obe-

dientiam, in his quæ ad bonos mores et studia spectant; contra quam peccant,

1° Si a schola absint sine justa causa;

2° Si tempore studiis destinato, lusui vacent vel otio; et quidem mortaliter peccant, si studia notabiliter negligant.

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ET FAMULORUM ERGA SE INVICEM.

QUÆRES 1. *Quænam sint obligationes dominorum erga famulos?*

RESP. Domini famulis sicut patres filiis debent cum proportione amorem, instructionem, exemplum, correctionem, et insuper justum stipendium, juxta illud Apostoli[1]: *Domini, quod justum est et æquum, servis præstate.*

In quibus peccant contra amorem, instructionem, etc., facile colligitur ex dictis de peccatis patrum circa easdem obligationes erga filios; restat ut dicamus ipsos peccare contra debitum solvendi justi pretii:

1° Cum famulos infra infimum pretium conducunt.

2° Cum mercedem juste conventam eis non suppeditant, aut solvere differunt.

3° Qui damna absque eorum culpa contingentia eos solvere cogunt.

4° Qui famulum conductum, ante terminum constitutum dimittunt, prout dictum est in contractu locationis (§ 7, *de Contract. in particulari*).

QUÆRES 2. *Quænam sint obligationes famulorum erga dominos?*

RESP. Debent dominis amorem, reverentiam, obedientiam in his quæ spectant famulatum, et insuper fidelitatem

[1] *Colos.* 4, 1.

tum in remanendo apud dominum usque ad tempus condictum, tum recte gerendo negotia dominorum.

Contra fidelitatem peccant famuli,

1° Qui dominis rationabile obsequium non, vel negligenter reddunt, et tenentur restituere partem stipendii pro rata laboris omissi.

2° Qui secreta familiæ aliis revelant.

3° Qui grave damnum dominis inferri permittunt, cum impedire possint; item qui dominos de damnis ipsis ab aliis, sive extraneis, sive conservis suis, illatis, monere negligunt, si ex suo munere ad id teneantur; in quibus casibus tenentur ad restitutionem, ut alibi dictum est.

DISSERTATIO III.

De obligationibus personarum judicialium et forensium.

Nota. Ad judicium concurrunt judex, actor, testes, reus, advocatus, referens, procurator, notarius, scriba et apparitor; de quorum obligationibus sub diversis titulis agemus.

CAPUT I.

DE JUDICE.

QUÆRES 1. *Quis sit Judex?*

RESP. Est persona publica habens legitimam potestatem juris dicendi.

QUÆRES 2. *Quot sunt obligationes præcipuæ judicis?*

RESP. Sunt quinque. *Prima* obligatio est, ut habeat jurisdictionem in personas judicandas et in causam, alioquin est reus usurpatione judicii, peccatque contra justi-

tiam, et ejus sententia est irrita [1], nisi adsit titulus coloratus, et error communis.

Secunda obligatio est, ut habeat scientiam sufficientem ad munus suum recte obeundum, juxta illud Psalmistæ : *Erudimini qui judicatis terram* [2].

Resolves 1. Nullus officium judicis suscipere debet, nisi scientia competenti sit præditus, vel nisi brevi eam acquirere possit et conetur, et interea a judicio ferendo abstineat; alias se exponeret periculo probabili nocendi partibus, et peccaret mortaliter.

Resolves 2. Judex ex magna imperitia injuste judicans, tenetur compensare totum damnum inde litigantibus obveniens, sive in substantia litis, sive in supervacaneis impensis.

Quod si judex animadvertat errorem a se, quamvis sine gravi culpa, commissum in præjudicium litigantis, tenetur, si potest citra infamiam, impedire errorem, v. gr. monendo occulte partem læsam ut sibi appellatione vel aliter consulat, quia id pertinet ad debitam muneris executionem [3].

Tertia obligatio est, ut habeat constantiam et virtutem ad munus judicis exercendum, juxta illud Eccle. VII : *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere in iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in iniquitate tua.*

Quarta obligatio est, ut justitiam et integritatem in omnibus conservet.

Contra justitiam peccat judex :

1° Qui sententiam protrahit; præcipit enim jus [4] ut celeriter feratur, et cuique suum tribuatur.

2° Qui sententiam fert ambiguam, unde ad novas interpretationes cum dispendio partium devenire necesse est.

[1] Cap. 4 *de Jud.* ; cap. 4 *de Pœnit.* — [2] *Psalm.* II, 10. — [3] S. Ligor., lib. VI, num. 195 ; de Lugo, lib. XXXVII, num. 3. — [4] Cap. 2 *de Sentent. et re judicata.*

3° Qui in re evidenter justa unum litigantium ad compositionem accedere, fraudulenter, sub prætextu dubii eventus, inducit.

4° Qui munera suscipit pro ferenda sententia, sive injusta, ut patet, sive etiam justa; ratio est, quia ex officio tenetur ferre sententiam justam: unde si aliqu'l pro ea ferenda recipiat, vendit quod suum non est.

5° Qui propter pecuniam acceptam expedit causam alicujus præ alia, quia judex ex justitia tenetur cito expedire causas eorum qui æquale jus habent ad expeditionem [1].

Contra integritatem peccat judex,

Qui recipit munera, etiam liberaliter et sine ullo onere a partibus oblata, quia *dona excæcant oculos judicum* [2]. Unde judicibus recipere munera prohibet utrumque jus, canonicum et civile [3], nisi *xenia*, ubi maxime viget consuetudo legitime præscripta.

Quinta obligatio est, ut judicet secundum leges, tum quoad modum procedendi [4], ordinem et formam judicii; tum quoad sententiam ferendam et exequendam [5]. Ratio est, quia ad hoc constitutus est a republica vel principe.

Hinc 1° judex non potest quemquam condemnare inauditum et sine testibus [6].

2° Non potest uti scientia injuste contra juris ordinem acquisita, v. gr. si crimen detexit interrogatione facta ubi nulla præcesserat infamia, vel semiprobatio, aut indicia sufficientia; *item* si dolo (promissione, v. gr. impunitatis)

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 196, contra Laym. — [2] Eccl. 20. — [3] Cap. 10 *de Vita et honest. Cler.*; cap. 11, *de Rescript.*, in 6; leg. 18, ff. *de Officio Præsid.*, Auth., *Ut judices sine quoquo suffragio.*

[4] Triplici modo procedi potest contra criminosos: 1° Via *accusationis*, cum aliquis accusat, spondens se objecta probaturum; 2° Via *denuntiationis*, cum deferens crimen non vult suscipere onus probandi; 3° Via *inquisitionis*, quæ est triplex: 1° generalis, quando in genere quæritur an leges serventur; 2° specialis, quando de certa persona, et certo crimine quæritur; 3° mixta, quando vel sola persona, vel crimen solum est speciale, ut si quæratur quis *Caium* occiderit. (Busemb. apud S. Lig., lib. IV, num. 197.)

[5] Cap. 1 *de Constit.* — [6] Clem. II, *de Sent. et de re judicata*.

reum induxerit ad confitendum crimen. Ratio est, quia reo facta injuria continuatur et augetur usu cognitionis taliter acquisitæ.

3° Non potest absque legitima causâ pœnam a legibus statutam notabiliter minuere vel augere.

4° Non potest, absque præcedente infamia, vel semiprobatione aut clamorosa insinuatione, id est multorum rumore de crimine, instituere specialem de persona inquisitionem [1]. Ratio prohibitionis est, quia per illam inquisitionem quis suspectus et infamis redderetur.

Dixi *inquisitionem specialem de persona;* quia cum crimen certe est commissum, de eo potest et debet inquiri specialiter, et de persona generatim.

Porro processus per inquisitionem sic efformandus est :

1° Eligendus est a Superiore secretarius actorum. 2° Examinandi sunt per distinctos articulos, præstito juramento. 3° Si ex testibus nulla semiplena probatio habeatur, nondum reus potest legitime interrogari; nec, si interrogatur, ipse tenetur respondere. 4° Si reus fatetur delictum, proceditur ad sententiam; quia *confessio conscientiæ vox est* [2]; unde, *confessus pro judicato est, qui quodammodo sua sententia damnatur* [3]. Hoc quidem valet in causis civilibus et mere pecuniariis; aliter autem dicendum in causis criminalibus, in quibus ut regula admittitur quod *nemo auditur perire volens.* Unde, licet plurimum valeat rei confessio, juxta illud : *Habemus confitentem reum*, procedendum est tamen ad eum convincendum [4].

5° Non potest absque gravibus indiciis reum torturæ subjicere, alias *confessio habita est nulla, etiamsi sequatur ratificatio* [5].

[1] Cap. 21 et 2 *de Accusat.* — [2] Senec., lib. VII, *controv.* 3. — [3] Leg. I, *ff. de Confessis.* — [4] Vid. S. Ligor., lib. VI, num. 201. — [5] Leg. penult., ff. *de Quæst.*, *a pari rationis.*

6° Non potest subjicere torturæ eos qui jure torqueri prohibentur; tales sunt impuberes, senes, prægnantes, viri illustres eorumque filii, doctor ejusque liberi, miles, qui nisi in criminibus exceptis, hæresis scilicet, et læsæ majestatis, non possunt torqueri [1].

Possunt tamen terreri verbis, et torturæ comminari; et si fateantur crimen, valet confessio tanquam spontanea [2].

Nunc vero obsoleverunt torturæ in quibus fere nihil veritati loci relinquitur, quia *la torture interroge, et la douleur répond*, ut ait quidam poeta.

QUÆRES 3. *Utrum judex possit capite damnare eum quem certo cognoscit innocentem, si per testes legitime probetur reus?*

RESP. Affirmat Div. Thomas, negat Div. Bonaventura.

Dixi *capite damnare;* quia in causis civilibus, et in iis in quibus agitur tantum de pœnis pecuniariis: judex potest judicare secundum allegata et probata. Ratio est, quia respublica habet dominium altum in bonis privatorum, vi cujus potest de illis disponere, quando bonum commune id requirit; atqui bonum commune id requirit in præsenti casu, ne, scilicet, forma publicorum judiciorum cum populi scandalo pervertatur: ergo, etc.

RESP. *itaque negative.* Quia intrinsece malum est aliquem occidere sine auctoritate; atqui judex nullam habet auctoritatem in vitam innocentis; hanc enim auctoritatem ei non potuit communicare respublica, cum nec ipsa talem habeat, sed solus Deus: ergo, etc.

Confirmatur. Quia quando dicit Scriptura: *Non mœchaberis*, vetat accessum ad non suam, etiamsi in judicio probetur sua per testes; nec judex privata scientia certus Annam non esse uxorem Petri, potest ferre sententiam qua Petrus ad ipsam accedere teneatur, licet in judicio Anna probata fuerit uxor Petri; ergo a pari, quando Scriptura dicit: *Insontem et justum non occides, quia aversor*

[1] Leg. *Non est dubium*, cod. *de Legibus.* — [2] Leg. 15, § 41, ff. *De injuriis.*

impium, vetat occisionem innocentis, etiam in judicio probati nocentis, nec judex privata scientia certo sciens innocentiam ipsius, sententiam ferre potest, ut occidatur.

PROB. PARITAS. Ideo judex non potest ferre sententiam qua Petrus tenetur accedere ad Annam in casu proposito, quia hoc est intrinsece malum; atqui insontem occidere, pariter est intrinsece malum: ergo, etc.

DICES 1. Judex non judicat ut persona privata, sed ut publica nomine reipublicæ: ergo in judicando non potest sequi privatam scientiam, sed publicam.

RESP. *Dist. ant.* Judicat ut persona publica, in his in quibus a republica potestatem habet, *conc.*; in quibus non habet, *nego*. Respublica autem nec potuit, nec voluit judici conferre potestatem occidendi innocentem, cum hoc sit intrinsece malum, juxta illud Exodi XXIII: *Insontem et justum non occides, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies.*

DICES 2. Ex Div. Ambrosio[1]: *Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, sed juxta leges et jura pronuntiat:* ergo, etc.

RESP. *Dist.* Juxta leges et jura pronuntiat, cum de facto pronuntiat, *conc.*; cum non pronuntiat, *nego*. In præsenti enim casu nullatenus debet pronuntiare, sed, (quod notandum pro praxi), tenetur omnes inire vias quibus possit innocentem liberare, v. gr. impediendo accusationem; vel testes per varia intervalla examinando et minis terrendo, vel judicium protrahendo; et si his omnibus viis non possit eum liberare, debet causam ad superiorem judicem remittere, et apud eum assumere officium testis, ut possit liberationem innocentis urgere.

INST. 1. Div. Thom., quæst. 67, art. 2, dicit: *Judicare pertinet ad judicem, secundum quod fungitur publica potestate. . et ideo informari debet in judicando, non secundum quod ipse novit tanquam persona privata, sed secundum quod sibi innotescit tanquam personæ publicæ... per instrumenta*

[1] Serm. 20 *in psalm.* CXVIII.

et testes... quæ debet in judicando sequi magis quam quod ipse novit tanquam persona privata: ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Debet judex judicare secundum quod ipsi innotescit tanquam personæ publicæ, quando judicat, *conc.;* quando non judicat, *nego ant.* Non ergo amplius dicit ibi Div. Thom., nec ipsi contradicimus dicendo quod, ubi agitur de occisione vel mutilatione innocentis, nec inductas probationes jure potest repellere, potius abstinere debet a judicio, quam innocentem contra prohibitionem divinam damnare.

Inst. 2. Atqui judex in casu proposito tenetur judicare: ergo nulla solutio.

Prob. Ant. Ex cap. *Pastoralis,* de officio et auctoritate judicis delegati, ubi dicitur: quod judex delegatus exequi debeat sententiam quam ipse notavit injustam: ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Quia ibi sermo non est de occisione vel mutilatione, sed de causa mere ecclesiastica; imo nec de judice, sed de mero executore.

Inst. 3. Sacerdos dare debet Eucharistiam peccatori occulto eam publice petenti: ergo judex debet ad mortem damnare innocentem occultum, publice probatum nocentem.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod ministratio Eucharistiæ non sit intrinsece mala, prout est occisio innocentis. Imo esse licitam in casu proposito probat exemplum Christi, qui in ultima cœna Eucharistiam Judæ indigne suscipienti ministravit; et sicut non concurrit ad irreverentiam Judæ, ad quam se permissive tantum habuit, ita nec Sacerdos in pari casu. Cum e contra judex, innocentem damnando ad mortem, ad eam certissime concurrit, seque habet active mandando, non permissive duntaxat.

Inst. 4. Deus jubet ut ad mortem damnetur qui per testes in judicio probatus fuerit nocens, juxta illud Deuter. xvii: *In ore duorum vel trium peribit, qui interficietur:* ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Sensus enim textus est, quod nullus ad mortem possit damnari, nisi reus probetur per testimonium duorum vel trium, nec ad hoc sufficiat unius solius testimonium; unde immediate additur : *Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium.* Nihilominus ambæ hæ sententiæ probabiles sunt, ait S. Ligorius [1].

Quæres 4. *An judex, in dubio etiam possessionis et proprietatis, possit judicare juxta opinionem etiam minus probabilem?*

Resp. *negative.* Propter proposit. 2 damnatam ab Innoc. XI, quæ dicebat : *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Ratio, quia judex est constitutus a republica, ut unicuique jus suum tribuat secundum merita causæ; atqui potior est causa illius qui jus majus habet; majus autem jus habet is cui probabilior opinio favet : ergo, etc.

Quæres 5. *An judex in causis paris probabilitatis possit ferre sententiam pro parte, pro qua maluerit?*

Resp. 1. In causis criminalibus, maxime capitalibus, judex omnino judicare debet pro reo, etiamsi pro ipso stet opinio minus probabilis. Ratio, quia nemo condemnandus, nisi convictus de crimine ex legibus [2], juxta quas ad proferendam sententiam sanguinis probationes debent esse luce clariores.

Resp. 2. In causis civilibus, cum adest æqualis probabilitas facti, res est omnino dividenda, si jus æque faveat partibus, ut communiter dicunt doctores. Si dubium sit, cui partium jus magis faveat, adhuc res est dividenda, ut probabilius tenent Salmanticenses, Suarez, Bonacina, etc., contra Sanchez et plures alios. Etenim judex non est dominus rerum, sed distributor, juxta jura partium; igitur, si jura sunt æqualia, æqualiter inter eas rem dividere debet; atqui in casu jura sunt æqualia, cum utraque pars

[1] Lib. v, num. 208. — [2] Leg. *Absentem*, ff. *de Pœnis*, et leg. *Sciant*, cap. *de Probat.*

juxta diversas doctorum probabiles sententias integrum habeat jus ad rem. Ergo, etc.

Excipiuntur 1° Casus quo, librantibus æque juribus, una pars possidet cum bona fide, quia titulus possessionis elidit rationes æque probabiles, ex regula juris : *In pari causa, potior est conditio possidentis*[1]. — 2° Causæ matrimonii, dotis, viduæ, pupilli, et aliæ causæ piæ, pro quibus judicandum est, cum jura sunt æqualia, etiamsi sint actores[2].

QUÆRES 6. *An in causis civilibus debeat judex judicare contra legitimum possessorem, si actori faveat opinio probabilior?*

RESP. *negative.* Nam titulus possessionis, ex communi sententia, elidit rationes probabiliores; unde non est procedendum contra possessionem certam aut certe legitimam, nisi ex certitudine juris et jam probati; atqui actor jus suum nequit probare, qui rationes probabiliores, non autem convincentes, adducit contra possessorem, qui probabile jus habet : ergo[3], etc.

DICES : Ex regula juris : *In pari causa potior est conditio possidentis :* ergo non est potior in causa non pari.

RESP. *Nego conseq.* Nam ex illo textu, necessario non infertur, inquit S. Ligorius[4], quod sententia ferenda sit pro actore habente rationes probabiliores contra possessorem legitimum, qui pro se rationem probabilem habet; hoc enim casu potius attendi debet illa alia regula juris 11, nimirum : *Cum sunt partium jura obscura, potius favendum est reo quam actori.*

CAPUT II.

DE ACCUSATORE, DENUNTIATORE ET TESTIBUS.

Nota. Accusator est is, qui crimen defert judici ad vin-

[1] Cap. *Litteris, de Prob.*— [2] Cap. fin. *de Sentent. et re judicat.*— [3] S. Ligor. lib. VI, num. 210.— [4] Ibid.

dictam cum obligatione crimen probandi. In causis vero civilibus, ille qui velut pars læsa, adversam ad judicem compellit, actor nuncupatur.

Denuntiator est is, qui crimen defert judici ad rei emendationem, sine obligatione illud probandi. Et hæc differt a denuntiatione fraterna, quæ fit superiori tanquam patri, ut reus emendetur, pro qua vide tract. *de præcept. Charitatis.*

Testis est is, qui asseveratione sua rei fidem facit.

Testis idoneus est is, cui nihil opponi potest, quominus fides ei adhibeatur. Vocatur testis *omni exceptione major.*

Testis minus idoneus est is, cui aliquid opponi potest, quominus fides ei adhibeatur.

Quæres 1. *Quænam sunt dotes accusatoris?*

Resp. Sunt duæ. *Prima* est veritas, qua deterreatur ab accusatione et probationibus falsis vel dubiis.

Secunda est justitia, qua ab injustis deterreatur molitionibus, v. gr. testes falsos adhibendo, judices corrumpendo, aut de eorum justa sententia injuste appellando; quæ omnia sunt peccata mortalia ad restitutionem obligantia.

Quæres 2. *An quis, et quo titulo, teneatur accusare vel denuntiare?*

Resp. 1. Officiales justitiæ tenentur ex justitia denuntiare delinquentes, quia tenentur ex officio; tales sunt fiscalis, custodes agrorum, nemorum, etc.

Resp. 2. Privati tenentur ex charitate, quæ restitutionem non importat, denuntiare 1° quando crimen in malum reipublicæ vergit. Talia sunt hæresis, proditio, crimen læsæ majestatis, veneficium, etc.; 2° dum id necessarium est ad avertendum grave damnum innocentis, quamvis inde grave malum impendeat reo; quia innocens præferri debet reo voluntarie nocenti.

Nota. Ex *jure Romano*, quisquis accusator esse potest,

qui specialiter lege non est prohibitus. Prohibentur vero impuberes, mulieres, magistratus, infames et proxime conjuncti.

Ex *jure* autem *Canonico*, prohibentur : 1° Clerici in judicio sæculari, præsertim in causa sanguinis. 2° Laici respectu Clericorum, nisi crimen sit immane, vel Ecclesiæ maxime nocivum. 3° Hæretici non tolerati, et excommunicati, respectu fidelium.

Ex *jure Gallico*, nemo privatus potest accusare, sed munus accusandi crimenque probandi magistratui ad id constituto, seu generali gubernii procuratorii unice demandatur. Propter quod id munus *ministerium publicum* nuncupatur, quatenus partes communitatis contra reos suscipit ac tuetur.

QUÆRES 3. *Quot sint obligationes testium?*

Nota. Nemo tenetur ex justitia sponte se offerre ad testificandum, nisi grande malum reipublicæ vel innocentis sit facile avertendum.

RESP. Sunt duæ. *Prima*, testificari dum a legitimo judice legitime sunt interrogati, exceptis quibusdam casibus.

Dixi 1° *legitime interrogati*, id est, dum de auctore delicti præcessit infamia; vel dum sunt sufficientia indicia aut semiprobatio; vel dum grave malum impendet reipublicæ aut alicui privato, quod alia ratione quam per judicem averti nequit.

Dixi 2° *exceptis quibusdam casibus :* non enim tenentur testificari :

1° Qui delictum norunt ex confessione sacramentali.

2° Qui delictum norunt sub secreto naturali consilii vel auxilii petendi gratia, ut advocatus, medicus, obstetrix; modo tamen sit præteritum, non autem futurum, dum nempe avertendum est grave damnum imminens communitati, vel privato innocenti.

3° Qui crimen per injuriam illatam cognoverunt, v. gr.

litteras aperiendo; alias continuaretur, imo augeretur injuria.

4° Qui delictum acceperunt a viris non fide dignis, nam testificatio esset inutilis.

5° Qui est consanguineus vel affinis delinquenti usque ad quartum gradum [1]; quia bonum commune requirit ut vitentur dissensiones in familiis.

6° Qui testificari nequit sine gravi damno suo vel suorum, cui damno non tenetur se exponere ut testificet.

7° Qui scit reum non peccasse mortaliter.

Secunda obligatio est, ut verum absque fuco testetur; *Testis* enim *mendax peribit* [2]; nam, præter perjurium, peccat contra justitiam, et tenetur resarcire omnia damna inde secuta; imo tenetur revocare testimonium cum pari suo damno, et periculo etiam vitæ, si accusatus de ea periclitetur, et retractatio putetur profutura; quia per injuriam est causa damni et periculi alterius, et *in pari causa melior est conditio innocentis.*

Adverte 1° Qui totam veritatem non dixit, peccat utique contra obedientiam, sed probabilius non peccat contra justitiam, nec tenetur ad restitutionem, quia tantum est causa negativa mali secuti. 2° Qui bona fide falsum dixit, nonnisi cum levi incommodo tenetur falsum testimonium aperire et damnum eo modo quo potest impedire. *Item* dicendum foret *probabilius*, si venialiter tantum peccasset. Ita communiter.

Quæres 7. *Quid de illo qui scripturam, chirographum, aut epocham supponit vel adulterat ad supplendos actus perditos, vel ad jus certum prosequendum?*

Resp. 1. Non peccat contra justitiam commutativam, cum persequatur suum, licet modo illicito.

Resp. 2. Peccat saltem venialiter in omni casu, ratione mendacii, exhibendo instrumenta quæ non sunt ea quæ in judicio fidem facere debent.

Resp. 3. Potest interdum peccare graviter contra chari-

[1] Cap. 4, *Si testes*, quæst. 3, referente legem 4, *ff. de Testibus.*—[2] *Prov.* xxi, 28.

tatem erga seipsum, se exponendo maximæ pœnæ, si fraus detegatur, quod facile evenire potest. — Peccat etiam graviter contra justitiam *legalem*, si actus supposititios adinvenit, quod est magna deordinatio in societate. Ita P. Gury[1].

Quæres 5. *An testis teneatur revelare crimen occultum, v. gr. quod ipse solus novit?*

Resp. 1 *Affirmative.* Si spectetur præsens legislatio Galliæ aliorumque locorum similium, ubi lex totam refert rem ad arbitrium cœtus juratorum (Jury), qui ex informata conscientia damnare potest, uno teste probante, vel absolvit quandoque invitis testibus, juxta intimam quam habet facti convictionem.

Resp. 2 *Negative probabilius.* Si attendatur ad jus Romanum, ex quo necessario duo testes requiruntur ut reus damnetur, etiam habita ipsius confessione, juxta illud: *Manifeste sancimus, ut unius omnino testis responsio non audiatur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat* [2]. Hinc axioma: *Testis unus, testis nullus; Vox unius, vox nullius.* Ratio, quia tunc non censetur præcedere infamia, nec adesse semiprobatio [3].

Quæres 6. *An vel quomodo peccet testis qui se abscondit ne citetur, vel aufugit post citationem ne testetur?*

Resp. Ad primum, non peccat: 1° contra justitiam legalem, quia nemo tenetur obedire mandato, nisi ei manifestetur; 2° neque contra justitiam commutativam, quia mere negative se habet; potest tamen peccare contra charitatem, ut dictum est supra.

Resp. Ad secundum, peccat graviter contra justitiam legalem, cum renuat parere mandato superioris graviter præcipientis. Probabilius tamen non peccat contra justitiam commutativam, quia citatio illa non imponit obligationem justitiæ, sed tantum obedientiæ [4].

[1] *De Statib. part.*, cap. 6, num. 16. — [2] Leg. 9. Cod. *de Testibus.* — [3] S. Ligor., lib. VI, num. 267; Roncaglia, Navarrus, Lessius, etc., contra Salmant. et alios. — [4] S. Ligor., lib. VI, num. 270; Vogler, Billuart, Lessius, Gury, etc.

Quæres 10. *Quinam testes jure non sunt idonei?*

Resp. Non sunt idonei : 1° mulier in criminalibus, jure canonico [1], sed in jure civili in omni causa admittitur [2]; 2° minor viginti annis [3]; 3° inimicus rei [4]; 4° domestici accusatoris [5]; 5° infames [6]; 6° perjuri [7]; 7° persona vilis et inops, de qua suspicio est facile posse corrumpi; secus si honesta sit [8].

CAPUT III.

DE REO.

Nota. Reus est is, qui criminis causa convenitur.

Quæres 1. *An reus a judice interrogatus teneatur crimen suum fateri?*

Resp. Juxta Div. Thom. [9] et probabiliorem sententiam, reum a legitimo judice *juridice* interrogatum teneri sub mortali veritatem et crimen suum fateri, etiamsi morte plectendus sit.

Prob. Quia judex habet jus interrogandi et exigendi veritatem ob bonum publicum, ut fatentur oppositæ sententiæ patroni : ergo fateri coguntur reum teneri judici veritatem fateri, nisi sibi ipsis contradicere velint.

Prob. conseq. Jus in judice ad interrogandum reum exigendamque ab eo veritatem, et obligatio in reo ad illam clare detegendam, sunt duo correlativa, quorum unum sine alio esse nequit : ergo, etc.

Dices 1. Lex humana non obligat cum periculo vitæ : ergo longe minus præceptum judicis.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod legislator humanus nec potest, nec vult legem suam obligare cum periculo vitæ; e contra judex vere potest, et de facto vult præcipere reo semiplene convicto ut veritatem cum peri-

[1] Cap. 10 *de Verbor. sign.* — [2] Leg. 18, *de Testib.* [3] Leg. 20, *ff. de Test.* — [4] Leg. 3, *eod tit.* — [5] Leg. 24, eod tit. *tit.* — [6] Leg. 21, eod tit. — [7] Leg. 3 ibid. — [8] Ibid. — [9] 2 2, quæst. 69, art. 2.

culo vitæ fateatur. Ratio est, quia bonum commune exigit ut crimina puniantur, et reus juridice interrogatus verum fateatur ; alioqui multa crimina manerent impunita, unde facile pullularent cum magno reipublicæ damno.

DICES 2. Testes etiam cum juramento et juridice interrogati, veritatem dicere non tenentur, si inde sibi aut suis grave damnum timeant : ergo multo minus reus contra seipsum in mortis periculo.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est quod testes sint innocentes, non autem reus, ob crimen jam semiplene probatum.

DICES 3. Nemo tenetur arma contra seipsum præbere, ut colligitur lege *Grave nimis* [1] : ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Non tenetur dum injuste impugnatur, *conc.* ; dum juste, *nego.* Reus autem a legitimo judice legitime interrogatus, juste impugnatur, nec per injustam inobedientiam, perjurium et mendacium, seipsum defendere potest.

Verum si reus sit in bona fide, et prævideatur quod difficile induceretur ad confitendum crimen interrogatus a judice, confessarius in sua bona fide eum relinquere debet. Ita omnes.

Cap. *Grave nimis* dicit tantum, reum non teneri adhibere testes contra se, ut habet Glossa, ibidem.

QUÆRES 2. *An reus de complicibus interrogatus, teneatur ipsos detegere?*

RESP. Tenetur ipsos detegere, si de ipsis legitime interrogetur, propter rationem supra allatam ; si autem non interrogetur legitime, non tenetur eos patefacere, quia tunc judex non habet jus interrogandi.

Legitime interrogatur de complicibus : 1° cum de illis præcessit infamia, vel indicia sufficientia, vel semiprobatio ; 2° dum crimen ejus necessario complicem requirit ; 3° dum crimen quod est reipublicæ valde noxium, vel

[1] Leg. 7, eod. titul. *de Testibus.*

etiam alicui innocenti, aliter impediri non potest; hæc omnia colliguntur ex jure [1].

QUÆRES 3. *An reus teneatur justæ sententiæ parere?*

RESP. *Affirm.* Quia judex habet jus puniendi reum : ergo reus tenetur obtemperare ejus sententiæ; sunt enim duo correlativa, quæ simul esse necesse est.

Dicitur *justæ sententiæ;* nam si reus est damnatus injuste, potest positive resistere, v. gr. satellites pellendo, vel eos armis terrendo, non vero vim vi repellere, occidendo, mutilando, etc., quia propositio 18, dicens : *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certe imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare*, fuit ab Alexandro VII, ratione facilis hallucinationis, juste damnata.

Hinc 1° Legitime ad mortem damnatus non potest se defendere contra judicem et executores sententiæ, quia resisteret potestati : *Qui autem potestati resistit, Dei ordinationi resistit* [2].

2° Reus tam in causis civilibus quam in criminalibus graviter peccat, si, causa repellendæ vel differendæ justæ sententiæ, ad superiorem judicem appellet; tunc enim judici recte judicanti et actori injuriam infert.

3° Tenetur pœnam justa judicis sententia decretam, in seipso exequi, *dum nimis gravis non est;* talis est pœna carceris, vel exilii ad tempus; item pœna pecuniaria.

Dixi *dum nimis gravis non est*, siquidem pœnam gravem, v. gr. perpetui carceris, mutilationis aut mortis, nullus in seipsum exequi tenetur. Ratio est, quia hæ pœnæ crudelitatem habent ex hoc præcise, quod a reo executioni mandentur; unde egent executione alterius. Sed

QUÆRES 4. *An licitum est reo fugere ad vitandam mortem vel mutilationem?*

RESP. *Affirm.* Quia non conjicitur in carcerem ut ibi sponte maneat, sed ut ibi detineatur... Nec refert quod ex

Cod. de Accusat. — [1] Rom. XIII, 2.

fuga illa custos carceris grave damnum passurus sit, quia utenti jure suo nihil imputatur ad culpam. Non potest tamen illum pecuniis corrumpere, nam hoc esset eum inducere ad peccandum contra suum officium [1].

Resolves. Qui ad mortem vel mutilationem juste etiam damnatus est, potest, (secluso scandalo et juramento), vincula rumpere et carcerem effringere ; quia cui licitus est finis, licita sunt media: ergo cum licita est fuga, licitum est etiam impedimenta ad fugam removere.

Quæres 5. *An reus ad sui defensionem possit revelare crimina occulta testium vel accusatoris, et an peccet graviter si falsa crimina eis imponat ?*

Resp. Ad primum, *affirm.* 1° si id sit absolute necessarium ad suæ innocentiæ defensionem; 2° si alias reus grave damnum sit passurus, licet inde testi majus sit eventurum.

Resp. Ad secundum, *affirm.* Ex damnat. proposit. 44, ab Innoc. XI, quæ dicebat: *Probabile est non peccare mortaliter qui imponit alteri falsum crimen, ut suam justitiam et honorem defendat: et si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.* Ratio quia mendacia gravia in judicio dicere, est contra justitiæ ordinem [2].

CAPUT IV.

DE ADVOCATO, REFERENTE, PROCURATORE, NOTARIO ET APPARITORE.

Dico. Hi omnes tenentur ex justitia : 1° habere competentem scientiam, qua unusquisque suum munus valeat debite exercere... Hinc si defectu peritiæ debitæ sint causa damni, tenentur illud resarcire, cum erga illos *imperitia culpæ adnumeretur* [3].

1 S. Ligor., lib. VI, num. 282.— 2 S. Ligor., num. 277, et communiter. — 3 Leg. 174, ff. *de Regul. jur.*

2° Tenentur justitiam in omnibus sectari : sunt enim instituti justitiæ ministri, ut in omnibus justitiam partibus administrent.

Quæres : *In quibus hi omnes peccant contra justitiam et ad restitutionem tenentur ?*

Resp. 1. *Advocatus* et *procurator* peccant contra justitiam :

1° Quando causam, quam noverunt injustam, defendunt, et de ejusdem injustitia clientes non monent.

2° Quando periculum litis amittendæ non indicant clienti, qui, eo cognito, non fuisset litigaturus.

3° Quando in processu causæ iniquitatem deprehendentes, non monent clientem ut desistat, nec ipsi eam deserunt, licet prius justam putaverint ; nam alias scienter injustitiam tuerentur.

4° Quando causæ expeditionem cum damno clientis differunt.

5° Quando secreta causæ adversæ parti detegunt ; item qui utrique parti serviunt.

6° Quando in causa manifeste justa clientem ad injustam compositionem inducunt, ut adversæ parti faveant.

7° Quando clienti juste damnato suadent ut de sententia lata appellet.

8° Quando accipiunt pretium justo majus.

Resp. 2. *Referens* peccat et tenetur restituere :

1° Dum defectu studii et diligentiæ pro qualitate causæ requisitæ, male refert, aut aliquid substantiale omittit.

2° Dum conatur jus unius magis quam alterius exponere.

3° Dum secretum uni manifestat in præjudicium alterius.

Resp. 3. *Notarii* peccant et tenentur restituere :

1° Dum sine causa instrumenta conficere respuunt ; vel non exhibent juste petentibus ex quo damnum percipiunt.

2° Dum sincere omnia, prout se habent, non scribunt, v. gr. cum aliquid addunt vel detrahunt.

3° Dum in scriptis suis clausulas ambiguas, quæ litis materiam subministrent, inserunt.

4° Dum acta et instrumenta negligenter custodiunt, cum periculo damni partium.

5° Dum conficiunt instrumenta falsa, usuraria et injusta.

6° Dum testamentum vel alium contractum hominis usu rationis destituti, suscipiunt.

7° Dum testes falsos admittunt.

8° Dum solemnitates in contractibus necessario requisitas ex ignorantia, vel negligentia aut malitia prætermittunt.

Resp. 4. *Scriba* peccat contra justitiam :

1° Dum juramentum aut secretum violat.

2° Dum processus aut sententias diligenter non custodit.

3° Dum testimonia non fideliter transcribit.

Resp. 5. *Apparitores* peccant :

1° Dum juramentum aut secretum violant in præjudicium partis.

2° Dum aliquem deprehendere jussi, vel ejus bona, cum spe muneris vel alio motivo, monent ut sibi caveat.

3° Cum plura negotia expedientes in eodem loco, vel eodem die, tantumdem pro singulis exigunt quantum pro diversis itineribus, vel pro diversorum dierum expeditionibus.

4° Dum falsum in actis suis enuntiant.

5° Dum præscripto tempore acta juridica sibi commissa non conficiunt, ex quo damnum partibus emergit.

6° Dum tempus necessarium ad facienda acta juridica non concedunt.

7° Dum commissionum suarum occasione, pauperes vexant, et in eos violentias exercent.

DISSERTATIO IV.

De obligationibus regum et magistratuum, ducum et militum.

Quæres 1. *Quænam sunt obligationes regum et magistratuum?*

Resp. Tres assignantur præcipuæ.

Prima obligatio est, ut divinas leges et religionem auctoritate sua tueantur, quia ad hoc præcipue sunt a Deo constituti.

Hinc peccant qui diebus dominicis et festivis officinas aperiri, choreas publicas agi, nundinas haberi, vinum divinorum Officiorum tempore a cauponibus ministrari permittunt.

Secunda obligatio est ut populi sibi commissi incolumitati diligenter invigilent.

Hinc peccant qui populum tributis gravioribus onerant; qui res ad victum et vestitum necessarias nimio pretio vendi permittunt.

Tertia obligatio est, ut justitiam, tum vindicativam in criminibus puniendis, tum distributivam in oneribus et officiis distribuendis, inviolabiliter servent.

Quæres 2. *Quænam sunt obligationes ducum belli, et militum?*

Resp. Sunt tres. *Prima* est fidelitas et obedientia erga principem et militiæ præfectos.

Hinc 1 Duces belli peccant contra justitiam:

1° Qui militiæ secreta revelant.

2° Qui suorum militum numerum non complent, dum possunt et debent.

3° Qui in recensione copiarum extraneos non milites (gallice *Passe-volants*) supponunt.

4° Qui militibus debitum stipendium retinent, aut annonam jam corruptam ministrant.

Hinc 2 Milites peccant: 1° qui stationem suam non servant, quam sub vitæ periculo tenentur servare.

2° Qui ad partes inimicorum transeunt.

Secunda obligatio est charitas et mansuetudo erga populos, pro quibus militant.

Hinc peccant contra justitiam milites qui ab hospitibus suis quidquam auferunt vel extorquent, et duces qui similia permittunt, nec restituere cogunt.

Tertia obligatio est, ut fidem et justitiam erga hostes servent.

Hinc peccant duces et milites :

1° Qui fidem datam non servant, aut fraudulenter interpretantur.

2° Qui non imperati damna hostibus inferunt.

3° Qui directe occidunt innocentes, v. gr. pueros, mulieres, etc.

4° Qui contributiones exigunt ab urbibus hostilibus, quæ, summa pecuniaria principi vel duci soluta, redemerunt exactionem.

DISSERTATIO V.

De obligationibus medicorum, et pharmacopolarum, et chirurgorum.

Dico. Horum omnium tres sunt obligationes.

Prima obligatio est, ut habeant scientiam et peritiam sufficientem.

Hinc medici et alii qui hanc artem imperiti exercent, peccant mortaliter, tenenturque damna ex sua imperitia orta resarcire.

Secunda obligatio est, ut fideliter artem suam exerceant.

Hinc contra fidelitatem peccant :

1° Qui debitam curam et operam pro gravitate morbi non impendunt.

2° Qui medicamenta dubia, relictis certioribus, adhibent.

3° Qui ad ditandos pharmacopolas remedia inutilia præscribunt.

4° Qui curationem protrahunt majoris lucri causa.

5° Qui occultos morbos pudendos eorum quos curant, divulgant.

6° Qui stipendium injustum extorquent.

7° Qui in opportuno medicos alios advocari non permittit, vel sine necessitate cum impensis ægri illos advocat.

Tertia obligatio est, ut artem suam cum pietate, religione et charitate exerceant.

Hinc graviter peccant contra has virtutes :

1° Qui mediis illicitis utuntur ad procurandam sanitatem, v. gr. ebrietate, pollutione, etc.

2° Qui sine justa causa a jejunio et abstinentia ægros solvunt.

3° Qui ægros non monent de periculo mortis, ut suæ saluti æternæ mature providere possint; hoc districte præcipitur in Concil. Later. V, cap. *Cum infirmitas, de Pœnitent.*

4° Qui medicamenta ad procurandum abortum mulieri gravidæ præbent, ne ipsa pereat.

5° Qui pauperibus graviter ægrotantibus gratis opitulari recusant.

6° Qui, ut peritiam suam extollant, collegis suis detrahunt ; in hoc casu peccant contra justitiam.

Nota. Mercatorum, rusticorum, artificum aliorumque operariorum obligationes ac peccata satis patent ex dictis *de Contractibus, de Justitia*, et alib.

APPENDIX

CIRCA RECEPTIONEM CONCILII TRIDENTINI.

Cum in hoc tractatu *de Obligationibus*, homines seipsos magis quam veritatem amantes, auctoritatem Concilii Tridentini eliminent, sub falso prætextu illud in Gallia non fuisse receptum, operæ pretium duximus ejus authenticam receptionem hic recensere, prout reperitur in Actis Cleri Gallicani prælo mandatis à Vitré, anno 1673.

Après une mûre et longue délibération, aiunt Prælati congregati, *du commun et unanime consentement de l'Assemblée, la résolution suivante y a été faite :*

« Les Cardinaux, Archevêques, Evêques, Prélats et « autres Ecclésiastiques soussignés, représentans le Clergé « général de France, assemblés par la permission du Roi « au Couvent des Augustins a Paris, après avoir mûrement « délibéré sur la publication du Concile de Trente, ont « unanimement reconnu et déclaré, reconnoissent et dé- « clarent qu'ils sont obligés par leur devoir et conscience « a recevoir, comme de fait ils ont reçu et reçoivent ledit « Concile, et promettent de l'observer autant qu'ils peu- « vent par leur fonction et autorité spirituelle et pasto- « rale. Et pour en faire une plus ample, plus solennelle « et plus particulière réception, sont d'avis que tous les « Conciles Provinciaux de toutes les Provinces métropo- « litaines de ce Royaume doivent être convoqués et as- « semblés en chacune Province dans six mois au plus tard, « et que Messieurs les Archevêques et Evêques absents « en doivent être suppliés par les Lettres de la présente « Assemblée, conjointes aux copies du présent Article ; « pour en iceux Conciles Provinciaux être ledit Concile de « Trente reçu, avec injonction de le recevoir par après « aux Synodes de tous les Diocèses particuliers, suivant

« la délibération générale des Etats de ce Royaume, dont « l'Article est inséré au pied de ce présent Acte : et qu'en « cas que quelque empêchement retardât l'Assemblée des « dits Conciles Provinciaux dans le temps susdit, ledit « Concile sera néanmoins reçu aux susdits Synodes dio- « césains premiers suivans, et observé par lesdits Dio- « cèses. Ce que lesdits Prélats et autres ecclésiastiques « ont promis et juré de procurer et faire effectuer.

« Fait en l'Assemblée générale dudit Clergé, tenue aux « Augustins, à Paris, le septième jour de juillet mil six « cent quinze. »

Cette Délibération fut signée par les Cardinaux de Gondy, du Perron et de la Rochefoucaut ;

Par sept Archevêques, celui de Rheims, de Vienne, d'Aix, d'Ausch, de Bourges, d'Ambrun, et d'Augustopolis, Coadjuteur de Roüen.

Par quarante-et-un Evêques ;

Par les deux anciens Agents généraux du Clergé, et par vingt-huit autres Ecclésiastiques députés de ladite Assemblée.

TRACTATUS

DE PECCATIS.

Hunc Tractatum in duas dissertationes distribuemus, quarum prima erit de Peccatis in communi ; secunda de Peccatis in particulari.

DISSERTATIO I.

De Peccatis in communi.

In hac dissertatione agemus : 1° de essentia peccati ; 2° de causis peccati ; 3° de mutua peccatorum ab invicem distinctione ; 4° de illorum connexione et inæqualitate ; 5° de illorum effectibus.

CAPUT I.

DE ESSENTIA PECCATI.

Nota. Licet vitium et peccatum sæpe confundantur, tamen, si stricte sumuntur, in hoc differunt, quod vitium, quod dicitur a vitando, quia vitari debet tanquam malum, sit habitus inclinans ad actum moraliter malum, unde contrariæ opponitur habitui virtutis; e contra peccatum sit actus moraliter malus atque opponatur contrariæ actui virtutis [1]; ex quo sequitur actum contritionis expellere

[1] Omnis habitus, sive bonus, sive malus, dicit triplicem ordinem : 1° ad subjectum quod disponit ; 2° ad rationem cui conformis est vel disconformis ; 3° ad actum sive bonum, sive malum, cujus est principium. Illae circa virtutem tria

quidem peccatum a suo subjecto, non vero vitium, quod cum charitate consistere potest: hic de solo peccato loquimur; unde

Quæres 1. *Quid sit peccatum?*

Resp. Cum Div. August. [1], est *factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam.* Quod hæc definitio sit legitima,

Prob. Illa definitio est legitima quæ datur per genus et differentiam; atqui prædicta definitio datur per genus et differentiam: ergo. Hæ enim voces, *dictum, factum, concupitum,* tenent locum generis, cum pertineant ad actus bonos et malos, qui vel ore, vel mente vel opere perficiuntur. Istæ vero, *contra legem æternam,* tenent locum differentiæ, et peccatum a quocumque actu humano non peccaminoso, distinguunt: ergo, etc.

Objicies 1. Ista definitio non convenit omni peccato: ergo non est legitima...

Resp. *Nego ant.*

Prob. Ant. Ista definitio non convenit peccato omissionis, quod non est *dictum,* sed omissio dicti, etc.: ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam in moralibus affirmatio et negatio ad idem genus reducuntur; sed omissio est negatio, seu potius privatio actus debiti, qui est quædam affirmatio; nam in omissione voluntaria et culpabili est noluntas obediendi, et quasi voluntas resistendi; et ideo omissio non potest esse voluntaria, nec consequenter culpabilis in indi-

considerari possunt: 1° *dispositio* quædam alicujus convenienter se habentis secundum modum suæ naturæ; 2° quædam *bonitas,* in hoc enim consistit uniuscujusque rei bonitas quod convenienter se habet, secundum modum suæ naturæ; 3° *ad ad quod est virtus,* id est actus bonus, id enim ad quod virtus ordinatur est actus bonus. Atqui his tribus tria inveniuntur opposita in vitio, quorum primum est *vitium* quod opponitur essentiæ virtutis; nam *quod perfectionem naturæ deesse perspexeris,* inquit S. Augustin. (lib. III, *de Lib. Arb.*, cap. 4), *id voca vitium;* secundum est *malitia,* quæ opponitur virtuti, quatenus ipsa est quædam bonitas; tertium est *peccatum,* quod opponitur actui bono ad quem virtus ordinatur; nam peccatum [illegible]o, ric nominat actum inordinatum, sicut actus virtutis est actus ordinatus [illegible]citus (ex S. Thom. 1 2, quæst. 71, art. 10).

[1] Lib. XXII. *Contra Faustum,* cap. 27.

viduo sine aliquo actu qui sit causa vel occasio illius, non ex parte operis, sed operantis : ergo convenienter comprehenditur sub hac definitione peccati.

Inst. Prædicta definitio non convenit peccato originali; nam peccatum originale non est dictum vel factum.

Resp. *Nego ant.* Ad prob. *dist.* Peccatum originale non est dictum vel factum, voluntate propria, cujus non sunt capaces infantes, *conc. antec.;* voluntate aliena, nimirum Adami, *nego antec.* Voluntas enim Adami non erat solum voluntas privatæ personæ, sed erat voluntas communis omnium hominum, quorum Adam erat caput; unde August.[1] ait : *Peccatum originale voluntarium dici poterit in parvulis, quia ex primi parentis voluntate contractum est, factumque quodammodo hæreditarium.*

Objicies 2. Non est de ratione peccati in genere, ut sit contra legem æternam : ergo, etc.

Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Potest dari peccatum mere philosophicum, quod scilicet rectæ rationi præcise adversetur, non vero legi divinæ : ergo non est de ratione peccati in genere, ut sit contra legem æternam.

Resp. *Nego ant.* Nam ex Apost., *Rom.* iv, 15 : *Lex iram operatur; ubi enim non est lex, nec prævaricatio:* ergo quidquid est peccatum, est contra legem æternam. Ratio est, quia qui advertit se contra rectam rationem peccare, simul et indivisibiliter advertit se peccare contra legem æternam, saltem implicite et virtualiter, cum dictamen rectæ rationis sit intimatio ipsius legis æternæ, quod sufficit ad peccandum formaliter et theologice.

Hinc Alexand. VIII[2] ut *scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam et erroneam*, damnat hanc proposit. : *Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, et rectæ rationi, theologicum vero et mortale, est transgressio libera legis divinæ. Philosophi-*

[1] Lib. I *Retract.*, cap. 13. — [2] Die 24 aug., ann. 1690.

cum, quantumvis grave in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensio Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Inst. 1. Div. Thomas agnoscit peccatum mere philosophicum : ergo datur.

Prob. Ant. Div. Thomas [1] ait: *A Theologis consideratur peccatum præcipue secundum quod est offensio contra Deum ; a philosopho autem morali secundum quod contrariatur rationi :* ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Ex textu enim sequitur peccatum considerari posse sub duplici formalitate, nempe ut est offensa Dei, et ut est contrarium rationi ; sed non sequitur aliquod esse peccatum contrarium rectæ rationi, quod non sit contra legem æternam, et vera offensa Dei.

Inst. 2. Ad peccandum formaliter requiritur advertentia ad malitiam peccati ; atqui potest quis agendo contra rectam rationem, non advertere ad malitiam peccati : ergo potest quis peccare philosophice, quin peccet theologice.

Resp. *Dist. maj.* Requiritur advertentia actualis, *nego maj. ;* virtualis et interpretativa, *conc. maj. ;* atqui potest quis agendo contra rectam rationem non advertere ad malitiam peccati actualiter, *conc. min. ;* virtualiter et interpretative, *nego min.* Porro illa virtualis et interpretativa advertentia ad peccatum, sufficit ad peccandum theologice, tum quia *scire et debere scire* de facto æquiparantur apud jurisperitos ; tum quia, juxta Div. Thom. [2], *ratio superior dicitur consentire, sive cogitet de lege æterna, sive non. Cum cogitat de lege Dei, actu eam contemnit; cum vero non cogitat, eam negligit per modum omissionis cujusdam.*

Objicies 3. Peccatum veniale non est contra, sed præter legem Dei, ut docet Div. Thom. [3] : ergo definitio allata non convenit omni peccato.

[1] Lib. II, quæst. 71, art. 5, ad 6.—[2] Lib. II, quæst. 74, art. 7, ad 2.—[3] Lib. II, quæst. 88, art. 1, ad 1.

Resp. *Dist. ant.* Peccatum veniale non est contra legem secundum se spectatam, *nego ant.*; nam mendacium leve prohibetur, Eccle. VII: *Noli velle mentiri omne mendacium;* ita furtum leve prohibetur hoc præcepto: *Non furaberis;* non est contra legem spectatam secundum finem legis, qui est charitas, *conc. ant.* Ratio est, quia non evertit charitatem, quæ est finis legis, ut seipsum exponit Div. Thomas. [1].

Objicies 4. Peccatum actuale non tantum committitur contra legem æternam, sed etiam contra leges humanas: ergo omne peccatum non est contra legem æternam.

Resp. *Nego conseq.* Quia in definitione lex ipsa æterna sumitur quatenus est radix et origo omnium legum, cujus leges humanæ sunt quædam participationes; unde qui peccat contra legem humanam, hoc ipso peccat contra legem æternam quam participat, et quæ præscribit obediendum omni superiori legitime præcipienti.

Objicies 5. Apostolus, *Rom.* II, ait: *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt:* ergo peccari potest sine lege: ergo non omne peccatum est contra legem.

Resp. *Dist. conseq.* Peccari potest sine lege scripta, *conc.;* sine lege æterna, *nego conseq.* De sola lege scripta ibi loquitur Apostolus, qui *Rom.* IV dicit: *Ubi non est lex, nec prævaricatio*, licet hoc generaliter accipi possit, ut infra.

Inst. 1. Axioma theologicum: *Non omne peccatum ideo est malum, quia est prohibitum:* ergo non omne peccatum est contra legem æternam.

Resp. *Dist. ant.* Non enim peccatum ideo est malum, quia est prohibitum lege positiva, *conc.;* lege æterna et naturali, *nego ant.* cum Div. Thom., qui [2] ait: *Cum dicitur quod non omne peccatum ideo est malum quia est prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per jus positivum. Si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primo*

[1] Quæst. 7 *de Malo*, art. 1, ad 1. — [2] 1 2, quæst. 72, art. 6, ad 4.

quidem in lege æterna, secundario vero in naturali judicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum ideo est malum, quia prohibitum.

Inst. 2. Sunt quædam peccata intrinsece mala, independenter a lege æterna et naturali : ergo non continentur nec primario quidem in lege æterna.

Prob. ant. 1° Deus per scientiam simplicis intelligentiæ id quod est intrinsece malum intelligit ut oppositum alicui ex suis attributis essentialibus : ergo ut peccatum independenter a lege æterna illud prohibente. 2° Si per impossibile non esset lex æterna, nec Deus, quod est intrinsece malum foret adhuc malum morale, utpote contrarium rectæ rationi naturali : ergo, etc.

Resp. *Neg. ant.* Ad probationem, *list. conseq.* Deus intelligit ut peccatum independenter a lege æterna *fundamentaliter*, *conc.* ; ut peccatum *formaliter* et *completive*, *nego.* Ratio, quia ante legem æternam nulla est agendorum regula, nullus rerum ordo, nulla recta ratio, cum lex æterna sit prima regula agendorum, radix rectitudinis rationis : ergo nullum foret malum formaliter et completive, *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio* [1] ; esset tamen ante legem æternam malum aut peccatum fundamentaliter, ut repugnans alicui ex attributis divinis, v. gr. mendacium veritati divinæ ; quæ repugnantia est ratio et fundamentum cur Deus illud sua lege æterna prohibuerit. Unde si per impossibile non esset lex æterna, nec Deus, mendacium non esset peccatum formaliter et completive, sed fundamentaliter tantum [2]. Et sic respondetur ad utramque probationem instantiæ.

Inst. 3. Clem. XI damnavit hanc proposit. : *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum esse videatur* : ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Eatenus quippe propositio illa dam-

[1] *Rom.* IV. — [2] S. Thom., 1 2, quæst. 71, art. 6, ad 4.

nata est, quatenus significat fornicationem non esse malam, quia prohibita est jure naturali, immutabili et æterno, sed tantum jure positivo, arbitrario et mutabili; quod est aperte falsum et erroneum.

QUÆRES 2. *An omne peccatum sit contra naturam hominis?*

RESP. Omne peccatum est contra naturam rationalem hominis; nam omne peccatum est contra legem æternam: ergo est contra naturam hominis rationalem, per quam promulgatur nobis lex æterna, cujus est participatio.

DICES: Sunt quædam peccata quæ peculiari ratione dicuntur esse contra naturam, ut sodomia: ergo reliqua non sunt contra naturam.

RESP. *Dist. conseq.* Non sunt contra naturam hominis sensitivam, id est contra naturalem ordinem quem natura servat in generatione, *conc. conseq.*; non sunt contra naturam rationalem, id est contra dictamen rectæ rationis, *nego conseq.* Omnia enim peccata contrariantur rectæ rationi dictanti omnia peccata esse vitanda.

QUÆRES 3. *Utrum formale peccati consistat in aliquo positivo, vel in sola privatione?*

Nota. In peccato duo spectari solent, materiale scilicet, et formale. *Materiale* peccati est quilibet actus humanus, ex quo peccatum physice constat. *Formale* peccati est repugnantia actus humani cum lege æterna. Porro, hic quæritur utrum talis repugnantia sit quid positivum, vel mera privatio.

RESP. *Formalis ratio peccati non consistit in aliquo positivo, sed in sola privatione conformitatis cum lege æterna, quæ conformitas est rectitudo actui debita.*

Nostra responsio est Div. Thomæ, qui [1] sic loquitur: *Peccatum nihil est aliud quam actus humanus malus; quod sit humanus, habet ex hoc quod sit voluntarius; quod sit malus, ex hoc quod caret debita commensuratione.*

[1] 1 2, quæst. 71, art. 6.

Prob. 1. Ratio formalis peccati convenit univoce peccato omissionis et commissionis, quia peccatum recte in illa dividitur tanquam in sua inferiora; sed formalis ratio peccati omissionis est mera quædam privatio rectitudinis actui debitæ, seu conformitatis cum lege, ut omnes fatentur: ergo et formalis ratio peccati commissionis; ea enim, ex dialecticis, dicuntur univoca, quorum nomen et ratio est communis et eadem.

Prob. 2. Deus est causa omnis entis positivi, ut definivit Innoc. III [1]; sed Deus non est causa peccati spectati secundum malitiam moralem, ut definivit Concil. Trident. [2]: ergo formale constitutivum peccati non est aliquid reale positivum. Hinc Div. August. [3] ait: *Peccatum nihil est, et nihil faciunt homines cum peccant;* ut probet contra Manichæos Deum non esse auctorem mali, eo quod malum nihil sit physicum et positivum.

Prob. 3. Eodem modo se habent malum morale et malum artificiale, quia bonum utrique malo oppositum consistit in conformitate ad suam regulam; atqui malum artificiale consistit in privatione conformitatis ad regulas artis: ergo et malum morale consistit in privatione conformitatis ad legem ut suam regulam.

Objicies 1. Formalitas peccati non consistit in privatione rectitudinis actui debitæ: ergo, etc.

Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Dantur aliqui actus peccaminosi, quibus nulla debetur moralis rectitudo et bonitas: ergo, etc.

Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Actibus odii Dei, mendacii, etc., nulla debetur moralis rectitudo et bonitas, cum omnis rectitudinis sint incapaces: ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Actus odii Dei, mendacii, etc., sunt rectitudinis incapaces, si spectentur *reduplicative*, prout

[1] Cap. *Firmiter, de Summa Trinit.*, contra Manichæos. — [2] Sess. 6, can. 3. — [3] Tract. 2 *in Joan.*

sunt actus odii Dei, mendacii, etc., *conc. ant.*; sic enim sunt charitati et veritati essentialiter difformes; si spectentur *generice*, prout sunt actus humanus simpliciter tendens in hoc vel illud objectum, *nego ant.* Porro, ut actus humanus sit capax rectitudinis, satis est ut *generice* sumptus possit eam habere, nec requiritur ut, sumptus secundum speciem actus humani, illam recipere valeat.

Objicies 2. Si ratio formalis peccati posita esset in sola privatione rectitudinis : 1° unum peccatum non esset gravius altero, cum privationes magis aut minus non suscipiant; 2° peccata extreme opposita, v. gr. avaritia et prodigalitas, specie non differrent, cum non includant privationes specie diversas, sed unicam et eamdem, nempe privationem rectitudinis quæ ex liberalitate oritur; falsum conseq. : ergo, etc.

Resp. ad primum *nego seq. ant.* Ad prob., *dist.* Privationes magis aut minus non suscipiunt ratione sui, *conc.*; ratione perfectionis qua privant, *nego ant.* Hæc enim non consistit in indivisibili, ut patet in tenebris, quæ licet dicantur privatio lucis, aliæ tamen aliis sunt majores et densiores.

Resp. ad secundum, *nego seq. ant.* Nam ad distinctionem specificam peccatorum extreme oppositorum, non requiritur ut sint plures privationes specie diversæ, sed sufficit ut voluntas diverso specie modo privet actum humanum debita rectitudine; unde cum avaritia et prodigalitas diverso specie modo privent actum libertatis debita rectitudine, non desinunt servare inter se distinctionem specificam.

Inst. Voluntas non privat actum humanum debita rectitudine, nisi quia prave attingit objectum; atqui illa objecti attingentia est quid positivi : ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Est quid positivi fundamentaliter et materialiter, *conc. min.*; formaliter, *nego min.* Prodigalitas enim formaliter nihil aliud est quam privatio justæ pecuniarum conservationis; et avaritia quam privatio prudentis pecuniarum effusionis.

Objicies. Peccatum est aversio a Deo et conversio ad creaturam; atqui talis conversio est quid positivum: ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Est quid positivum fundamentaliter, *conc. min.*: sic enim est actus humanus; est quid positivum formaliter, *nego min.*: sic enim est privatio rectitudinis.

CAPUT II.

DE CAUSIS PECCATI.

Nota. Hic non agitur de proxima et immediata causa peccati, quæ alia non potest esse quam voluntas hominis; *immediata quidem causa humani actus,* inquit Div. Thom.[1], *est ratio et voluntas secundum quam homo est liber arbitrio.* Unde dicit S. August.[2] quod *voluntas est causa peccati.* Sed quæritur de causis remotis quæ hanc voluntatem aliquo modo ad peccandum impellunt et alliciunt, et dicuntur *causæ occasionales.*

Porro hæ causæ duplicis sunt generis: aliæ quæ extra hominis naturam sunt, et vocantur *extrinsecæ;* et aliæ quæ ipsi naturæ hominis inhærent, et dicuntur *intrinsecæ.* Dicemus 1° de causis extrinsecis; 2° de causis intrinsecis.

ARTICULUS I.

DE CAUSIS PECCATI EXTERNIS OCCASIONALIBUS.

Quæres 1. *Quotuplex est causa externa occasionalis?*

Resp. Causa exterior peccati totidem esse potest quot sunt quæ ad peccatum movent causas interiores, scilicet, vel voluntatem, vel rationem, vel appetitum sensitivum. Nihil autem aliud exterius esse potest causa peccati nisi

[1] 1 2, quæst. 75, art. 2.— [2] Lib. *de Duab. anim.*, cap. 10 et 11, et lib. *de Lib. arb.*, cap. 17.

diabolus suadens peccatum, vel homo, in quantum movet rationem, vel sensibilia exteriora quæ movent appetitum sensitivum. Triplex est ergo causa peccati exterior occasionalis : diabolus, homo et sensibilia.

1° *Diabolus,* qui est homicida ab initio, causa est moralis et indirecta peccati, quatenus proponendo sensibus vel internis vel externis aliquid appetibile, commovet appetitum sensitivum et phantasiam ; et hinc suadet rationi illud esse bonum et eligibile. Sic induxit Evam in peccatum, sic tentavit Job, sic quotidie homines *variis artibus captat pro cujusque natura et moribus* [1]. Hinc S. Petrus ad omnes : *Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret* [2].

Dixi *moralis* et *indirecta :* siquidem non potest esse causa peccati directe et sufficienter, quia latrare potest, sollicitare potest, sed mordere non potest, nisi volentem, inquit S. Augustinus.

2° *Homo ;* de causa peccati ex parte primi hominis, hoc est de peccato originali jam superque diximus in tractatu *de Deo Creatore.* Hic agitur sive de impiis et iniquis, de quibus dicit Sapiens [3] : *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis ;* et Apostolus [4] : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem ;* sive de mundo, de quo dicit Evangelium : *Et mundus eum non cognovit,* nempe Christum, cui directe opponitur ; nam *aut Christus fallitur, aut mundus errat ; sed divinam impossibile est falli Sapientiam* [5]. Nihilominus quot decipit superbia mundi ipsa probat quotidiana experientia.

3° *Sensibilia exteriora,* quæ movent appetitum sensitivum, causam esse peccati patet, quia nisi exerceatur sen-

[1] Lactantius, *de Vero cultu,* lib. VI, cap. 4, et S. Leo Magn., serm. 16 *de Nativ. :* « Omnium discutit consuetudines (dæmon), ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi causas quærit nocendi ubi quemque viderit studiosus occupari. »

[2] Epist. 1, cap. 5. — [3] *Parab. Salom.,* cap. 1. — [4] Galat. I, 10. — [5] S. Bernardus, serm. 3 *in Nativ. Dom.*

sus, proponit appetitui, appetitus allicit rationem, ratio deficiens a consideratione regulæ approbat delectabile et voluntati præsentat, cui si voluntas consentit, complet rationem peccati: unde S. Clemens Alexandrinus dicit: *Cito facient quæ non licent, qui faciunt omnia quæ licent* [1].

Quæres 2. *Utrum Deus possit esse causa peccati?*

Resp. *negative.* Est de fide decretum a Concil. Trident., quod Calvinum, Zwinglium, Bezam et alios ejusdem furfuris profligavit his verbis : *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, ita ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit* [2].

Prob. 1 *Ex Scripturis.* Jacob. 1 : *Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est.* Sapient. XIV : *Illi odio sunt impius et impietas ejus.* Et in psalmo V legitur : *Non Deus volens iniquitatem tu es;* sed ille cui odio est impietas, qui non vult iniquitatem, non potest impellere ad illam : ergo, etc.

Prob. 2 *Ratione.* 1° Per peccatum receditur ab ordine qui est in Deum sicut in finem ultimum ; atqui impossibile est quod Deus sit sibi vel aliis causa recedendi ab ordine qui est in ipsum, *quia universa propter seipsum fecit* [3]. Ergo, etc.

2° Peccatum est defectus et a principio defectivo procedit ; atqui Deus non potest esse principium defectivum : ergo, etc.

3° Justa voluntas est illa quæ vult quod Deus vult illam velle ; ergo si Deus vellet illam peccare, peccando voluntas ex una parte vellet, quod Deus vellet illam velle, et esset justa ; et ex altera parte vellet quod Deus non vellet illam velle, et propter quod illam puniret, et esset injusta, quod esset cumulus absurditatis. Ergo, ect.

Nota. Ex Scripturis sacris, objecta ex quibus Deus vi-

[1] *Pedag.*, lib. I, cap. 1. — [2] Sess. 6, can. 16. — [3] Prov. 16.

detur esse causa peccati facillime refelluntur, si 1° cum Deus dicitur tentare, duplex distinguatur tentatio, ex S. Augustino[1], videlicet *probationis* et *seductionis*. Deus probat, sed neminem seducit. Si 2° cum dicitur *excæcare, in reprobum sensum tradere*, etc., totus legatur contextus; videbis enim Deum id non facere positive agendo, vel movendo, sed potius non impediendo, permittendo, juste deserendo, quia *non deserit nisi prior deseratur*.

ARTICULUS II.

CAUSIS PECCATI INTERNIS OCCASIONALIBUS.

Quæres. *Quotuplex distinguitur causa peccati interna occasionalis?*

Resp. Triplex distinguitur, scilicet, *ignorantia*, quæ est causa peccati ex parte rationis seu intellectus; *concupiscentia*, quæ est causa peccati ex parte appetitus sensitivi; *malitia*, quæ est causa peccati ex parte voluntatis. Ex iis autem oriuntur peccata *ignorantiæ, infirmitatis* et *malitiæ*, de quibus in §§ sequentibus.

§ I.

De peccatis ignorantiæ.

Quæres 1. *An omnis ignorantia sit peccatum et causa peccati?*

Nota. Ignorantia non est causa peccati per se, cum sit privatio et non ens, sed per accidens, quatenus removet scientiam quæ, si adesset, peccatum non fieret. Itaque, suppositis variis ignorantiæ divisionibus, quæ traduntur in tract. *de Actibus humanis*,

Resp. 1. Ignorantia invincibilis nec est peccatum, nec esse potest causa peccati formaliter.

[1] Lib. II, *de Consensu Evangelistarum*.

PROB. PRIMA PARS. Ex S. Thoma, qui [1] sic habet: *Dicendum est quod ignorantia quæ est omnino involuntaria, non est peccatum;* sed ignorantia invincibilis est omnino involuntaria: ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Ex eodem S. Thoma [2]: *Ignorantia quæ est causa actus, quia causat involuntarium, de se habet quod excuset a peccato, eo quod voluntarium est de ratione peccati.* Ratio igitur utriusque est, quia omne peccatum formale procedit a voluntate, et est voluntarium; atqui ignorantia invincibilis est prorsus involuntaria: ergo nec est peccatum, nec esse potest causa peccati.

Dixi *formaliter*, quia ignorantia est causa actus peccaminosi *materialiter* sumpti, siquidem removet scientiam, quæ si adesset actus non fieret.

RESP. 2. Ignorantia vincibilis est peccatum vel directe et in se, vel saltem indirecte et in sua causa; et est causa peccati, si versetur circa ea quæ quis potest et tenetur scire. Ratio prioris est, tum quia nihil meretur pœnam nisi peccatum; atqui ignorantia meretur pœnam secundum illud [3]: *Si quis ignorat, ignorabitur;* tum quia manifestum est quod quicumque negligit habere vel facere id quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omissionis; atqui laborans ignorantia vincibili, negligit habere scientiam quam potest et tenetur habere: ergo ignorantia sua est peccatum. Hinc David inclamat: *Delicta juventutis meæ et ignorantias meas, ne memineris, Domine.* Ratio posterioris est, quia illud est causa per accidens peccati, quod impedit prohibens actum peccati; atqui ignorantia vincibilis prohibet scientiam prohibentem actum peccati: ergo ignorantia vincibilis est causa peccati. Hinc S. August.: *Non enim tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras.*

Confirmatur. Apostolus dicit de Judæis: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent;* atqui Judæi oc-

[1] Quæst. 3, art. 7, ad 7 *de Malo.* — [2] Ibid., art. 3. — [3] 1 Cor. 14, 38.

cidendo Christum peccarunt, ergo per ignorantiam peccaverunt: ergo ignorantia eorum fuit causa peccati.

Dixi *saltem indirecte et in sua causa*, quod fit quando quis prævidet aliquo modo peccatum sua ignorantia futurum esse causandum, quia qui vult causam vult effectum, in quantum illum percipit in sua causa.

QUÆRES 2. *Quænam sunt causæ ignorantiæ vincibilis?*

RESP. Sunt quatuor, videlicet: 1° negligentia; 2° passio; 2° habitus pravus; 4° inconsideratio.

1° *Negligentia. Cum quis,* inquit S. Thomas, *ob laborem vel alias occupationes negligit addiscere id per quod a peccato retraheretur, talis negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam et peccatum, dummodo sit eorum quæ quis scire tenetur et potest* [1].

Et hic notandum est quod, ut ignorantia sit vincibilis et culpabilis, duo præcipue requirantur: 1° ut sit eorum quæ quis scire tenetur, v. gr. ea quæ sunt fidei, et universalia juris præcepta; vel ea quæ ad ejus statum vel officium spectant [2]; 2° ut negligentia addiscendi sit voluntaria et culpabilis, id est ut homo, advertat tum ad obligationem, tum ad media sibi parata ignorantiam expellendi, et renuat animum applicandi ad ea quæ scire tenetur; nam negligentia quæ culpabilem ignorantiam parit, ex Div. Thoma, *nihil aliud est quam non applicare animum ad sciendum ea quæ quis debet scire* [3].

2° *Passio.* Ignorantia enim fit voluntaria per passionem, quando quis vult deliberate eamdem sequi, prævidens saltem inconfuse et in genere malos effectus tali passioni connexos inde orituros, licet in particulari non agnoscantur; qui enim vult causam, consequenter ipse amplectitur omnes effectus communiter ex illa causa provenientes, quos etsi in particulari non prævideat, prævidet saltem in confuso. Sic qui vult inimicum occidere, vult etiam,

[1] 1 2, quæst. 76, art. 3.—[2] S. Thom., ibid., art. 2. [3] Quæst. 3 *de Malo*, art. 7.

saltem in confuso, filiorum ejus et domus ruinam, quæ est effectus hujus occisionis. Hinc Div. Thom. [1]: *Ligatio rationis per passionem non imputatur ad culpam, nisi forte quoad principium talis passionis, quoad fuit voluntarium; poterat enim voluntas a principio impedire ne passio in tantum procederet.*

3° *Pravus habitus.* Ignorantia fit voluntaria ratione pravi habitus, quando, scilicet, quis pravum habitum emendare non curat efficaciter; nam illi actus mali sunt peccata formaliter, qui sufficienter sunt voluntarii et deliberati in se vel in sua causa; atqui actus qui proveniunt ex pravo habitu sufficienter sunt voluntarii in se vel in sua causa, scilicet in prava illa consuetudine quæ voluntarie contrahitur; sunt etiam sufficienter deliberati, *nam hujusmodi peccatores,* inquit S. Ligorius [2], *male habituati, quamvis habeant cognitionem minus expeditam quam alii, semper tamen habent cognitionem aliquam actualem suorum criminum sufficientem ad reddendos actus deliberatos et mortales.* Ergo, etc.

4° *Inconsideratio.* Hoc est, cum quis scienter negligit adhibere considerationem quam res agenda meretur. Illi enim qui jam advertit aliquid amplius considerandum in actione sua, et tamen vult præcipitanter agere, meriti imputantur omnes errores quos committit.

§ II

De peccatis infirmitatis.

Quæres 1. *Quid sit peccatum infirmitatis?*

Resp. Peccatum quod ex concupiscentia provenit, dicitur peccatum infirmitatis, quasi sit quædam animi ægritudo, quia concupiscentiæ, in quæstione præsenti, sunt totidem vulnera naturæ humanæ per peccatum originale inflicta.

[1] Quæst. 3, art. 20, *de Malo.* — [2] Lib. II, num. 4.

QUÆRES 2. *An concupiscentia sit peccatum et causa peccati?*

Nota. Concupiscentia considerari potest in se, vel quatenus in suis finibus continetur, vel quatenus naturæ fines transiliens; unde

RESP. AD PRIMUM. Concupiscentia in se spectata, quatenus in suis finibus contenta, non est peccatum, neque quatenus naturæ fines transiliens, nisi accedat consensus voluntatis.

Prob. prima pars. Illud non est peccatum quod, Deo auctore, nobis a natura insitum est; atqui concupiscentia, Deo auctore, nobis a natura insita est: ergo non est peccatum.

Prob. min. Concupiscentia est commotio animi qua impulsi homines quas non habent res jucundas appetunt; sic appetimus cibum aut potum; cum frigemus, calescere, cum calemus, frigescere cupimus; sed illa, Deo auctore, nobis a natura insita sunt, quia ad conservationem nostram ordinantur: ergo, etc.

Quin etiam, inquit Catechismus Romanus [1], *hæc vis, si moderata est suisque finibus continetur, sæpe etiam non mediocres utilitates præbet. Nam illud primum efficit, ut assiduis precibus Deum oremus, supplicesque ab eo petamus quæ maxime cupimus... Efficit præterea ut chariora sint nobis Dei munera*, etc.

Prob. secunda pars. Concupiscentia in se spectata, et quatenus naturæ fines transiliens, ad ea concupiscenda incitans quæ spiritui ac rationi repugnant, quin assentiat nostra voluntas, nullo modo peccatum est. Est de fide, contra Lutherum, Calvinum aliosque paucos hæreticos.

PROB. Ubi nulla est libertas, nullum esse potest peccatum; atqui nulla est libertas in hujusmodi motibus quibus non assentimur: ergo nullum est peccatum.

Confirmatur. Eccles. [2] : *Post concupiscentias tuas non*

[1] Part. 3, cap. 10, § 6. — [2] Cap. 18, 30.

eas; atqui *frustra dictum est. Post concupiscentias tuas non eas*, inquit S. Augustinus, *si jam quisque reus est, quod tumultuantes et ad mala trahere nitentes sentit eas.* Ergo, etc.

Damnata est merito damnata est hæc num. 95 Baii propositio: *Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto:* Non concupisces; *unde homo eos sentiens et non consentiens, transgreditur præceptum* Non concupisces, *quamvis transgressio in peccatum non imputetur.* Hinc concluditur quod nonnisi improprie peccata vocentur quæ ex concupiscentia proveniunt.

Resp. ad secundum. Concupiscentia est tantum sæpe causa improprie et indirecta peccati: nam *concupiscentia subvertit cor,* inquit Daniel [1]; et Jacobus [2] ait: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit,* nempe alliciendo et obtinendo voluntatis consensum, *parit peccatum; peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.* Ergo, etc.

§ III.

De peccatis malitiæ.

Quæres: *Quodnam est peccatum malitiæ*

Resp. Peccatum malitiæ est illud quod cum plena libertate et quasi de industria, absque intellectus ignorantia et antecedenti passione committitur.

Hinc peccata malitiæ dicuntur: 1° ea quæ proveniunt ex ignorantia affectata, qua quis vult ignorare ut liberius peccet; de quibus ait Job [3]: *Quasi de industria recesserunt a Deo, et vias ejus intelligere noluerunt;* 2° ea quæ ex passione libere excitata oriuntur; 3° ea quæ committuntur ex pravo habitu quem quis emendare non vult: *Manifestum est enim,* inquit S. Thomas [4], *quod quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia.*

1 Dan. 13. — 2 Epist., cap. 1. — 3 34, 27.

Ratio triplicis hujus assertionis est, quia hujusmodi peccatorum radix prima est sola prava voluntas, siquidem in primo casu committitur ex *industria;* in secundo, ex *passione* per *voluntatem* excitata; in tertio tandem, quia habitus est *quo quis utitur cum voluerit* [1]. Jure igitur merito peccatis malitiæ æquiparantur.

Nota. Peccatum malitiæ, cæteris paribus, gravius est peccato infirmitatis et ignorantiæ, quia *quanto motus peccati est magis proprius voluntati, tanto peccatum est gravius, cæteris paribus*, inquit S. Thomas [2].

CAPUT III.

DE MUTUA PECCATORUM AB INVICEM DISTINCTIONE.

Nota. Peccata ab invicem distingui possunt specie vel numero.

Distinguuntur *specie,* cum eorum malitia, et oppositio cum lege est diversæ naturæ; sic furtum differt specie ab adulterio.

Distinguuntur *numero*, cum plurium numero actuum malitia moralis est ejusdem naturæ; sic furtum differt ab alio furto tantum numerice.

QUÆSTIO I.

UNDE PECCATORUM DISTINCTIO SPECIFICA DESUMENDA SIT

CONCLUSIO I.

Distinctio peccatorum specifica non est repetenda ex diversis specie præceptis præcipientibus aut prohibentibus eamdem rem sub eodem motivo; repetenda vero est ex diverso motivo quo eadem res præcipitur aut prohibetur.

Prob. 1. *Ex Div. Thom.*, qui [3] dicit: *Secundum diversa*

[1] S. Thom., 1 2, quæst. 78, art. 2. — [2] 1 2, quæst. 78, art. 4. — [3] 1 2, quæst. 76, art. 5, ad 3.

præcepta legis, non diversificantur peccata secundum speciem.

Prob. 2. Quia actus morales specificantur a suis objectis formaliter consideratis; atqui cum diversa specie præcepta præcipiunt aut prohibent eamdem rem sub eodem motivo, est unicum objectum formale, nempe unica res præcepta vel prohibita; e contra cum præcipiunt aut prohibent eamdem rem sub diverso motivo, est diversum objectum formale: ergo in primo casu est idem specie peccatum; in secundo multiplex.

Resolves 1. Is qui sacrum omittit die Dominica in qua incidit festum alicujus Sancti, nonnisi unum specie et numero peccatum admittit, quia, licet duplex sit præceptum materialiter, tamen unicum est formaliter et specie morali, cum ab utroque auditio Missæ sub uno eodemque motivo religionis præcipiatur. Item, qui furatur, unicum specie peccatum committit, licet furtum legibus specie diversis, nempe divina positiva et humana prohibeatur; quia ab omnibus illis legibus sub uno eodemque justitiæ motivo prohibetur.

Resolves 2. Is qui non jejunat eo die quo jejunium ipsi a Confessario injunctum est, et ab Ecclesia præceptum, duplex specie peccatum committit, propter diversa motiva pœnitentiæ ac religionis, propter quæ jejunium præcipitur.

CONCLUSIO II.

Distinctio specifica peccatorum repetenda est ab objecto formali, fine et circumstantiis habentibus malitiam, id est disconvenientiam cum lege æterna, specie diversam.

Nota 1. Peccatum omissionis, cum sit secundum se mera privatio actus debiti, necessario specie distinguitur ex virtute opposita, sicut omnes aliæ privationes specie distinguuntur per formas specie distinctas quibus privant, ut, v. gr. in physicis, cæcitas et surditas specie distinguuntur per visum et auditum quibus privant.

Nota 2. Quoad peccatum commissionis, quidam tenent specie distingui per virtutes quibus privant, qua peccatum ; alii per diversa præcepta quibus opponuntur; alii per objecta specie diversa. Hæ omnes sententiæ sunt aliquo sensu veræ. His notatis, probatur conclusio.

Prob. Actus moralis sumit malitiam moralem in aliqua specie ab objecto, fine et circumstantiis moralibus : ergo si ista habeant malitiam specie diversam, actus moralis habebit quoque malitiam specie diversam.

Dixi *circumstantiis*, non quidem stricte sumptis, seu prout sunt accidentia extra substantiam actus, sed quatenus transeunt in conditionem objecti, et habent rationem differentiæ essentialis in genere moris.

Quæres : *Quandonam actus moralis, ex objecto, fine et circumstantiis contrahit malitiam specie diversam?*

Resp. Hoc cognoscitur ex quadruplici regula.

Prima regula. Actus moralis contrahit malitiam specie diversam, quando diversis virtutibus est oppositus; sic eadem percussio clerici est duplex specie peccatum, quia est opposita virtutibus justitiæ et religionis ; sic est peccatum injustitiæ et sacrilegii.

Secunda regula. Actus moralis contrahit malitiam specie diversam, quando diversis ejusdem virtutis officiis est oppositus ; sic odium Dei et omissio charitatis sunt duo peccata specie morali distincta, quia diversis charitatis officiis opponuntur; charitas enim non solum prohibet ne Deum odio habeamus, sed etiam ut aliquando positivos actus amoris erga Deum eliciamus.

Tertia regula. Actus moralis contrahit malitiam specie diversam, quando eidem virtuti opponitur modo contrario ; sic prodigalitas et avaritia specie inter se differunt, quia, licet uni solum liberalitatis virtuti opponantur, ab ea tamen duobus modis contrariis ac proinde specie diversis deflectunt, per excessum scilicet, et defectum.

Quarta regula. Actus moralis contrahit malitiam specie

diversam, quando eidem virtuti opponitur modo diverso, licet non contrario; sic furtum, rapina, detractio, homicidium, specie differunt, quia diverso modo virtuti justitiæ opponuntur; alia enim est ratio justitiam violandi nocendo bonis, famæ aut vitæ, ob speciales quæ circa hoc occurrunt difficultates.

DICES: Non omnis distinctio specifica peccatorum illis quatuor regulis comprehenditur: ergo illæ regulæ non sufficiunt.... RESP. *Nego ant.*

Prob. ant. Furtum unius assis differt specie a furto unius nummi; atqui illa distinctio specifica non comprehenditur illis quatuor regulis; nam utrumque eidem virtuti justitiæ est oppositum et eodem modo: ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Furtum unius assis et furtum unius nummi differunt specie morali demeritoria, *conc. ant.* Ratio est, quia unum est veniale, aliud mortale; differunt specie morali absoluta, *nego ant.* Porro hic præsertim inquirimus unde petenda sit distinctio peccatorum specifica absoluta, qua peccatum ad malitiam alterius rationis transferatur. Quod ut bene dignoscatur,

Notandum est, speciem moralem demeritoriam desumi ex parte aversionis a Deo; speciem vero moralem absolutam desumi ex parte conversionis ad creaturam; unde furtum unius nummi in tantum habet malitiam specie diversam a furto unius assis, in quantum in furto unius nummi reperitur contemptus, saltem interpretativus, divinæ amicitiæ, voluntatisque aversio a Deo, ultimo fine, quæ non reperiuntur in furto unius assis; sed neutrum furtum differt specie ex parte conversionis, utrumque enim habet idem objectum, a quo specificantur moraliter absolute, juxta illud Div. Thom.[1]: *peccatum mortale et veniale non sunt ejusdem speciei ex parte aversionis, sunt autem ex parte conversionis, per quam respicitur objectum, unde speciem habet.* Ex quo sequitur, quod major vel minor

[1] Quæst. 2, *de Malo*, art. 8.

quantitas objecti, ad quod se convertit peccatur, non inducat specificam peccati diversitatem inter peccatum mortale et veniale, sed quod unum sit diversum specie ab altero. quia mortale avertit a Deo, non vero veniale.

QUÆSTIO II.

UNDE REPETENDA SIT DISTINCTIO PECCATORUM NUMERICA.

Nota 1. Quæstio apprime necessaria, haud parum tamen intricata, procedit de peccatis ejusdem speciei; certum quippe est in iis quæ essentialiter differunt, unum non esse aliud; atqui ubi unum non est aliud, ibi multiplicatur numerus: ergo distinctio specifica distinctionem numericam necessario importat.

Nota 2. Hic quæruntur duo: 1° quandonam actus physice unus plura numero complectatur peccata; 2° quandonam actus physice plures, unum vel plura numero peccata efficiant · unde

CONCLUSIO I.

Actus physice unus plura numero peccata complectitur, quoties versatur circa plura objecta materialia quæ se non habent per modum unius, sed per modum plurium. Ita communiter, cum S. Ligor. [1], contra Busemb., Suarez, Lugo, Laym., Viva.

Prob. Quia sicut unus actus est multiplex specie peccatum, dum habet multiplicem specie malitiam, ita est multiplex numero peccatum cum habet multiplicem numero malitiam; atqui actus physice unus qui versatur circa plura objecta materialia, quæ se habent per modum plurium, habet multiplicem numero malitiam: ergo est multiplex numero peccatum.

[1] Lib. II, num. 45.

RESOLVES 1. Qui uno actu duos homines odit, de duobus detrahit, duos occidit, qui optat ad plures feminas accedere; qui a pluribus furatur, pluribus unica vice scandalum præbet: qui vult per plures dies Horas canonicas vel jejunium omittere; qui malum tribus personis desiderat; qui detrahit alicui in pluribus materiis, vel eum diversis contumeliis afficit, ut probabilius dicunt S. Ligorius et plures alii; qui diversa mala optat inimico, specifice considerata, non in confuso, vel sub uno genere mali apprehensa, puta ut media ruinæ inimico optatæ, duo peccata committit; quia illa objecta materialia, juxta prudentum æstimationem, se habent per modum plurium, cum actus qui circa illa versatur, plurium jus lædat.

RESOLVES 2. Conjugatus qui copulam habet cum alterius conjuge, duplex numero adulterium committit, quia duorum jus infringit, uxoris suæ scilicet, et mariti conjugatæ quam cognoscit.

RESOLVES 3. Sacerdos qui unica administratione sex baptizat, vel absolvit, vel administrat aliud Sacramentum, in malo statu, sex committit peccata numero distincta; quia administratio uni facta est actio integra et ab alia omnino independens. Hinc in confessione debet exprimere numerum personarum quibus Sacramentum administravit; vel si numeri non meminit, debet saltem exprimere tempus per quod administravit. Excipitur tamen probabilius sacerdos pluribus Eucharistiam successive ministrans, qui unicum peccatum committit, quia unica est administratio, et ideo unicum convivium et una moraliter actio [1].

RESOLVES 4. Qui uni familiæ decem personis constanti, unica detractione detrahit, decem numero peccata committit; nam jus quod quælibet persona illius familiæ habet ad famam violatur; atqui jus unius a jure alterius diversum est et independens.

Nec dicas 1° cum Navarro, Bonacina, Paulo a Lugd.,

[1] S. Ligor., lib. II, num. 50.

una familia una reputatur persona : ergo qui uni familiæ decem personis constanti detrahit, unicum numero peccatum committit.

Resp. *Dist. ant.* Una familia reputatur una persona, fictione juris, *conc. ant.* ; in esse moris, *nego ant.* ; nam juxta adversarios non minus decem homicidia commisisse censetur qui decem personas ejusdem familiæ occidit, quam qui decem occidit diversæ, quia jus in vitam cujuslibet particularis violatur; quare ergo decem numero detractiones non committeret qui decem ejusdem familiæ personis detraheret, cum pariter jus quod quilibet particularis habet in famam violetur ?

Inst. 1. Qui unico voluntatis actu furatur omnes libros bibliothecæ, omnes oves gregis, unicum numero peccatum committit : ergo et qui detrahit omnibus unam familiam componentibus, unicum peccatum committit.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod per furtum unius integræ bibliothecæ, integri gregis, lædatur jus proprietarii, quod est unicum : ergo est unicum peccatum. E contra qui detrahit decem personis unius familiæ, lædit decem jura adæquate distincta. Per hoc enim quod illæ personæ ad eamdem pertineant familiam, non magis desinunt esse revera personæ numero plures in esse moris, quam esse desinant specie plures in esse moris, dum prima istius familiæ persona est pater delinquentis, secunda uxor, tertia clericus ; atqui tunc non desinunt esse plures specie in esse moris, cum qui unico voluntatis actu omnes occideret, plura peccata specie distincta committeret, nimirum, parricidium, uxoricidium, clericidium, etc. Ergo non desinunt esse plures numero completæ in esse moris, quarum singulæ jus in propriam vitam et famam habent completum et complete distinctum a jure alterius.

Inst. 2. Omnes qui sunt de familia, eo modo componunt unam familiam, quo omnes libri bibliothecæ unam

bibliothecam, omnes oves gregis unum gregem: ergo, sicut qui omnes oves gregis furatur, unico actu unum numero peccatum committit, ita qui detrahit omnibus personis unius familiæ, unicum numero committit peccatum.

RESP. *Nego ant.* Disparitas est, quod in illis libris qui unam bibliothecam, in his ovibus quæ unum gregem componunt, non sint jura distincta, sicut sunt in personis unam familiam componentibus.

INST. 3. Saltem Confessarius non tot numero peccata committit, quot unica administratione homines absolvit in malo statu; ergo, etc.

Prob. ant. Non obstante multiplicitate absolutionum, ille Confessarius censetur unum moraliter judicium exercere: ergo censetur unum moraliter numero peccatum committere.

RESP. *Nego ant.* Nam ubi sunt diversæ personæ quæ judicantur, diversæque judiciales causæ ac sententiæ, diversa sunt judicia moraliter diversa. Nec est cur in eo casu sit potius unum tantum numero judicium et peccatum, quam una numero fornicatio, unumque peccatum, dum quis integra nocte cum pluribus meretricibus uno voluntatis actu miscetur; nec disparitatem satisfacientem possunt dare adversarii: nam tria Sacramenta administrata, æque sunt tres actus moraliter completi, ac tres fornicationes, tria homicidia, etc.

INSTANT CONTRARIÆ SENTENTIÆ PATRONI. Major est unitas moralis in plurium confessionum auditione, quam in pluribus illis fornicationibus successivis. Quippe nova fornicatio requirit in fornicante novam præparationem, novamque naturæ excitationem, quæ non requiritur in plurium confessionum auditione: ergo est magna disparitas.

RESP. *Dist. conseq.* Est magna disparitas physica, *conc.*; moralis, *nego conseq.* Porro disparitas illa physica nihil facit ad esse moris; nam, ea non obstante, fornicationes in

esse moris æque facile uno actu voluntatis intenduntur, quam illæ auditiones.

Nec dicas 2° cum Suarezio : Plura accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem subjecto : ergo nec plures malitiæ in eodem actu.

Resp. *Dist. ant.* Plura accidentia numero distincta non possunt esse in eodem subjecto, in *physicis, conc.*; in *moralibus, nego.* Nam actus physice unus potest esse in genere moris virtualiter multiplex, quando, scilicet, juxta prudentum æstimationem, unicus ille actus æquivalet pluribus, habita ratione ad objecta totaliter diversa. Id patet exemplo conjugati qui copulam habet cum conjugata. Hic, fatentibus omnibus, duplicem committit injustitiam : unam, quia violat jus uxoris suæ ; alteram, quia cooperatur ut uxor adultera violet jus sui mariti : ergo in actu physice uno subjectari possunt plura accidentia moralia, sive malitiæ, solo numero distincta.

Nec dicas 3° cum Lugone : esto quod in eodem actu plures sint malitiæ, tamen ex præcepto Tridentini tenemur quidem explicare numerum peccatorum, non autem numerum malitiarum : ergo non multiplicantur peccata ex diversitate objectorum totalium, licet multiplicentur malitiæ.

Resp. *Nego ant.* Nam peccata diversa non sunt nisi diversæ malitiæ : ergo si in actu physice uno plures sunt malitiæ numero distinctæ, plura etiam sunt peccata numero distincta ex præcepto Tridentini in confessione explicanda.

CONCLUSIO II.

Actus physice plures circa idem objectum sunt plura numero peccata : 1° si sint in se completi, nec ordinentur ad actum principalem tanquam illius dispositiones, media et inchoationes ; 2° si sint moraliter interrupti. E contra unt tantum unum numero peccatum, gravius tamen,

1° si non sint in se completi, sed ordinentur ad actum principalem; 2° si non sint moraliter interrupti.

Prob. Quia tunc multiplicantur numerice peccata cum multiplicantur moraliter actus humani mali; non multiplicantur vero peccata, cum non multiplicantur actus humani mali; atqui actus humani circa idem objectum mali multiplicantur moraliter: 1° cum sunt in se completi; 2° cum sunt moraliter interrupti; tunc enim actus illi non censentur una moralis actio. E contra plures actus humani circa idem objectum mali non multiplicantur moraliter: 1° si non sint in se completi; 2° si non sint moraliter interrupti; tunc enim censentur una moralis actio: ergo, etc.

Resolves 1. Qui omnino successive bis aut ter se polluit aut fornicatur, totidem committit peccata numero distincta, quia quælibet pollutio aut fornicatio est opus integrum atque consummatum, ab alia pollutione aut fornicatione distinctum.

Resolves 2. Qui ex intentione fornicandi puellam sollicitat, impudice respicit, osculatur, tangit, et tandem fornicatur, unum numero peccatum committit, quia omnes illi actus physice distincti ad actum principalem fornicationis tanquam ejus dispositiones, media et inchoationes ordinantur; ergo unum numero cum fornicatione peccatum moraliter constituunt, *quod tanto gravius est,* ait S. Anton. [1], *quanto plura concurrunt.* E contra, si habens osculatus et tactus, noluit ab initio copulam, quam tamen perfecit ob auctam libidinem, omnes illos actus tanquam distincta peccata debet explicari, quia, cum in illis sistatur, quivis actus habet in se malitiam consummatam [2].

Qui vero immediate post habitam cum puella copulam, eam impudice respicit, osculatur, tangit, delectatur de copula habita, tot numero peccata committit, juxta plures,

[1] 2 part., tit. 5, cap. 1, § 10. — [2] S. Ligor., lib. III, num. 43.

cum Suarez, quot elicit actus moraliter malos; quia, dicunt, actus subsequentes copulam neque sunt partes copulæ, utpote penitus consummatæ, neque sunt ejus complementum, cum copula sit ex se completa. Sed non minus probabilis est sententia negans, quia juxta illos tales actus adhiberentur tanquam complementum copulæ obtentæ, nisi ad novam copulam intendat [1].

Porro, ut accuratius resolvamus casus in quibus peccata multiplicantur numerice ex interruptione morali,

Quæres: *Quandonam accidat illa moralis interruptio?*

Resp. Actus humani habent quod sint peccata ab actu voluntatis; hinc S. Thom. [2] dicit: *Secundum unitatem voluntatis, sumendum est judicium de unitate ejus quod in genere moris dicitur.* Unde accidit 1° cum prioris actus voluntas revocatur per contrariam voluntatem aut pœnitentiam; quia hæc retractatio efficit ut posterior actus non possit cum priori in unum moraliter actum coalescere. Ex quo

Resolves. Si quis furari statuat, et postea peccati pœnitens voluntatem hanc abjiciat, atque eam brevissimo licet interposito tempore resumat, duo numerò peccata committit; unde patet brevissimo tempore multa peccata committi posse.

2° Accidit, cum voluntas deliberate convertitur ad aliquid incompossibile cum priore actu intento; quia tunc censetur non amplius velle quod prius volebat; unde est retractatio interpretativa; hinc

Resolves. Si quis, visa puella, eam impudice concupiscat, et postea a tali concupiscentia voluntarie se divertat ut alia cogitet, statimque ad priorem delectationem revertatur, duo peccata committit.

3° Accidit, cum prioris actus voluntas neque actu, neque virtute perseverat, quod fit cum ab actu involuntarie et quasi naturaliter cesset, et intercedat tempus satis lon-

[1] S. Ligor., ibid., num. 41. — In 2, dist. 42, art. 1.

gum ut prudentum judicio unus actus cum alio actu non colligetur. Ex quo

Resolves. Qui actum odii in proximum elicuit, et in mala voluntate perseveravit ultra duos vel tres dies, duo peccata committit; quia prior actus odii non perseverat, neque actu cum jam desierit; neque virtualiter, quia actus mere interni repetiti nihil habent in quo uniantur et continuentur ad constituendum unum peccatum... E contra, qui ex voluntate occidendi inimicum mane surgit, gladio se accingit, proficiscitur, quærit, et post plures horas repertum aggreditur, pluries vulnerat, et tandem occidit, etsi de aliis rebus cogitet in itinere, confabuletur, sæpiusque voluntatem occidendi renovet, unum moraliter peccatum committit (eo tamen gravius, quo pluries occidendi voluntatem renovavit). Ratio est, quia prior voluntas occidendi in actione itineris et aliis actibus externis ex intentione occidendi inimicum susceptis, virtualiter perseverat et continuatur, quasi in vinculo quo plures actus interni ad eumdem finem repetiti conjunguntur. Ex qua resolutione

Sequitur, peccata mere interna, quæ vocantur peccata *cordis*, longe facilius et frequentius multiplicari, quam externa, quæ dicuntur peccata *oris* et *operis;* actus enim mere interni cum nihil habeant vi cujus moraliter perseverent, longe brevius interrumpuntur, et statim ac multiplicantur, interrumpuntur; e contra cum actus interni cum externis conjuncti, in ipsis actibus externis virtualiter perseverent, donec per totius actus tum interni, tum externi, cessationem retractentur, non adeo facile interrumpuntur et multiplicantur.

CAPUT IV.

DE PECCATORUM CONNEXIONE ET INÆQUALITATE.

QUÆRES 1. *An omnia peccata sint inter se connexa?*

RESP. *negat.* cum Div. Thom.[1]; nam peccata specificantur a privatione honestatis, quæ est in virtutibus quibus opponuntur; atqui privatio honestatis unius virtutis, v. gr. misericordiæ, non est connexa cum privatione honestatis alterius virtutis, v. gr. justitiæ; alioquin qui violaret misericordiam, violaret justitiam; imo avarus esset prodigus, quod est absurdum : ergo, etc.

DICES: Qui unum admittit peccatum, fit omnium aliorum reus, juxta illud Jacobi, II : *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Ergo omnia peccata sunt inter se connexa.

RESP. *Dist. ant. et textum.* Qui offendit in uno factus est omnium reus, hoc sensu quod faciat contra charitatem, a qua tota lex pendet, juxta illud Apost.[2] : *Omnis lex in uno sermone impletur : Diliges proximum*, etc., *conc. ant.;* hoc sensu quod committat omnia peccata, *nego ant.* Addit enim Div. Jacobus : *Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis :* ergo supponit tanquam certum, posse unum peccatum committi sine alio; aliquem posse esse homicidam et non mœchum. Est expositio Div. August.[3]. Cum tamen multa peccata inter se sint connexa, plurimumque expediat Confessarios istam connexionem cognoscere, tum ut pœnitentes congrue examinent, tum ut ipsos instruant, ipsisque congruentia remedia præscribant, ideo

QUÆRES 2. *Quænam peccata cum aliis sint connexa?*

RESP. Id sequentibus exemplis declarabitur.

1° *Peccatum superbiæ*, per quod appetimus supra alios in aliqua qualitate excellere, connexum esse solet cum

[1] 1 2, quæst. 7, art. 3. — [2] Ad Galat. — [3] Epist. 29 *ad S. Ambros.*

peccato invidiæ, per quam tristamur de eo quod aliquis nos in ea qualitate superet, vel æquet, quatenus nostram excellentiam putamus inde imminui. Hinc detractiones, vituperationes, etc., quibus hominis invisi æstimationem imminuere conamur. Hinc desideria, quibus ipsi malum optamus, et quandoque etiam procuramus; gaudia de malis, quæ ipsi adveniunt; aversio ab ipso, etc.

2° *Peccatum fornicationis* connexum esse solet cum peccatis contra naturam, quibus generatio non procuratur, vel nativitas impeditur, nempe pollutio et abortus. Idem peccatum ut plurimum connexam habet seductionem ac perditionem innocentis animæ, quam seductor tenetur exemplo, oratione, et quibus potest modis, ad emendationem gratiæque amissæ reparationem, reducere.

3° *Peccatum furti* sæpe connexum est cum iteratis interruptim desideriis ac propositis nova furta committendi; item, connexum est cum injuriosis suspicionibus, quibus persona innocens, propter istud furtum, impetitur, affligitur, et quandoque infamatur.

4° *Peccatum ebrietatis*, in frequentata popina commissum, sæpe connexum est cum provocatione aliorum ad ebrietatem, cum turpiloquiis, blasphemiis, pejerationibus, bonorum familiæ dissipationibus, festorum profanationibus, magnis in familia jurgiis et discordiis, neglectu officii specialis, sicut et generalis hominis christiani.

5° *Peccatum iræ* sæpe connexum est cum improperiis, contumeliis, imprecationibus, scandalo præsentium, voluntate ulciscendi aut nocendi; et quandoque cum illatione nocumenti, ex quibus frequenter sequitur diuturna aversio animi, denegatio communium dilectionis signorum, vel etiam specialium, quæ inferior superiori, vel conjux debet conjugi, v. gr. denegatio debiti conjugalis.

6° *Peccatum avaritiæ*, in personis divitibus, ut plurimum connexum est cum gravi transgressione præcepti eleemosynæ, cum illicitis acquirendi bona modis. In ec-

clesiasticis vero, præter frequentem transgressionem præcepti eleemosynæ, connecti solet cum simoniaco affectu, quo sacras functiones peragunt; cum earumdem functionum neglectu, cumque laicorum scandalo, etc.

Ex his satis patet, Confessarium non posse rite fungi munere suo, nisi reflectat ad has et similes peccatorum inter se connexiones.

QUÆRES 3. *An omnia peccata sint inter se æqualia?*

RESP. *negat.* Est de fide contra Stoicos, qui considerantes peccatum ex parte recessus a ratione tantum, et æstimantes nullum recessum et nullam privationem suscipere majus vel minus, posuerunt omnia peccata esse æqualia. Hos secuti sunt Jovinianus et Novatianus. Ratio est, tum quia Christus [1] asserit peccatum Judæ proditoris esse gravius peccato Pilati condemnantis Christum: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet;* tum quia peccatum est privatio rectitudinis debitæ actui: ergo majus vel minus est pro majori vel minori rectitudine qua privat; sic, cum rectitudo quæ relucet in conservatione vitæ alterius, sit perfectior rectitudine quæ relucet in conservatione bonorum ipsius, homicidium est gravius furto.

QUÆRES 4. *Unde petatur peccatorum inæqualitas?*

Nota. Duplex est peccatorum inæqualitas: 1° est *essentialis*, quam peccatum habet ex sua specie; 2° est *accidentalis*, quæ peccato in suo esse constituto advenit.

RESP. 1. Inæqualitas essentialis peccati petitur ex objecto ad quod actus peccati ex se tendit; accidentalis vero petitur ex circumstantiis malitiam actus intra eamdem speciem aggravantibus vel minuentibus.

PROBATUR PRIMA PARS. Ab eodem principio sumitur peccati inæqualitas, a quo sumitur essentialis differentia et species peccati; atqui essentialis differentia et species peccati sumitur ex objecto: ergo et inæqualitas peccati. Unde Div. Thom. [2], ait: *Actus,* id est, peccatum, *speciem habet*

[1] Joan. XIX.—[2] Quæst. 2 *de Malo,* art. 10.

ex objecto. Gravitas ergo peccati, quam habet ex specie sua, attenditur ex parte objecti. Secundum hanc considerationem rarius peccatum dicitur ex genere suo, quod majori bono virtutis opponitur, unde cum bonum virtutis consistat in ordine amoris, ut Augustinus dicit, Deum autem super omnia diligere debeamus, peccata quæ sunt in Deum, sicut blasphemia et hujusmodi, secundum suum genus reputanda sunt gravissima. Inter peccata vero in proximum, tanto aliqua sunt aliis graviora, quanto majori bono proximi opponuntur.

Resolves. Peccata contra Deum, secundum suam speciem esse graviora peccatis quæ sunt contra proximum, quia Deus est bonum longe excellentius homine. *Item,* homicidium est gravius furto, quia vita hominis est bonum longe dignius bonis hominis externis. *Item*, peccatum contra personam publicam est gravius peccato contra personam privatam commisso, quia persona publica cum præstantiorem locum teneat in Republica temporali, peccatum contra ipsam cedit in majus damnum Reipublicæ.

Neque his obstat 1° quod homicidium sit gravius blasphemia; *respondeo* enim blasphemiam esse gravius peccatum ratione objecti; homicidium vero esse gravius ratione circumstantiarum quæ illud comitantur, et effectuum qui ex illo consequuntur.

Neque obstat 2° quod S. Jacobus[1], reprehendat eos qui magis honorant divites quam pauperes; nam hic loquimur de honore qui debetur alicui ratione status et conditionis quam tenet in Republica; sanctus vero Jacobus loquitur de honore divitis supra pauperem in Christianis actionibus, ut est Sacramentorum administratio, in quibus non est habenda ratio divitiarum.

Probatur secunda pars. Quia circumstantiæ intra eamdem speciem conferunt ad gravitatem vel levitatem actus; atqui non conferunt ad essentialem, cum sint actui extrinsecæ: ergo conferunt ad solam accidentalem.

[1] Cap. 2.

Resp. 2. Peccata spiritualia per se, et cæteris paribus, graviora sunt quam peccata carnalia, quamvis hæc majoris sint infamiæ.

Prob. 1° quia eo graviora sunt peccata, quo majorem habent aversionem a Deo; atqui peccata spiritualia majorem per se habent aversionem a Deo quam peccata carnalia, in quantum hujusmodi; siquidem peccatorum carnalium, utpote consummantur in delectatione carnalis appetitus, proprium est converti ad bonum corporale; spiritualium vero, quæ pertinent ad spiritum, proprium est converti ad Deum, et ab eo averti; 2° quia peccatum spirituale directe offendit proximum, carnale vero solum directe offendit corpus proprium: ergo, etc.

Dixi *quamvis majoris sint infamiæ,* quia peccata carnalia nobis cum brutis sunt communia.

Quæres 5. *An ex quibusdam circumstantiis gravitas accidentalis peccati augeatur juxta eamdem speciem?*—(Utrum circumstantiæ specie tantum aggravantes, sint confitendæ, vide tract. *de Pœnitentia.*)

Resp. 1 Augetur ex circumstantia ipsius actus peccaminosi; peccatum enim tanto gravius est, quanto fit cum majori deliberatione ex parte intellectus, et majori intentione ex parte voluntatis. Unde minus peccat, qui ex ignorantia, infirmitate, metu, gravi tentatione peccat, quam qui peccat ex malitia, vel habitu, quem corrigere non curat; nam *talis consuetudo,* inquit Div. Antonin. [1], *non excusat vel minuit peccatum, sed potius aggravat.* Sed de his plura dissert. 2, cap. 2.

2. Augetur ex circumstantia personæ, quæ peccat, juxta illud Div. Isidori [2], : *Tanto majus peccatum cognoscitur esse, quanto major qui peccat habetur.* Quod tamen Div. Thom. [3], vult intelligi *de peccatis ex deliberatione, non ex subreptione,* de quibus ait: *Ista peccata tanto magis alicui*

[1] 2 part., tit. 3, cap. 3, § 15.—[2] Lib. 2, de Summo bono. cap. 10.—[3] 1 2 quæst. 73, art. 10.

imputantur, quanto major est. Additque quod *hoc potest esse propter quatuor:* 1° *Quia facilius possunt resistere peccato majores, qui excedunt in scientia et virtute...* 2° *Propter ingratitudinem, quia omne bonum quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando...* 3° *Propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personæ, sicut si princeps justitiam violet, qui ponitur justitiæ custos...* 4° *Propter exemplum, sive scandalum; ... ad plurium enim notitiam perveniunt peccata magnorum, et magis homines ea indigne ferunt.*

3. Augetur ex circumstantia personæ, in quam peccatur; quia, ait Div. Thom., art. 9: *Persona in quam peccatur, est quodammodo objectum peccati. Dictum est autem supra, quod prima gravitas peccati attenditur ex parte objecti.* Verum hæc non est accidentalis, sed essentialis.

4. Gravitas peccati augetur ex circumstantia nocumenti quod affert, vel afferre potest... Quod si nocumentum prævisum fuerit et intentum, tunc directe malitiam auget, utpote directe volitum... Quod si vero prævisum fuerit, sed non intentum, adhuc malitiam auget, sed indirecte tantum, quia volitum indirecte tantum et in causa... Quod si vero nec intentum, nec præcogitatum fuerit in se, *distinguendum est*, ait Div. Thom. [1]; *quia si per se sequitur ex tali actu, et ut in pluribus, secundum hoc eventus sequens addit ad malitiam actus, licet non sit præcogitatus.* Quia, si non est præcogitatus, seu prævisus et intentus in seipso, est certe prævisus et intentus in alio, scilicet in sua causa, et virtualiter [2]. At eventus sequens per accidens ex actu, et ut in paucioribus, non auget gravitatem peccati, quia non datur judicium de re aliqua secundum illud quod est per accidens, sed solum secundum illud quod est per se.

Quæres 6. *Quodnam ex duobus peccatis inæqualibus eidem virtuti extreme oppositis sit gravius?*

Resp. Illud peccatum quod opponitur virtuti per defec-

[1] 1 2, quæst. 20, art. 5. — [2] S. Ligor., lib. II, tract. præamb., num. 10.

tum, gravius est, cæteris paribus, eo quod eidem opponitur per excessum; ratio est, quia peccatum illud est gravius quod contrariatur ei ad quod virtus primario inclinat; atqui peccatum per defectum contrariatur ei ad quod virtus primario inclinat: ergo, etc.

Resolves. Desperatio est peccatum gravius quam præsumptio; superbia quam nimia sui abjectio; avaritia quam prodigalitas, etc.

CAPUT V.

DE EFFECTIBUS PECCATORUM.

Nota 1. Effectus peccati sunt corruptio boni naturalis, macula animæ et reatus pœnæ. Bona naturæ triplicis sunt generis: 1° ipsa principia ex quibus natura ipsa constituitur et proprietates ex eis resultantes; 2° inclinatio ad bonum honestum sibi conveniens, quod est bonum rationis et virtutis; 3° bonum justitiæ originalis omnino gratuite collatum a Deo toti naturæ humanæ in primo homine. Hoc erat entitative supernaturale, nec bonum naturæ dici potest, nisi partim quia perficiebat naturam, partim quia erat collatum toti naturæ humanæ, et ad omnes homines cum natura debebat transfundi, si Adam non peccasset [1].

Nota 2. Bonum naturæ nec tollitur nec minuitur entitative per peccatum, quia per peccatum nihil aufertur a substantia animæ aut ab ejus potentiis. Bonum justitiæ originalis totaliter est ablatum per peccatum originale. Medium autem bonum naturæ, id est ipsa naturalis inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum, tam originale quam actuale: per peccatum originale quidem, quia finis in operabilibus se habet sicut prima principia in speculabilibus; sicut ergo qui caret assensu principii, vix est ido-

[1] S. Thom., 1 2, quæst. 85, art. 4.

neus ad conclusiones deducendas, sic qui est aversus ab ultimo fine non est expeditus ad bene agendum moraliter; atqui per peccatum originale homo est aversus ab ultimo fine : ergo, etc.; per peccatum actuale autem, quia per actus humanos fit quædam inclinatio ad similes actus : ergo cum aliquid inclinatur ad unum contrariorum, diminuitur inclinatio ejus ad aliud. Atqui peccatum est oppositum virtuti: ergo diminuit inclinationem ad virtutem, quæ est bonum naturæ [1]. Non tamen totaliter tollitur per peccatum ista inclinatio, quia radicatur in rationalitate, per peccatum vero non potest fieri quod homo non sit rationalis. Sunt et alii effectus peccati, ut mors et defectus naturales, de quibus non est hic locus dicendi. Sed

Nota 3. Præcipui effectus peccati personalis, in Dogmatica enim eginus de effectibus peccati originalis, tract. *de Deo creatore,* sunt duo, nempe reatus culpæ, et pœnæ. *Reatus culpæ*, nihil aliud est quam macula, qua anima peccans inficitur, quæ macula vocatur etiam *peccatum habituale,* non quod sit habitus vitiosus quo ad actus similes inclinemur, sed per analogiam ad habitum : 1° quia sicut habitus producitur per actum, ita peccatum habituale producitur per peccatum actuale ; 2° quia sicut habitus in subjecto permanet etiam transacto actu, ita peccatum habituale permanet in peccatore, peccato actuali transacto.

Reatus pœnæ, nihil est aliud quam obligatio ad pœnam, seu jus quod habet Deus ad sumendam de peccatore vindictam.

Certum est de fide : 1° reatum pœnæ per peccatum contrahi, dicente Christo, Matth. v : *Qui dixerit fratri suo : Fatue, reus erit gehennæ ignis.* De duratione autem pœnarum, vide tract. *de Deo creatore* [2] ; 2° maculam in anima post peccatum remanere, juxta illud Jerem. II : *Maculata es in iniquitate tua coram me ;* et Josue XXII : *Peccastis in*

[1] S. Thom., 1 2, quæst. 85, art. 1. — [2] Diss. 3, cap. 5 et 6.

Beelphegor, et usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet.

Verum in quo consistit hæc macula peccati, controversia est inter Theologos. Scotus et Durandus reponunt eam in reatu pœnæ; Vasquez in denominatione pure extrinseca ab actuali peccato præterito. Martines, Nunno et alii in positivo habitu, aut dispositione inclinante ad bonum commutabile; Henno et quidam recentiores dicunt maculam esse peccatum actuale moraliter perseverans donec retractetur; sed ut solvatur,

CONCLUSIO.

Macula peccati, seu peccatum habituale, consistit in privatione rectitudinis seu conformitatis ad legem quam peccator est transgressus per peccatum actuale, habitualiter perseverante, quamdiu peccatum non retractatur, nec remittitur.

Prob. 1. Ex Div. Thom.[1] dicente *maculam importare defectum nitoris propter recessum a lumine rationis, vel divinæ legis, et ideo quando homo manet extra ejusmodi lumen, manet in eo macula peccati.* Ubi nomine recessus a lumine legis divinæ, intelligit privationem conformitatis ad legem.

Prob. 2. Peccatum omne habet suam essentiam positam in oppositione ad aliquam legem, est enim essentialiter *contra legem;* atqui macula peccati, seu peccatum habituale, est vere et proprie peccatum: ergo debet habere suam essentiam positam in oppositione ad aliquam legem; atqui talis oppositio non potest esse aliud quam privatio conformitatis ad legem quam peccator actuali peccato transgressus est, et quæ habitualiter perseverat quamdiu peccatum non est retractatum nec remissum: ergo pec-

[1] 1 2, quæst. 86, art. 1 et 2.

catum habituale consistit in privatione conformitatis ad legem.

Atque juxta hanc nostram sententiam facile potest intelligi quomodo, pro distinctione peccatorum, alia atque alia macula contrahatur, et pro inæqualitate peccatorum, inæqualis etiam sit macula, quod non nisi difficillime potest intelligi in aliis opinionibus.

Objicies 1. Macula peccati, seu peccatum habituale est quid intrinsecum peccatori; atqui habitualis privatio conformitatis ad legem non est intrinseca peccatori: ergo, etc.

Prob. min. Habitualis privatio conformitatis ad legem nihil aliud est quam actualis privatio conformitatis, quæ licet physice præterierit, moraliter perseverat; atqui quod physice præteriit non est intrinsecum peccatori: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Quod physice præteriit non est peccatori intrinsecum physice, *conc. min.*; non est intrinsecum moraliter, *nego min.*; et sic distincto consequente, *nego conseq.*

Itaque actualis privatio conformitatis ad legem quam peccator transgressus est, quamdiu peccata non remittuntur, remanet in peccatore moraliter, in ordine ad illum reddendum obnoxium odio Dei et pœnæ æternæ; quod sufficit ut hominem habitualiter et intrinsece injustum et peccatorem constituat.

Objicies 2. Peccatum habituale consistit in privatione gratiæ sanctificantis: ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* 1° quia peccatum veniale est verum peccatum habituale, et tamen non consistit in privatione gratiæ sanctificantis; 2° quia in statu naturæ puræ fuissent profecto peccata habitualia, non tamen fuisset privatio gratiæ; 3° quia diversæ sunt maculæ pro peccatorum diversitate; est tamen in omnibus peccatoribus una et eadem privatio gratiæ: ergo si in illa privatione consisteret peccatum habituale, in quolibet peccatore unicum es-

esset, quia gratia semel amissa, amplius per novum peccatum mortale amitti non potest; 4° tandem quia privatio gratiæ est a Deo, cum sit pœna a Deo juste inflicta; sed peccatum habituale non est a Deo.

Inst. 1. Privatio gratiæ sanctificantis maculat animam: ergo in illa consistit peccatum habituale.

Resp. *Dist. ant.* Maculat animam per se et primario, *nego ant.;* secundario et ratione alterius, nempe ratione privationis conformitatis ad legem, cujus est effectus, *conc. ant.* Porro, in illo peccatum habituale consistit formaliter in eo quod primario et per se maculat animam, non vero in eo quod maculat animam secundario tantum, et ratione peccati cujus est effectus.

Inst. 2. Illud maculat animam primario et per se, propter quod anima est Deo odiosa; atqui propter privationem gratiæ sanctificantis anima peccatoris Deo est odiosa: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Propter quod anima Deo est odiosa primario, et ratione sui, *conc. maj.;* secundario et ratione alterius, *nego maj.;* et sic ad minorem.

Itaque anima Deo est odiosa ratione privationis gratiæ non primario, nec ratione sui, sed tantum ratione peccati quod præcessit; nam si Deus, per absolutam suam potentiam, tolleret ab aliquo gratiam sanctificantem, absque ullo ejus peccato præcedenti, tunc iste non diceretur esse in peccato *formaliter,* quia in tali hypothesi nullum actuale peccatum præcedens supponitur, a quo privatio gratiæ sit causata demeritorie: ergo privatio gratiæ non potest habere rationem culpæ, seu peccati.

Inst. 3. Equidem privatio gratiæ, secundum se sumpta, non habet rationem culpæ habitualis, sed hanc habet per respectum ad actuale peccatum a quo causatur et relinquitur in subjecto: ergo nulla solutio.

Resp. *Nego ant.* Quia privatio gratiæ, ut sic considerata, est tantum relatio effectus moralis ad suam causam mora-

lem demeritoriam; atqui relatio hujusmodi non est proprie culpa, quia culpa *formaliter* sumpta non est per respectum ad causam, sed per tendentiam in objectum ut legi dissonum.

CAPUT VI.

DE PECCATI DIVISIONE.

Quæres 1. *Quotuplex sit peccatum?*

Resp. Duplex, originale scilicet, et personale.

Peccatum originale est illud quod aliena voluntate, Adami scilicet, commissum, per viam generationis traducitur. De quo vide tract. *de Deo creatore*, diss. 3, cap. 3.

Peccatum personale est illud quod propria peccantis voluntate committitur; et duplex est, nempe actuale et habituale.

Peccatum actuale est actus vel omissio difformis regulis morum.

Peccatum habituale est macula ex peccato actuali in anima remanens; qualiter supra exposuimus [1].

Quæres 2. *Quotupliciter dividitur peccatum actuale?*

Resp. Dividitur 1° *ratione præcepti*, in peccatum commissionis et omissionis.

Peccatum *commissionis* est illud quo præceptum negativum transgreditur: tale est furtum.

Peccatum *omissionis* est illud quo præceptum affirmativum transgreditur, v. gr. omissio Sacri die festo.

2° Dividitur *ratione causæ*, in peccatum ignorantiæ, infirmitatis et malitiæ.

Peccatum *ignorantiæ* est illud quod ab ignorantia cul-

[1] Advertunt auctores non inveniri apud antiquos hoc complexum *peccatum habituale*, sed tantum *macula;* hæc forte sola interest differentia, quod peccatum habituale magis explicet offensam Dei, et ex æquo importet peccatum actuale et privationem gratiæ; macula autem magis explicat turpitudinem peccati, et directe importat privationem gratiæ, indirecte vero peccatum actuale.

pabili antecedente voluntarium minuente, tanquam a causa per accidens, procedit; quale est peccatum illius qui negligit scire quod scire tenetur.

Peccatum *infirmitatis* est illud quod procedit a passione antecedente, voluntatem ad consensum trahente.

Peccatum *malitiæ* est illud quod ex plena voluntate ac libertate, absque ignorantia vel passione sensitiva antecedenter incitante, committitur; ad quod proinde voluntas nullius impulsu, sed ex se ipsa movetur.

Dixi *absque passione vel ignorantia antecedenter inciiante;* quia quando intervenit passio voluntarie excitata, vel ignorantia affectata, censetur peccari ex malitia, seu quasi ex industria, juxta illud Job XXXIV : *Quasi de industria recesserunt ab eo* (Deo), *et omnes vias ejus intelligere noluerunt.*

3° Dividitur *ratione modi*, in peccatum cordis, oris et operis.

Peccatum *cordis* est illud quod ex natura sua in corde consummatur; ut hæresis, odium, etc. Per peccatum cordis potest etiam intelligi peccati delectatio morosa.

Peccatum *oris* est illud quod solo ore, ut plurimum, perpetratur; ut perjurium, mendacium.

Peccatum *operis* est illud quod facto aliquo, alio quam verbo, perpetratur; ut furtum, homicidium.

4° Dividitur *ratione objecti*, in peccatum contra Deum, contra proximum et contra seipsum.

Peccatum *contra Deum* est illud quod specialiter opponitur reverentiæ Deo debitæ; talia sunt peccata contra virtutes theologicas, quæ habent Deum pro objecto et religionem quæ versatur circa cultum Deo debitum.

Peccatum *contra proximum* est illud quod proximo nocumentum infert; ut homicidium, furtum, calumnia, etc.

Peccatum *contra seipsum* est illud quo violatur ordo rationis quem homo servare debet erga seipsum, pro recta sui ipsius gubernatione; ut ebrietas, fornicatio.

5° Dividitur *ratione effectus*, in mortale et veniale.

Peccatum *mortale* est illud quod graviter Deum offendit, et mortem animæ infert.

Peccatum *veniale* est illud quod leviter Deum offendit, quodque cum animæ vita et gratia sanctificante consistere potest.

6° Dividitur *ratione entitatis*, in materiale et formale.

Peccatum *materiale* est ipse actus malus, secundum se et entitative consideratus, seu transgressio legis non libera, nec voluntati imputabilis.

Peccatum *formale* est ipsa malitia et deformitas istius legis transgressionis, seu libera transgressio voluntati imputabilis.

7° Dividitur in capitale et non capitale.

Peccatum *capitale* est illud, quod non solum est peccatum per se, sed et aliorum peccatorum radix et causa impulsiva. Ex peccatis capitalibus duo, nempe *gula* et *luxuria*, sunt *carnalia*, sic dicta quia carnali voluptate consummantur.

DISSERTATIO II.

De peccatis in particulari.

Nota. Cum jam multa de peccatis dixerimus agendo de voluntario et involuntario, et in tract. *de Deo creatore* [1], restat hic agendum : 1° de peccato commissionis et omissionis ; 2° de peccatis ignorantiæ, infirmitatis et malitiæ ; 3° de peccatis cordis, oris et operis ; 4° de peccato mortali et veniali ; 5° de peccatis capitalibus. De peccato autem originali, vide tract. *de Deo creatore*, loc. cit. Sit itaque

[1] Diss. 3 de homine, cap. 6, quæst. 3, 8, 1 et 2.

CAPUT I.

DE PECCATO COMMISSIONIS ET OMISSIONIS.

Nota 1. Hic controvertitur utrum possit dari omissio culpabilis sine præcedente voluntatis actu, qui sit causa vel occasio ejus.

Dixi *sine voluntatis actu:* quia omissio non potest esse libera sine actu intellectus proponentis obligationem præcepti, cum nihil sit volitum quin præcognitum.

Nota 2. Duplex est actus quo voluntas ordinarie vult omissionem. *Primus* est *directus*, cum voluntas per actum expresse ad omissionem ordinatum vult non implere præceptum, v. gr. Volo non audire Sacrum. *Secundus indirectus,* cum aliquid incompossibile cum impletione præcepti vult tempore quo urget præceptum, v. gr. venari studere tempore Missæ; vel cum antecedenter ponit causam ex qua prævidet moraliter eventurum ut non possit adimplere præceptum, v. gr. qui se inebriando prævidet futurum, ut non possit audire Sacrum.

Nota 3. Hic quæritur utrum aliquando evenire possit ut voluntas, proposito per intellectum præcepto et obligatione ejus, ita circa præceptum se mere negative habere possit, ut suspendendo omnem actum, voluntarie et culpabiliter illud omittat; circa quod

CONCLUSIO.

Omissio potest esse probabilius voluntaria et peccaminosa absque omni voluntatis actu, qui per se, seu tanquam constitutivum essentiale ad eam pertinet; non vero sine voluntatis actu qui sit causa aut occasio omissionis.

PROB. PRIMA PARS. Voluntas est ita libera et indifferens, ut, positis omnibus ad agendum requisitis, possit adhuc

non agere, seu possit actionem suam suspendere; sed unum ex prærequisitis in voluntate ad agendum est ipsa propositio objecti facta per intellectum, quia voluntas non fertur in incognitum: ergo, hac posita objecti propositione, voluntas potest non agere seu suspendere omnem actum; atqui talis suspensio actus, seu omissio, est libera et peccaminosa: ergo potest dari omissio libera et peccaminosa absque omni voluntatis actu.

Probatur secunda min. Quia omnis omissio actus liberi et præcepti, id est, actus qui potest et debet poni, est libera omissio actus præcepti; atqui omissio actus, licet pura, est omissio actus liberi et præcepti: ergo est omissio actus libera et peccaminosa.

Minor constat, *major* certa est; nam, sicut actus libere ponitur hoc ipso quod ponitur cum potestate illum non ponendi, ita libere non ponitur hoc ipso quod non ponitur cum potestate illum ponendi.

PROB. SECUNDA PARS. Quia omissio peccaminosa debet esse exercitium liberum voluntatis; atqui pura omissio nequit esse exercitium voluntatis, cum voluntas se moveat per actum, non vero per negationem actus: ergo nequit esse peccaminosa. Unde S. Ligorius [1], ex S. Thom. et Salmant., dicit ad quodlibet peccatum omissionis requiri actum positivum voluntatis; voluntas enim non exercetur nec peccat, nisi per actum.

Confirmatur. Voluntarium actu habetur per exercitium libertatis; illud enim est voluntarium cujus domini sumus; atqui non datur exercitium libertatis absque aliquo actu voluntatis.

Prob. min. Voluntas, ut libera, est potentia vitalis, et libertas est sua vitalitas; atqui non datur exercitium vitalitatis sine motu aliquo; vivere enim actu est actu se movere: ergo si in omissione non esset exercitium libertatis, voluntas maneret potentia velut mortua, nec ex ea

[1] Lib. II, num. 9.

posset esse voluntarium nisi in actu primo. Ergo non datur omissio voluntaria et peccaminosa in individuo, sine actu voluntatis, non quidem ratione operis, sed ratione operantis, seu non qui sit illi essentiali, sed qui sit causa et occasio illius.

Objicies contra primam partem. 1 Peccatum non potest esse sine aliquo exercitio libertatis; sed in omissione pura nullum est exercitium libertatis; e contra omne libertatis exercitium suspenditur: ergo in omissione pura nullum est peccatum.

Resp. *Dist. maj.* Peccatum non potest esse sine libertatis exercitio a parte rei et in individuo, *conc. maj.;* in suo essentiali conceptu, *nego maj.* Atqui in omissione pura nullum est libertatis exercitium a parte rei et in individuo, *conc. min.;* in suo essentiali conceptu, *nego min.* Adest enim hoc ipso quod suspenditur omne exercitium libertatis pro eo tempore, pro quo reipsa libertas positive exerceri potest et debet. Nam in suo essentiali conceptu, peccatum omissionis est mera privatio volitionis aut actionis, sicut cæcitas est mera privatio visus.

Inst. Voluntas non potest ex non omittente fieri libere omittens, sine aliqua mutatione de novo adveniente; atqui illa mutatio est actus: ergo voluntas non potest omittere libere sine actu.

Resp. *Dist. maj.* Sine mutatione in actu secundo, *conc. maj.;* in actu primo, *nego maj.;* atqui mutatio est actus quo voluntas se ad aliquid determinat in actu secundo, *conc. min.;* in actu primo, mutatione morali, *nego min.* Est enim suspensio actus liberi et præcepti; eo enim ipso quo voluntas illustrata per intellectum, non agit nec se determinat, peccat, quia illa suspensio est peccaminosa in suo essentiali conceptu.

Objicies 2. Omissio actus externi, puta Sacrum audiendi, non potest esse sine aliquo actu externo incompossibili, v. gr. sessione, ambulatione, etc.: ergo saltem omissio

exterior non potest esse sine aliquo actu interno, quo voluntas velit actum cum externo incompossibilem.

Resp. *Dist. conseq.* Omissio exterior non potest esse sine aliquo actu interno quo voluntas velit actum incompossibilem, si consideretur in actu primo, seu in suo conceptu essentiali, *nego conseq.;* tunc enim est mera privatio volitionis et nolitionis. Si consideretur in actu secundo, seu in individuo et a parte rei, *conc. conseq.;* quia non datur omissio voluntaria in individuo sine aliquo actu præcedente vel concomitante, qui sit causa vel occasio ejus, ut dictum est in secunda parte conclusionis. Aliter tamen est, si actus externus incompossibilis cum actu externo præcepto non requiritur per modum actus qui sit volitus ut causa, vel occasio omittendi, sed solum ex necessitate naturæ quæ non potest existere sine aliqua ubicatione vel occupatione. Ratio, quia tunc actus coexistentes omissioni peccaminosæ non influunt in omissionem, consequenter ab ea vitiari non potest.

Objicies 3. Si omissio pura possit esse demeritoria, potest etiam esse meritoria; falsum consequens: ergo, etc.

Resp. *Nego sequel.* Disparitas est, quod ad merendum requiratur actio ex affectu supernaturali alicujus virtutis, qui affectus non reperitur in omissione pura, aliunde hæc omissio pura non est sine aliquo actu qui sit causa vel occasio illius, ut dictum est.

Quæres 1. *Utrum actus bonus vel indifferens qui cum omissione culpabili est conjunctus, et incompossibilis cum observantia præcepti, sit peccatum?*

Resp. Est peccatum, si sit omissionis causa vel occasio, secus si tantum concomitanter se habeat ad omissionem, ut dictum est.

Nota. Actus est causa vel occasio omissionis cum influit in omissionem, v. gr. cum quis ut ludat vel studeat, aut ne has actiones interrumpat, non audit Sacrum; actus vero se tantum concomitanter habet ad omissionem cum

non influit in omissionem, v. gr. cum quis statuit omittere Sacrum propter pluviam, ludit vel studet dum instat tempus audiendi Sacri, ut otium vitet. His positis,

PROBATUR PRIMA PARS. Actus qui contrahit malitiam omissionis est peccatum; atqui actus qui est causa vel occasio omissionis, contrahit malitiam ejusdem; quo enim præcepto peccatum prohibetur, illius quoque causa et occasio vetantur : ergo est peccatum.

Resolvitur. Actus qui est causa vel occasio omissionis, *si non sit aliunde malus*, habet unam et eamdem malitiam cum omissione culpabili, cum solum habeat malitiam ab illa omissione, et eidem præcepto adversetur; quare sufficit tunc omissionem confiteri.

Dixi *si non sit aliunde malus ;* quia tunc haberet duplicem malitiam specie distinctam, v. gr. si quis omittat Sacrum ut furetur. Sed tunc furtum potest dici in confessione seorsim, quia tunc furtum non est nisi causa aggravans, non autem mutans speciem [1].

PROBATUR SECUNDA PARS. Quia quod tantum concomitanter se habet ad omissionem, non influit in ipsam, cum materialiter tantum et per accidens se habeat ad omissionem: ergo non est peccatum.

DICES: Sacerdos qui, post firmum propositum Horas Canonicas non persolvendi toto tempore longæ navigationis, Breviarium projicit in mare, peccat lethaliter non solum cum illam omissionem statuit, verum etiam cum actu projicit Breviarium; atqui talis Breviarii projectio se tantum concomitanter habet ad omissionem Horarum : ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* Projectio Breviarii se habet tantum concomitanter ad omissionem Horarum inchoatam, *conc. min.;* continuatam, *nego min.;* nam respectu continuatæ omissionis se habet ut causa, quia ille sacerdos sibi adimit facultatem recitandi Horas, licet mutaret malum omittendi propositum; unde talis omissio est quasi medium inter-

[1] S. Ligor., lib. II, num. 9.

pretative electum ad exequendam omissionem, medium autem contrahit malitiam finis, dum non est retractatum.

QUÆRES 2. *An qui scienter, vel ex ignorantia culpabili, ponit causam omissionis, vel seipsum morali periculo exponit, eo ipso ejusdem omissionis malitiam contrahat?*

RESP. *affirmat.* Nam qui advertanter ponit causam omissionis, vel ipsius moralip ericulo se exponit, vult indirecte saltem et interpretative ipsam omissionem; qui enim vult causam, censetur velle effectum qui ex illa sequitur: ergo, etc.

Resolvitur. Qui die festo mane se somno tradit, prævidens se somno impeditum iri ab auditione ultimi Sacri, tunc peccat contra religionem, etiam si per accidens excitetur, et postea Sacrum audiat. Non tamen contrahit censuram, si aliqua sit lata contra non audientes Sacrum, quia censura soli actui externo annexa est; neque si accidat effectus post retractationem causæ, quia censura requirit contumaciam in actu peccati.

Quod si per accidens excitatus possit audire Sacrum et non audiat, denuo peccat peccato omissionis, et tunc omissio ejus est in se libera eo modo quo actus externus liber esse potest, quia tunc denuo vult saltem indirecte ipsam omissionem actualem; sed

QUÆRES 3. *An omissio quæ in causa culpabilis est, sit etiam culpabilis in se eo tempore quo omittitur præceptum, etiamsi contingat hominem præ somno aut ebrietate non esse compotem rationis?*

RESP. Controvertitur inter Theologos.

Prima sententia negat. Ratio, quia 1° nullum est peccatum nisi liberum, nihil voluntarium nisi modo et tempore quo est cognitum; atqui effectus causæ liberæ et voluntariæ non sunt determinati, nisi quando determinate cognoscuntur: ergo peccatum absque actuali cognitione commissum est mere materiale et effectus peccati: ergo, etc.

2° Nemo peccat in eo quod vitare non potest; nam ad

impossibile nemo tenetur; atqui v. gr. dormiens vel ebrius dum omittit Sacrum, non potest illam omissionem vitare: ergo, etc. Ita Vasq., Bon., Laym., etc.

Nec obstat dicere, quod illud fuerit voluntarium in causa; nam si fuit vere voluntarium in causa, fuit patratum in hac causa, inquit P. Gury; sed quæstio est utrum sit voluntarium hic et nunc in effectu; et hoc sensu dicendum est prorsus involuntarium.

Secunda sententia communior affirmat, dicens omissionis peccatum fieri utroque tempore inchoative et quoad affectum, quando ponitur causa; et consummative et quoad effectum, quando adest tempus adimplendi, modo causa non fuerit retractata.

Ratio est, quia ut aliquid sit in se formaliter peccatum, sufficit ut indirecte et in sua causa liberum sit et voluntarium; sed omissio Sacri, v. gr. contingens in somno, indirecte et in sua causa voluntaria est, cum supponamus omittentem, quando se somno dedit, illam prævidisse: ergo omissio illa in se formaliter peccatum est: ergo omittens non solum peccat quando apponit causam, sed etiam quando de facto omittit, etsi tunc sui compos non sit. *Minor* est certa.

Prob. maj. Pollutio in somno contingens, licet non sit in se formaliter libera et voluntaria, quia tamen est libera et voluntaria in causa, puta in turpi cogitatione vel tactu impudico, etc., peccatum est, ut docent omnes cum Div. Thoma [1]: ergo, ut aliquid sit in se formaliter peccatum, sufficit quod indirecte et in sua causa sit voluntarium

Objicies 1. *Contra secundam sententiam.* Ad peccatum actuale requiritur libertas actualis; atqui omissio in somno eveniens non est actualiter libera: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Ad peccatum actuale requiritur libertas actualis vel in se, vel in causa, *conc. maj.*; in se necessario, *nego maj.* Atqui omissio in somno eveniens non

[1] 3 part., quæst. 80, art. 7.

est actualiter libera in se, *conc. min.;* in causa, *nego min.* Responsio patet ex nostra probatione.

INST. 1. Illud est actualiter liberum, quod est actu in hominis potestate quoad esse et non esse; atqui omissio in somno non est talis: ergo non est actualiter libera.

RESP. *Dist. maj.* Illud est actualiter liberum *in se,* quod est actu in hominis potestate quoad esse et non esse, *conc. maj.;* illud est actualiter liberum *in causa*, quod, etc., *nego maj.;* et sic distincto consequente, *nego conseq.* Porro, ad liberum in causa, sufficit quod fuerit in hominis potestate ponere et non ponere causam, etsi causa semel posita, non sit amplius in ejus potestate quoad esse et non esse.

INST. 2 Ex hac responsione sequitur omissionem contingentem in somno esse solum peccaminosam in causa, non vero in seipsa: ergo revera sentimus cum adversariis.

RESP. *Dist. ant. quoad secundam partem.* Sequitur omissionem non esse peccaminosam in seipsa, ratione sui ipsius, *conc ant.;* ratione causæ, in qua libera et voluntaria est, *nego ant.* Hoc vero non dicunt adversarii, qui volunt denominationem peccati sistere in causa, nec transire a causa ad omissionem in se, quod nos impugnamus.

OBJICIES 2. Si ebrius aut dormiens ratione actus præcedentis possit in somno vel ebrietate peccare, poterit etiam sacerdos ebrius aut dormiens valide conficere Sacramentum, si ante somnum aut ebrietatem habuerit intentionem consecrandi et faciendi quod facit Ecclesia, *falsum conseq.*, ergo, etc. *Prob. seq.* Non minor requiritur libertas ad peccandum, quam ad conficiendum Sacramentum: ergo si libertas in causa sufficiat ad peccandum, sufficiet etiam ad valide consecrandum.

RESP. 1. *Nego sequel.* Disparitas non sumitur a libertate actus, sed ex voluntate Christi, qui, licet prolationem verborum voluntariam solum in causa ad dignitatem Sacramenti elevare potuerit, id tamen noluit, tum ob reverentiam Sacramento debitam, tum quia oportuit Sacra-

menta confici a ministro cum morali certitudine de præsentia materiæ cui applicatur forma; in somno autem aut ebrietate talis certitudo esse nequit, cum tempore somni materia apposita possit ab aliquo mutari. Ita Gonet et Juenin.

Resp. 2. *Nego seq. maj.* Quia, ut docent Salmanticenses[1], confectio Sacramenti non consistit solum in actu, sed etiam in prolatione verborum quæ formaliter sint verba humana; verba autem quæ dormiens aut ebrius profert, non sunt verba humana formaliter, defectu actualis significationis, sed duntaxat materialiter, sicut verba prolata a pica, psittaco; et ideo quamvis sint voluntaria in causa, non possunt Sacramentum conficere.

Resolves 1. Pœnitentem teneri aperire in Confessione non tantum omissionis causam, sed etiam ipsam actualem omissionem, quia cum posita fuit causa omissionis culpabilis, fuit peccatum omissionis *quoad causam;* cum vero instante obligatione præcepti omissus fuit effectus debitus, fuit peccatum omissionis *quoad effectum.*

Resolves 2. Omnes omissiones sequentes ex infirmitate et impossibilitate voluntarie contractis, sunt imputabiles ei qui has prævidit vel prævidere debuit et potuit, quia tunc sunt virtualiter et interpretative in causa volitæ.

Hinc, qui Baccho et Veneri nimium indulgens, ita fit infirmus ut posthac jejunare non possit, peccat non jejunando, donec eum facti sincere coram Deo pœniteat, si hanc impotentiam præviderit futuram. Quod si non præviderit ex eo secuturum effectum, non peccat, quia sequens eventus non imputatur, nisi prævideatur in se vel in causa, ut dictum est.

Resolves 3. Effectus procedentes a causa quæ natura sua inducat ad tales effectus malos (a fortiori si causa sit honesta et licita) nullo modo sunt imputabiles, licet prævisi, modo non sint voliti et intenti, et modo causa, si sit inhonesta, necessario poni debeat, et aliquam præcautionem

[1] Disp. 5, dub. 6.

operans adhibeat. Ratio, quia non dicitur causa effectus non intenti, et præter voluntatem secuti, qui agendo utitur jure suo, et illam causam non tenetur non ponere vel tollere. Imo in tali casu videtur magis pati quam agere.

Hinc, non imputatur pollutio chirurgo quam prævidit secuturam ex tactu necessario mulieris in partibus verendis; nec studenti ob propriam vel aliorum utilitatem materiis sexti præcepti, vel æquitanti, vel cibum et potum moderate sumenti, modo complacentiam repellant in actu ex quo sequitur involuntaria pollutio; *item*, si actus non alias licitus, v. gr. verba obscena vel blasphemiæ et similia non imputantur illi qui sine advertentia et involuntarie tanquam ex habitu ea protulit, si, adhibitis diligentiis, inadvertenter in ea prorumpit.

Quæres 4. *Quomodo quis censetur debuisse et potuisse prævidere omissiones et commissiones peccaminosas ut ipsi imputentur ad culpam?*

Resp. Ad primum. 1° Quando per se aut plurimum sequuntur ex tali causa; 2° quando quis videt in aliis æqualis complexionis similia contingere; 3° quando præcepta proxime instant. Ita Billuart[1].

Resp. Ad secundum. Ut quis censeatur potuisse prævidere, non sufficit quod debuerit prævidere, neque quod habuerit sub manu omnia media prævidendi, sed requiritur insuper ut animadverterit, saltem in confuso, ad obligationem prævidendi. Nam media sunt tanquam si non essent illi qui non cogitat de obligatione his utendi.

CAPUT II.

DE PECCATIS IGNORANTIÆ, INFIRMITATIS ET MALITIÆ.

Nota. Licet omnia peccata SS. Trinitati adversentur, tamen peccatum *infirmitatis* dicitur contra Patrem, cui

[1] *De Peccat.*, diss. 1, art. 4.

specialiter attribuitur potentia; peccatum *ignorantiæ* contra Filium, cui sapientia; et peccatum *malitiæ* contra Spiritum Sanctum, cui bonitas attribuitur.

Certum est 1° Dari peccata infirmitatis; nam peccatum infirmitatis est illud quod procedit a passione antecedente, voluntatem ad consensum trahente; atqui dantur talia peccata, juxta illud Apost. [1]: *Cum essemus in carne, passiones peccatorum*, id est, incitantes ad peccata, *operabantur in membris nostris ut fructificarent morti*, id est, ut fructus peccatorum parerent, qui nos ducerent ad mortem æternam: ergo, etc. Videri possunt quæ diximus in tract. *de Actibus humanis*, et speciatim [2] dum egimus de involuntario per concupiscentiam.

Certum est 2° Dari peccata malitiæ; nam peccatum malitiæ illud est quod quis, nulla passione aut tentatione allectus, scienter et libere committit; atqui dantur talia peccata, juxta illud Job XXXIV: *Quasi de industria recesserunt ab eo* (Deo), *et omnes vias ejus intelligere noluerunt.* Ergo, etc.

Restat ergo resolvendum: 1° utrum peccatum ex habitu sit peccatum malitiæ; 2° utrum dentur peccata ignorantiæ: duplici quæstione.

QUÆSTIO I.

UTRUM PECCATUM EX HABITU SIT PECCATUM MALITIÆ.

Peccatum ex habitu quem peccans emendare non curat, est peccatum malitiæ.

PROB. 1. Ex Div. Thom. [3] dicente: *Quandocumque aliquis utitur habitu vitioso, necesse est quod ex certa malitia peccet, quia unicuique habenti habitum, est per se diligibile id quod est ei conveniens secundum proprium habitum, quia sic fit ei quodammodo connaturale secundum quod consue-*

[1] Rom. VII. — [2] Tract. *de Deo creat.*, diss. 3, cap. 3, quæst. 3. — [3] 1 2, quæst. 78, art. 2.

tudo et habitus vertitur in naturam... et hoc est ex certa malitia peccare. Unde manifestum est, quod quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia.

Prob. 2. *Ratione.* Quia qui peccat ex electione, ita ut electio in ipso sit primum principium peccati, peccat ex malitia; sed qui peccat ex habitu, peccat ex electione, ita ut electio in ipso sit primum principium peccati, cum ait Div. Thom. [1]: *Ipsius voluntas ex seipsa movetur ad malum eligendum:* ergo, etc.

Objicies 1. Omne peccatum est ex electione, alias non esset liberum, nec consequenter peccatum: ergo ex hoc quod peccatum ex habitu sit ex electione, non sequitur quod sit peccatum ex malitia.

Resp. *Nego ant.* Cum Div. Thom., qui ibidem ait: *Ille qui peccat ex passione, peccat quidem eligens, sed non ex electione; quia electio in eo non est primum peccati principium, sed inducitur ex passione ad eligendum id quod, extra passionem existens, non eligeret; sed ille qui peccat ex certa malitia, secundum se eligit malum.* Ergo, ut quis eligens peccet, sufficit ut voluntas ex quodam intrinseco, v. gr. passione, impellatur ad peccandum; sed ut dicatur peccare ex electione, requiritur ut voluntas ex seipsa moveatur ad malum, ut addit Div. Thom. [2].

Objicies 2. Peccatum ex habitu levius est quam quod committitur absque habitu: ergo peccatum ex habitu non est peccatum malitiæ.

Resp. *Nego ant.* Quia, ut ait Div. Thom. [3], *ubi est major inclinatio voluntatis ad peccandum, ibi est gravius peccatum;* atqui in eo qui peccat ex habitu, major est inclinatio voluntatis ad peccandum: ergo, etc.

Prob. ant. Quod minuit voluntarium et liberum, minuit peccatum; atqui habitus pravus minuit voluntarium et liberum: ergo, etc.

Resp. 1. *Nego maj.*, ex qua sequeretur quod quis eo ex-

Art. 3. — [2] Ad 4. — [3] 2 2, quæst. 156, art. 3.

cusabilior esset, quo pejor fieret; et eo minus arguibilis de peccato, quo magis per habitum radicatus ac firmatus esset in malo, utpote eo minus liber. Similiter quanto magis quis in virtute proficeret, tanto minus meritum acquireret, quod est aperte falsum.

Resp. 2. *Nego min.* Imo habitus potius auget voluntarium et liberum, quam illud minuit; licet enim cum ad perfectionem venerit, necessitatem quamdam inducat ad id ad quod inclinat, non tamen necessitatem inducit antecedentem et involuntariam, sed necessitatem consequentem, quæ voluntatem libertatemque firmat et perficit.

Objicies 3. Qui peccat ex malitia gaudet de peccato commisso, secundum illud [1]: *Qui lætantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis;* sed ille qui peccat ex habitu dolet de peccato: ergo peccatum ex habitu non est peccatum malitiæ.

Resp. *Dist. min.* Dolet aliquando de peccato non utens habitu, sed ratione quæ non est totaliter corrupta, *conc. min.*; dolet quandiu habitu utitur, *nego min.* Cum habitudinarius possit habitu non uti, sed per rationem aliquod aliud meditari, perumque pœnitet de peccato, non quia ei peccatum secundum se displiceat, sed propter aliquod incommodum quod ex peccato incurrit. Ita S. Thom., loc. cit.

Quæres 1. *Quænam peccata reducantur ad peccata malitiæ?*

Resp. Peccata in cœlum clamantia; et peccata quæ specialiter dicuntur in Spiritum Sanctum.

Quæres 2. *Quot sint peccata in cœlum clamantia?*

Resp. Sunt quatuor, quæ malitiam adeo manifestam præ se ferunt, ut divinam vindictam vehementius quam cætera peccata provocent.

Primum, est homicidium voluntarium [2]: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

Secundum, est peccatum Sodomiæ [3]: *Dixit Dominus:*

[1] Proverb. II, 14. — [2] Gen. IV. — [3] Gen. XXVIII.

Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est.

Tertium, est oppressio pauperum [1]: *Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego exaudiam.*

Quartum, est defraudatio mercedis operariorum [2]: *Ecce merces operariorum quæ defraudata est a vobis, clamat.*

QUÆRES 3. *Quæ et quot sunt peccata quæ specialiter dicuntur in Spiritum Sanctum?*

RESP. Sunt ea quibus abjicitur id quo Spiritus Sanctus hominem solet a peccato revocare; et sunt quinque.

Primum, est *præsumptio de misericordia Dei*, qua inaniter freti, peccatores ad peccandum fiunt audaciores.

Secundum, est *desperatio de divina misericordia*, qua spes omnis tum impetrandæ veniæ, tum salutis consequendæ abjicitur.

Tertium, est *impugnatio agnitæ veritatis*, qua fidei catholicæ veritas ex malitia oppugnatur.

Quartum, est *obstinatio* eorum qui nolunt intelligere ut bene agant.

Quintum, est *impœnitentia finalis*, eorum nempe qui proposuerunt nunquam agere pœnitentiam.

QUÆSTIO II.

UTRUM DENTUR PECCATA IGNORANTIÆ ET INADVERTENTIÆ.

Nota 1. Ignorantia et inadvertentia differunt inter se in eo, quod ignorantia sit privatio scientiæ seu cognitionis habitualis; inadvertentia autem cognitionis actualis. Unde quoties datur ignorantia, datur et inadvertentia, sed non e contra. Inadvertentia potest esse simul ad actum et ad malitiam, ut in ebrio, vel ad malitiam et non ad actum, ut qui sciens esse hodie jejunium, comedit carnes, non advertens ad prohibitionem.

Nota 2. Nulla dari peccata ignorantiæ, omnium primus

[1] Exodi XXII. — [2] Jacobi V.

docuit Pelagius, cujus sequens propositio fuit damnata in Concil. Diospolitano: *Oblivio et ignorantia non subjacent peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt.* Pelagii errorem, quem strenue et acriter impugnarunt DD. Augustinus et Hieronymus, ex orco suscitavit Abælardus, quem invictis argumentis refutavit Div. Bernardus [1].

Nota 3. E diametro, quidam docuerunt ad formaliter et actualiter peccandum, non requiri ut aliquando intercesserit actualis advertentia, nec directa nec indirecta, in se vel in causa, saltem in confuso, sed sufficere advertentiam interpretativam, quæ consistit in eo quod operans debuit et potuit sola potentia physica et remota malitiam advertere.

Nota 4. Multi, cum S. August., S. Anton., Cajet., asserunt hominem non posse peccare mortaliter absque plena et expressa advertentia malitiæ, et ideo si semiplena tantum sit advertentia, semiplena erit libertas, et consequenter peccatum erit tantum veniale, quæcumque sit gravitas materiæ.

Alii vero communiter docent advertentiam malitiæ moralis necessariam ad peccatum mortale, esse non formalem, actualem et expressam, sed virtualem tantum et in causa, vel dubium de malitia, vel saltem ad reflexionem obligationis ad illam advertendi.

Hæ duæ sententiæ, sistendo intra limites justi, conciliari possunt, ut patebit ex conclusionibus tertia et quarta.

Nota 5. Quadruplici modo ignorantia fit voluntaria: 1° ob *negligentiam*, et hoc duobus modis: vel *directe*, sicut cum aliquis studiose vult nescire aliqua, ut liberius peccet; vel *indirecte*, sicut cum aliquis propter laborem vel propter alias occupationes negligit addiscere id per quod retraheretur a peccato [2]; 2° ob *passionem*, quia ligatio rationis per passionem non imputatur ad culpam, nisi forte quoad principium talis passionis, quoad fuit voluntarium, poterat enim voluntas a principio impedire ne passio in

[1] Epist. 77 *ad Hugonem de S. Victore.* — [2] S. Thom., 1 2, quæst. 76, art. 3.

tantum procederet[1]; 3° ob *prarum habitum*: licet enim peccatores male habituati habeant cognitionem minus expeditam quam alii, semper tamen habent cognitionem aliquam actualem et sufficientem de malitia sui peccati[2]; 4° ob *inconsiderationem*, quando, scilicet, homo in agendo jam advertit amplius considerando, et tamen vult præcipitanter operari[3].

Item, triplex est cognitio intellectus. 1° *Plene deliberata*, quando quis evigilans, sui compos et alio non distractus, firmo judicio discernit ea quæ cognoscit, et tunc hæc cognitio appellatur *advertentia plene deliberata*. 2° *Semideliberata*, quando prædictæ conditiones non plene et totaliter dantur, ut accidit in semidormientibus et semiebriis. Et hæc cognitio est *advertentia semideliberata*. 3° Cognitio *omnio indeliberata* datur, quando intellectus ita rapitur ab objecto sibi oblato, ut in illo solum percipiat rationem delectabilis, ita ut tunc habeat omnimodam determinationem ad unum, nec advertat ad moralitatem actus; et sic est *advertentia plene indeliberata*.

Huic triplici cognitioni correspondet tam ratione et voluntate, quam appetitu sensitivo, triplex motus, scilicet, *proprimus*, qui advertentiæ plene indeliberatæ; secundus, *secundo primus*, qui advertentiæ semideliberatæ; et denique *deliberatus*, qui advertentiæ deliberatæ correspondet. His positis, communior sententia docet, quod ad peccandum formaliter necessaria sit actualis reflexio, seu advertentia ad malitiam actionis, vel saltem actuale dubium, vel scrupulus de illa malitia, vel de periculo. Unde nullam admisit ignorantiam vincibilem seu criminosam, nisi adsit actualis reflexio, vel advertentia super malitia operationis vel periculi illius.

[1] S. Thom., opusc. *de Malo*, quæst. 3, art. 20, et 1 2, quæst. 6, art. 8. — [2] S. Ligor., lib. II, num. 4; et S. Thom., 1 2, quæst. 6, art. 8. — [3] S. Ligor., ibid.

CONCLUSIO I.

Dantur peccata ignorantiæ. Est de fide.

PROB. Unico Div. Bernardi testimonio, in quo referuntur principaliora Scripturarum testimonia, quæ ignorantiæ peccata nobis manifestant.

Is forsitan, inquit, *qui asserit non posse peccari per ignorantiam, nunquam pro suis ignorantiis deprecatur, sed potius Prophetam irridet, deprecantem et dicentem:* Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris; *forsitan reprehendit Deum, satisfactionem pro peccatis ignorantiæ exigentem; loquitur enim in Levitico* [1], *ad Moysem dicens:* Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ lege Domini prohibentur, et peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti, juxta mensuram æstimationemque peccati. *Et rursum,* Qui (*sacerdos*) orabit pro eo, quia nescieus fecerit, et dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Dominum. *Si ignorantia nunquam peccatum est, cur dictum est in Epist. ad Hebræos* [2], *quia* in secundo (tabernaculo) semel in anno solus Pontifex intraret, non sine sanguine, quem offeret pro sua et populi ignorantia?

Si peccatum ignorantiæ nullum est, cur ergo peccavit Saulus, quod persecutus est Ecclesiam Dei, quoniam quidem ignorans fecit, manens in incredulitate? Bene itaque faciebat quod erat blasphemus et persecutor et contumeliosus, *quod erat* spirans minarum et cædis in discipulos Domini. *In hoc ipso, quippe* abundanter æmulator existens paternarum traditionum, *non debuit dicere:* Misericordiam consecutus sum.

Si, inquam, ignorantia nunquam peccatur, quid ergo causamur adversus occisores Apostolorum, quandoquidem non solum malum esse nescierunt interficere illos, sed insuper quoque, id faciendo, arbitrati sunt obsequium se præstare

[1] Cap. v. — [2] Cap. IX.

Deo[1] *? Sed et frustra in cruce Salvator pro suis orabat crucifixoribus, quippe nescientibus, ipso teste, quid facerent, et ita nequaquam peccantibus ; neque enim fas est ullatenus suspicari ment tum esse Dominum Jesum aperte perhibentem eos ignorare quid facerent... ubi ait :* Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. *Numquid ex his,* concludit Div. Bernardus, *satis apparet, in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat peccari posse per ignorantiam?*

DICES : Ille non peccat, qui non agit contra conscientiam ; sed qui agit contra legem, ignorans actionem suam esse contra legem, non agit contra conscientiam : ergo, etc.

RESP. *Nego maj.* Ut enim is qui agit contra legem, immunis sit a peccato, non sufficit quod non agat contra conscientiam, sed insuper requiritur ut invincibiliter ignoret actionem suam esse contra legem : alias error erit vincibilis, et consequenter culpabilis. Ita Div. Thom.[2], qui ait : *Illud quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam,* nimirum, vincibiliter erroneam.

CONCLUSIO II.

Ad peccandum formaliter non sufficit advertentia interpretativa.

PROB. 1. Ubi non est cognitio, non est libertas ; ubi non est libertas, non est peccatum ; atqui ubi sola est libertas interpretativa, nulla est cognitio : ergo, etc.

Prob. min. 1° Advertentia interpretativa consistit, ut dictum est, in eo quod operans debuit et potuit sola potentia physica et remota advertere malitiam actionis suæ ; sed potentia physica et remota advertendi et cognoscendi non est advertentia et cognitio, quæ sunt effectus vel actus potentiæ : ergo, etc.

2° Homo non peccat in eo quod vitare non potest ; atqui

[1] Joan. XVI. — [2] Quodlib. 8, art. 13.

operans cum sola advertentia interpretativa, actum ut malum vitare non potest; nam quomodo vitaret errores quos nullo modo neque expresse, neque in confuso ut culpas agnoscit ? Ergo, etc.

3° Ex illa opinione sequeretur quoà plurimi homines multis mortalibus culpis gravati se invenirent, quin circa illas ullam cogitationem habuerint: ergo, etc.

CONCLUSIO III.

Ad peccandum formaliter, non semper necessaria est actualis explicita cognitio, seu advertentia malitiæ actionis.

Prob. 1. Ex Scriptura. Christus [1], discipulos alloquens, ait: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Atqui hic non modo non elucet malitiæ cognitio, seu illius advertentia actualis; sed e contra prævalet opposita honestatis persuasio; et tamen certum est ipsos peccasse: ergo, etc.

Prob. 2. Variis argumentis a ratione petitis:

Primum argumentum. De fide est dari peccata ignorantiæ; atqui si ad peccandum formaliter, semper necessaria foret actualis cognitio malitiæ, nulla dabuntur peccata ignorantiæ: ergo, etc.

Prob. min. 1° quia qui advertit se peccare, non ignoranter, sed scienter peccat; 2° quia tunc solum ex ignorantia peccatur, dum ignorantia est causa peccati; atqui nunquam ignorantia est causa peccandi, dum adest actualis cognitio peccati: ergo, etc....

Prob. min. Ignorantia non est causa peccati, nisi per modum removentis prohibens, id est, nisi quatenus removet cognitionem, qua habita, peccatum non committeretur; atqui ubi adest actualis cognitio, ignorantia non removet cognitionem; hoc enim pugnat in terminis: ergo, etc.

[1] Joan. xvi.

Secundum argumentum. Si ad peccandum formaliter, necessaria semper foret advertentia malitiæ, ideo esset, quia alias peccatum, qua tale, non foret voluntarium; atqui falsum consequens: ergo, etc....

Prob. min. Ad peccandum formaliter, sufficit voluntarium indirectum; atqui ad voluntarium indirectum non requiritur actualis prægocitatio malitiæ, sed sufficit virtualis, id est implicita, qua nempe malitia apprehensa fuit, etc... in se vel in sua causa et aliquo modo prægocitata: ergo,

Prob. min. Ex Div. Thom. [1] dicente: *Eodem modo, ad voluntarium indirectum requiritur actus cognitionis, sicut et voluntatis, ut, scilicet, sit in potestate alicujus considerare, et velle, et agere:* ergo, sicut ad voluntarium indirectum, non requiritur volitio actualis, sed sufficit virtualis, id est implicita, consistens in hoc quod homo possit et debeat cognoscere, seu considerare. Unde addit Div. Thomas: *Sicut tunc non velle et non agere cum tempus fuerit, est voluntarium, ita et non considerare.* Hujus rationem reddit [2]: *Quia tunc,* inquit, *non totaliter tollitur cognitio, quia non totaliter tollitur potestas cognoscendi, sed solum consideratio actualis in particulari operabili; et tamen hoc ipso est voluntarium, secundum quod voluntarium dicitur id quod est in potestate voluntatis, ut agere et non velle, similiter et non considerare.* Non considerare igitur voluntarium est, cum tempus urget considerationis. Unde ait [3]: *Dicitur voluntaria ignorantia ejus, quod quis potest scire et debet.*

Tertium argumentum. Si advertentia actualis requisita foret ad peccandum formaliter, sequeretur Atheos, Neriones, Caligulas, Heliogabalos, et alia hominum impiorum monstra, qui, abjecto omni divino et humano timore, abominanda scelera absque ullo conscientiæ scrupulo, adeoque absque ulla actuali ad malitiam reflexione, in istis formaliter et imputabiliter non peccasse; atqui hæc doctrina et dictu et auditu horribilis est: ergo, etc.

[1] 1, 2 quæst. 6, art. 5. — [2] Art. 7, ad 3. — [3] Art. 8.

Quartum argumentum petitur ex horrendis absurdis quæ ex opinione ad formale peccatum semper requirente actualem malitiæ advertentiam, sequuntur.

Sequitur enim 1° Non minus quam in opinione Philosophistarum, sodomias, bestialitates, maledicta in Deum, etc., non esse peccata formalia, quando committuntur ab eo qui actu non reflectit super malitia suæ actionis.

Sequitur 2° Hæreticum quemque vel infidelem in sua secta salvari posse; tantum enim abest ut existimet se veram Dei religionem contemnere, et conculcare, ut potius sacrificiis Deum colere, propria expiare delicta, divinamque justitiam placare credat.

Sequitur 3° A peccatis formalibus excusari eos omnes, qui ex inveterata assidue peccandi consuetudine, ad crimen sibi conscientiam fecerunt intrepidam; quia eorum synderesis pravis habitibus undique sic est circumsepta, ut hic et nunc in particulari operatione, vox et murmur ipsius non attendatur, nec consideretur, sed id solum ad quod appetitus corruptus inclinatur. Tales proinde non peccabunt formaliter per brutalitates suas, defectu reflexionis actualis ad illarum malitiam, imo eo erunt innocentiores et feliciores, quo per effrenatas passiones suas pravosque habitus et consuetudines erunt obstinatiores et excæcatiores, utpote per iterata sua flagitia, facti formaliter ac imputabiliter impeccabiles. Atqui nemo non videt quam illa et similia sint absurda et impia : ergo, etc....

Nota. Quidam ex eo repetunt quod ex opinione illa prodierit dogma damnatum de peccato philosophico; nam posito, inquiunt, quod nunquam peccetur, nisi adsit cognitio malitiæ, quod nunquam Deus offendatur, quando abest actualis advertentia offensæ Dei, necessario sequitur peccatum philosophicum; sed immerito, nam respondet S. Ligorius [1], quod ideo præfata opinio proscripta fuit ab Alexandro VIII, quia ille qui operatur contra rectam ra-

[1] Lib. II, num. 4, ad 3.

tionem, ut supponitur in peccato philosophico, etiamsi non reputet lædere Deum, reipsa jam lædit; offendendo enim naturam rationalem, offendit simul ipsius naturæ auctorem. Sed in tali peccato semper requiritur ut homo advertat suam actionem rectæ rationi adversari.

OBJICIES 1. Christus [1], dicit: *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent,* utique infidelitatis, quo in Christum non crediderunt. Ex quo sic arguitur: infidelis excusatur a peccato infidelitatis ex defectu auditus: ergo similiter peccator a quocumque peccato excusatur ex defectu advertentiæ.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod infidelitas illius qui non credit in Christum, quia de eo nihil unquam audivit, est omnino involuntaria, et sic nullo modo imputabilis; sed omissio advertentiæ illius qui potuit et debuit advertere, est omnino voluntaria: ergo quod fit ex illa contra legem, est peccatum formale.

OBJICIES 2. Div. Thomas [2] dicit: *Cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem,* sed non voluntarie facit peccatum: ergo, etc.

RESP. *Dist. textum:* Non voluntarie facit peccatum, voluntario formali et directo, *conc.;* non voluntarie voluntario virtuali et indirecto, *nego ant. et conseq.* Itaque, dum quis ignorat fornicationem esse peccatum, alia voluntate facit fornicationem, alia peccatum; voluntate formali et expressa facit fornicationem, voluntate tantum virtuali et indirecta seu in causa, facit peccatum. Hunc esse Div. Thomæ sensum evincunt innumera alia ejusdem testimonia, quibus asserit nullam ignorantiam excusare a culpa fornicationis.

Sic [3], dicit: *Quandoque error conscientiæ non habet vim excusandi, quando, scilicet, ipse error.... procedit ex ignorantia juris, quod quis scire tenetur et potest, sicut si crederet fornicationem simplicem esse peccatum veniale. Et tunc, quamvis crederet se peccare venialiter, non tamen pec-*

[1] Joan xv. — [2] Quodlib. 3, art. 8. — [3] Quodlib. 8, quæst. 6, art. 15.

caret venialiter, sed mortaliter [1]. *Hoc quod habet aliquis conscientia sui peccati*, inquit, *potest contingere dupliciter. Uno modo per culpam suam, vel quia per ignorantiam juris, quæ non excusat, reputat non esse peccatum quod est peccatum, puta si quis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale.* Unde, quando [2] dixit contigisse quidem, *quod fornicatio apud gentiles non reputabatur illicita, sicut latrocinia, nec peccata contra naturam*, addit *sed hoc contigisse propter corruptionem naturalis rationis:* ergo non inculpabiliter.

Inst. Div. Thomas [3] hæc habet: *Ille qui ex lapsu linguæ falsum jurat, siquidem advertat se jurare, et falsum esse quod jurat, non excusatur a peccato mortali; si autem hoc non advertat, non videtur habere intentionem jurandi; et ideo a crimine perjurii excusatur.* Ergo actus absque advertentia malitiæ non est peccatum formale.

Resp. *Nego conseq.* Div. namque Thomas non dicit talem esse immunem a peccato irreverentiæ erga sanctum Dei nomen, sed esse immunem a perjurio, quia qui non habet intentionem jurandi, non obligatur ex vi juramenti, quia revera non jurat. Præterea non negamus, imo asserimus, quod ad peccatum formale requiritur et mentis advertentia et libera voluntatis electio, quæ advertentia debet communiter esse actualis, sed quandoque sufficit implicita, ut ipse Div. Thomas asserit, in locis in quibus ex professo versatur controversia de peccatis ignorantiæ, ut supra vidimus.

Objicies 3. Nil volitum quin præcognitum; atqui nullum est peccatum quin volitum: ergo nullum est peccatum sine cognitione illius malitiæ.

Resp. *Dist. maj.* Nil volitum quin præcognitum, cognitione aut actuali, aut virtuali et interpretativa, *conc.*; cognitione semper actuali, *nego maj.*, et sic ad *conseq.*; licet

[1] 3 part., quæst. 80, art. 8, ad 5. — [2] Quæst. 17 *de Veritate.* — [3] 22, quæst. 89, art. 3, ad 2.

enim homo nonnisi volens peccet, non necesse est ut malum velit actualiter et formaliter, sed sufficit quod illud velit virtualiter et interpretative; ad quod non requiritur formalis et actualis consideratio malitiæ, sed sufficit virtualis et interpretativa, in hoc consistens, quod peccator possit et debeat considerare, sitque ipsi voluntarius defectus actualis considerationis; quia *scire et debere scire æquiparantur* [1].

Inst. 1. Nullum est peccatum nisi vel in se, vel in sua causa sit voluntarium; atqui sine cognitione actuali, vel sine dubio de malitia actus, peccatum nec in se, nec in sua causa, voluntarium esse potest : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Peccatum enim est voluntarium in causa, nempe in negligentia advertendi.

Prob. min. Illud peccatum non est voluntarium in causa, quod qui committit, non consentit objecto malo; sed qui nec cognitionem actualem, nec dubium habet de malitia actus, non consentit objecto malo : ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Non consentit objecto malo, formaliter et actu, *conc.;* interpretative, *nego min.;* ille enim objecto malo interpretative consentit, qui id facit quod facere non debet, quodque a se fieri non debere culpabiliter non advertit; nam, ut ait Div. Thom. [2] : *Si ignorantia censetur ex culpa, non excusat culpam subsequentem.*

Inst. 2. Ut inadvertentia sit voluntaria in causa, in eo debet esse prævisa, in specie vel in genere, distincte vel confuse; de ratione enim voluntarii est, quod procedat ab intrinseco, cognoscente singula in quibus est actio; atqui multæ inadvertentiæ non sunt sic prævisæ : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* In ea debet esse prævisa formaliter, vel implicite et interpretative, *conc.;* semper formaliter et actu, *nego maj.* Inadvertentia autem implicite et interpretative prævideri censetur, dum prævideri potest et debet, estque culpa delinquentis quod formaliter et actu non prævideatur.

[1] Leg. *Quod se mihi*, ff. *de Reb. cred.* — [2] Lect. 7, in cap. 1. Epist. *ad Rom.*

Inst. 3. Sicut peccatum minuitur quando minuitur advertentia, ita simpliciter tollitur quando tollitur advertentia simpliciter; atqui per inadvertentiam actualem advertentia simpliciter tollitur : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Neque enim totaliter tollitur advertentia, dum advertendi debitum manet et potentia; estque culpa hominis, quod actu non advertat, ut docet Div. Thomas [1] : *In his quæ per concupiscentiam aguntur*, inquit, *non totaliter tollitur cognitio, quia non tollitur potestas cognoscendi, sed solum consideratio actualis in particulari agibili, et tamen hoc ipsum est voluntarium, secundum quod voluntarium dicitur quod est in potestate voluntatis ; ut non agere et non velle, similiter autem et non considerare, potest enim voluntas passioni resistere.*

Inst. 4. Inadvertentia ad actum facit actum simpliciter involuntarium et inimputabilem : ergo inadvertentia ad malitiam actus facit malitiam simpliciter involuntariam et inimputabilem.

Resp. *Dist. ant.* Inadvertentia ad actum, quæ nec directe nec indirecte sit voluntaria, facit actum simpliciter involuntarium, *conc. ;* si directe vel indirecte sit voluntaria, *nego ant. ;* perspicuum enim est voluntarium esse et imputabile homicidium ab eo patratum, qui, absque debita cautione, inadvertenter occidit hominem, putans occidere feram.

Objicies 4. Ad peccandum formaliter, requiritur libertas a necessitate; atqui homo non est liber a necessitate, absque cognitione actuali legis et malitiæ : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Requiritur libertas a necessitate absoluta et antecedente, *conc. ;* a necessitate ex suppositione et consequente, *nego maj. ;* atqui homo non est liber a necessitate consequente absque cognitione vel actuali, vel saltem interpretativa, *conc. min. ;* absque cognitione semper actuali, *nego min. et conseq. ;* igitur defectus cognitio-

[1] 1 2, quæst. 6, art. 7, ad 3.

nis actualis proveniens ex culpa et voluntate propria non præjudicat libertati ad peccandum necessariæ, cum inducat necessitatem peccandi consequentem, non antecedentem, quæ sola officit libertati.

Inst. 1. Nemo peccat formaliter in eo quod vitare ipsi est impossibile, ut definivit Ecclesia contra Jansenium; atqui impossibile est homini vitare id quod non prænoscit: ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Nemo peccat in eo quod ipsi vitare est impossibile, impossibilitate absoluta antecedente et involuntaria, *conc.*; impossibilitate ex suppositione consequente et voluntaria, *nego maj.* Porro, ut possibilitas sit consequens, sufficit præcognitio in causa, atque adeo præcognitio virtualis malitiæ, nec requiritur actualis.

Inst. 2. Impossibile est homini, impossibilitate antecedente, considerare malitiam, cujus considerandæ nulla menti occurrit cogitatio, nec dubium, nec scrupulus. Ergo illi impossibile est impossibilitate antecedente, illam vitare.

Resp. *Conc. totum.* Et ex illo patet, quod si bene introspiciatur, inquiunt Salm.[1], quæstio et processus ejus, a principio ad actum peccaminosum, necessario præcedere debet, saltem in principio illius processus advertentia formalis et expressa malitiæ in objecto contentæ, tum quia omnis advertentia implicita reponitur in advertentia actuali ut in suo fundamento; tum quia advertentia implicita præsupponit potentiam expeditam et obligationem advertendi; atqui, seposita potentia expedita, nulla esse potest advertentia formalis nec obligatio advertendi; homo quidem tunc habet potentiam physicam et remotam ad advertendum, sed carendo potentia proxima, caret medio naturali et necessario ad vincendam ignorantiam et ad cognoscendam deformitatem suæ actionis. *Quis nesciat non esse in hominis potestate, quod sciat,* inquit S. Augustinus[2].

[1] Tract. 20, cap. 10, num. 27. — [2] Lib. *de Spiritu et anima.*

At ultra procedendo in quæstionem, dicendum est quod si saltem in principio fuerit advertentia formalis, sufficit ut in toto processu actionis sit plena libertas, ut advertentia virtualis malitiæ, vel dubium periculi ejus; et sufficit ad peccandum formaliter, ut probavimus; sed utrum hæc explicatio adæquate satisfaciat huic argumento, nempe: nihil est volitum, nisi eo modo et tempore quo est cognitum; atqui peccatum in casu non est cognitum nisi in sua causa: ergo, etc., videant sapientiores. Sed

Nota. Triplici ex capite advertentia fit actualis saltem implicite, et consequenter ignorantia culpabilis.

1° Ob *negligentiam* addiscendi quod potest et debet scire, ex S. Thoma [1] dicente: Ignorantia duobus modis potest esse voluntaria, *vel directe, sicut cum aliquis studiose vult nescire aliqua, ut liberius peccet; vel indirecte, sicut cum aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes, negligit addiscere id per quod a peccato retraheretur. Talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam voluntariam, et peccatum, dummodo sit eorum quæ quis scire tenetur et potest.*

2° Ob *passionem* quam quis vult deliberate sequi. Ratio, quia qui passionem sequitur, consequenter amplectitur omnes effectus communiter ex illa passione provenientes, quia, licet in particulari non agnoscantur [2] nec prævideantur, prævidentur tamen in confuso; sed qui vult causam, vult effectus in ipsa contentos et prævisos.

3° Ob *pravum habitum*. Pluries enim quis, licet forte habitualiter sciat, aliunde tamen ponit causam inadvertentiæ propter pravos habitus et passiones, ut docet S. Thomas [3] dicens: *Hoc igitur modo dicitur ignorantia, sive cum aliquis actu non considerat quod considerare potest et debet, quæ est ignorantia malæ electionis, sive ex passione, sive ex habitu proveniens.* Unde mali actus qui ex malo habitu proveniunt sunt voluntarii in sua causa, scilicet, cum in principio consuetudo voluntarie contrahitur.

[1] 1 2, quæst. 76, art. 3. — [2] S. Ligor., lib. 1, num. 4. — [3] 2 2, quæst. 6, art. 8.

4° Ob *defectum culpabilem considerationis*, quam homo in agendo negligit adhibere; cum enim advertit aliquid amplius considerandum, et tamen vult præcipitanter agere, merito imputantur errores quos committit[1].

Nota. In primo et tertio casu, potest homo causam ignorantiæ ex animo reprobare, ita ut ignorantia jam non sit causa moralis erroris, nec error sit amplius culpabilis. His notatis,

CONCLUSIO IV.

Peccata ex ignorantia culpabili commissa, sunt in se et non a se imputabilia, et non solum ratione causæ, seu dictæ ignorantiæ.

PROB. Quia præter illa, nihil est assignabile per quod inadvertentia sit culpabilis, quia ex una parte intellectus non se determinat ad cognoscendum et considerandum a seipso, sed determinatur ab objecto vel aliis potentiis, maxime voluntate. Ex altera parte, voluntas, cum sit potentia cæca, non determinat intellectum ad considerandum nisi ex aliqua cognitione quæ non sit voluntaria, et quæ præcedat primam cognitionem. Unde S. Augustinus: *Quis nesciat non esse in hominis potestate, quod sciat?* Ergo in his qui non ponunt voluntarie causam inadvertentiæ, sed ex oblivione naturali, distractione aut alia causa inculpabili, non advertunt ad malitiam, nihil aliud est assignabile per quod dicantur posse advertere, quam dicta cogitatio, quæ si non adsit, ipsis non imputatur: ergo, etc.

CONCLUSIO V.

Peccata ex ignorantia culpabili commissa, sunt in se, quamvis non a se, imputabilia, et non solum ratione causæ, seu dictæ ignorantiæ.

Ita post S. Thom., Cajet., Navar., Sanch., Salmant., et alii cum S. Ligorio, qui hanc sententiam vocat veriorem, contra Laym., Vasal., Bonav., et alios.

[1] S. Ligor., lib. II, num. 4.

Nota. Hic non agitur de casu quo quis actu sciens et volens omittit adimplere præceptum hic et nunc occurrens, v. gr. audiendi Sacrum; certum est enim pro tunc fieri peccatum omissionis; sed quæstio est de casu quo quis, dum urget præceptum, est impotens illud ad implendi propter causam quam ipse posuit voluntarie, sciens et prævidens effectus inde secuturos, et obligationem præcepti.

Hæc quæstio maxime pendet a præcedente quæstione nec minorem implicat difficultatem.

Prob. 1. Ex Div. Thoma, qui expresse docet[1], quod peccatum in ebrietate commissum novam et distinctam mereatur maledictionem: *Ebrius,* inquit, *meretur duplices maledictiones, propter duo peccata quæ committit, scilicet ebrietatem, et aliud peccatum quod ex ebrietate sequitur.* Ergo, etc.

Prob. 2. Illa opinio est rejicienda, quæ excusat peccata impiorum illorum, qui omni vitiorum generi laxant habenas, absque alia cogitatione quam brutalibus suis passionibus satisfaciendi; atqui talis est opinio quam impugnamus: ergo, etc. *Prob. min.* Juxta adversarios, qui se in eum statum conjecerunt, ut se male agere amplius non cogitent, dum abominanda quæque peccata perpetrant sine ulla alia cogitatione quam infamem captandi voluptatem, non peccant peccato in se et in causa imputabili, sed solum imputabili in causa, ita ut, si in eo statu mille adulteriis, sodomiis, etc., insordescerent, nec ampliorem nec novam malitiam moralem contraherent, quam si semel abominanda illa perpetrarent, nec majorem in altera vita pœnam mererentur. Imo non punirentur velut adulteri, sodomitæ, etc., sed tantum velut culpabiliter negligentes advertere ad malitiam illorum peccatorum, totamque pœnam quam in inferno paterentur, isti soli negligentiæ culpabili esse proportionatam; atqui illa opinio

[1] 1 2, quæst. 76, art. 4, ad 4.

excusat peccata illorum qui omnibus immunditiis sese dant, absque ulla cognitione, quam brutalibus suis passionibus serviendi ; ergo, etc. *Minor* est evidens ; *major* est adversariorum ; ait enim Terillus [1] : *Opus a tali ignorantia directum, ab una eademque negligentia vere esse et nominari peccatum, sed aliam peculiarem maculam, aut reatum pœnæ non afferre, quam quæ dictæ negligentiæ culpabili debetur... dum quis de præsenti non cogitat se peccare, licet ex culpa priori non retractata in hanc incogitantiam devenerit, peccat quidem, sed non nova malitia et imputabilitate, sed eadem malitia et imputabilitas culpæ prioris, applicatur huic operi.*

Prob. 3. Ex absurdis quæ ex doctrina quam impugnamus, sequuntur ; namque

Sequitur 1° Ethnicos et barbaros, qui per ignorantiam culpabilem, Deum, vel saltem Dei legem crimina prohibentem, ignorarunt, excusari a peccato in se imputabili, in omnibus quæ contra legem Dei perpetrarunt ; neque enim peccata illa per se et ratione sui fuerunt liberæ ac voluntariæ transgressiones divinæ legis, de qua nullam cogitationem habuerunt : *Ubi nulla legis illius datur transgressio, seu peccatum theologicum*, contra id quod dicit Apostolus [2]. *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.*

Sequitur 2° Deicidium a Judæis ex culpabili ignorantia, qua Dominum gloriæ non cognoverunt, non fuisse peccatum in se, et in causa imputabile, sed solum ratione ignorantiæ culpabiliter admissæ : dixit tamen Christus [3] : *Pater, dimitte illis,* certe Deicidium, *non enim sciunt quid faciunt.*

Sequitur 3° Eum qui ex culpabili ebrietate decem committit homicidia, gravius non peccare, nec gravius puniendum esse, quam si unum tantum homicidium committeret ; quo nihil falsum magis et absurdum.

Objicies 1. Div. Thomas [4] expresse dicit : *Necessitas*

[1] In *Reg. mor.*, quæst. 63, num. 60. — [2] Rom. II. — [3] Lucæ XXIII. — [4] In *Suppl.*, quæst. 98, art. 6, ad 3.

peccandi, cujus causa sumus, excusat a culpa, in quantum est necessitas quædam, quia omne peccatum oportet esse voluntarium. Sed quod non excuset, hoc est in quantum a voluntate præcedente processit. Et sic totum demeritum sequentis culpæ videtur ad primam culpam pertinere. Ergo si totum demeritum culpæ sequentis necessitatem culpabilem peccandi pertineat ad primam culpam, non est in se imputabilis ad culpam.

Resp. *Nego conseq.* Ex textu enim sequitur solum, quod peccata commissa ex necessitate per culpam nostram contracta, non sint voluntaria a se, sed solum in causa; eo tamen ipso quod sint voluntaria in causa, sunt vere peccata in seipsis, ob consensum indirectum. Unde Div. Thomas non dicit quod nullum sit demeritum sequentis culpæ, nisi demeritum culpæ prioris; sed quod *totum demeritum sequentis culpæ videtur ad primam culpam pertinere*, quantum ad primam radicem demeriti, quæ est ratio voluntarii et liberi, hocque constat ex ipso Divo Thoma, qui [1] dicit: *Præcedens inebriatio non fuit omissio sed omissionis causa. Unde dicendum est, quod omissio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter causam præcedentem, ex qua omissio sequens redditur involuntaria.* Unde peccatum fit inchoative et quoad affectum quando ponitur causa; et completive et quoad effectum, quando adest tempus adimplendi.

Inst. Div. Thomas [2] dixit, ex Augustino, *Quod Loth culpandus est, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit.* Ergo Loth non est culpandus de incestu, sed de ebrietate, quæ incestus fuit causa.

Resp. *Nego conseq.* Hoc unum vult Div. Thomas quod, cum incestus Loth fuerit tantum voluntarius in causa, nempe in ebrietate, sit magis vel minus culpandus pro majori vel minori voluntarietate causæ, seu ebrietatis; ait enim ibidem: *Si subsecuta est ebrietas sine peccato, tunc*

[1] 2 2, quæst. 79, art. 3, ad 3. — [2] 2 2, quæst. 150, art. 4.

peccatum sequens totaliter excusatur a culpa, sicut forte accidit de Loth. Si autem actus precedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur a peccato sequenti, quod, scilicet, redditur voluntarium voluntate actus præcedentis, in quantum, scilicet, aliquis dans operam rei illicitæ, incidit in sequens peccatum. Verum non negat quin peccatum ab ebrietate causatum, sit vere peccatum ab ebrietate distinctum, ut patet tum textu allato, tum ex eo quod in Resp. ad 1 dicat: *Philosophus non dicit quod mereatur graviorem maledictionem ebrius, sed quod mereatur duplicem maledictionem propter duplex peccatum.*

Objicies 2. Effectus ex causa libere posita secuti eo tempore quo in potestate hominis non est eos impedire, non sunt vere et proprie liberi: ergo non vere nec indirecte imputabiles.

Resp. *Nego ant.* Quia inimpedibilitas liberam voluntatis determinationem consequens, non tollit veram et propriam rationem libertatis; sed sola inimpedibilitas antecedens.

Inst. 1. Saltem effectus ex causa libere ante posita secuti tempore somni, ebrietatis et amentiæ, quo homo non est compos et ratione utens, non sunt vere et proprie liberi: ergo non sunt in se nec indirecte imputabiles.

Resp. *Dist. ant.* Non sunt vere et proprie liberi in se, *conc.;* in sua causa, *nego ant.* Porro libertas in causa sufficit ut sine nova libertate, effectus illi incipiant imputari ad culpam distinctam a malitia causæ, juxta illud Div. Thomæ [1]: *Omissionis peccatum præceptis affirmativis opponitur, quæ non ad semper obligant, sed ad tempus determinatum. Et ideo pro illo tempore peccatum omissionis incipit. Potest tamen contingere, quod aliquis tunc sit impotens ad faciendum quod debet; quod quidem si sit præter ejus culpam non omittit quod debet; si vero sit propter ejus culpam præcedentem, puta cum aliquis de sero se inebriavit, et non potest surgere ad matutinas, ut debet, dicunt quidam*

[1] 2 2, quæst. 79, art. 3, ad 3.

quod tunc incipit peccatum omissionis, quando aliquis se applicat ad actum illicitum et incompossibilem cum illo actu ad quem tenetur. Sed hoc non videtur verum; quia, dato quod excitaretur per violentiam et iret ad matutinas, non omitteret. Unde patet quod præcedens inebriatio non fuit omissio, sed omissionis causa. Unde dicendum est quod omissio incipit imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi; tamen propter causam præcedentem, ex qua sequens omissio redditur voluntaria, licet secuta sit tempore ebrietatis, et impotentiæ ad non omittendum; textus est prolixus, sed necessarius, cum nostram sententiam clarissime propugnet, et sententiam oppositam absolute rejiciat.

INST. 2. Si ita est, peccata quæ amens committit in amentia, ex ipsius culpa præcedente causata, ei in se et in causa imputarentur; atqui hoc est absurdum: ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Non magis enim absurdum est de peccatis secutis ex amentia culpabili, quam secutis ex culpabili ebrietate, de quibus Div. Thomas id aperte tradit loco citato.

INST. 3. Libere posuisse causam, v. gr. homicidii, non sufficit ad hoc ut homo dicatur libere homicidium committere, si eo tempore committat, quo non est sui compos: ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Non sufficit ut dicatur libere homicidium committere, libertate homicidii in se, *conc.*; libertate homicidii in causa libere posita, dummodo causa illa moraliter adhuc perseveret in effectu suo, vi ipsius secuto, *nego ant. et conseq.*

INST. 4. Homicidium illud non est liberum libertate homicidii in se: ergo non est imputabile in se, sed tantum in causa.

RESP. *Nego conseq.* Ut enim peccatum sit in se, sed non a se, imputabile, sufficit quod sit liberum in se, vel in causa, ut probatum est.

CAPUT III.

DE PECCATIS ORIS, CORDIS ET OPERIS.

Nota. Agemus 1° de mendacio; 2° de delectatione morosa, quæ est peccatum cordis.

QUÆSTIO I.

DE MENDACIO.

Quæres 1. *Quid sit Mendacium?*

Resp. Est *locutio aut quælibet significatio contra mentem cum intentione fallendi.*

Dicitur 1° *locutio aut quælibet significatio*, quia potest quis mentiri non tantum verbis, sed etiam nutu, scripto, gestu et facto; ut docet Div. August. [1].

Dicitur 2° *contra mentem*, quia ad mendacium requiritur ut homo id falsum esse putet quod dicit, licet forsan sit verum; unde non mentitur qui falsum dicit quod putat esse verum: *Ex animi enim sui sententia*, inquit Div. August. [2], *non ex ipsarum rerum veritate et falsitate mentiens aut non mentiens, judicandus est.*

Dicitur 3° *cum intentione fallendi;* alias nugari potius esset quam mentiri, ut si quis existens Nanceii diceret: *Cras ero Jerosolymis.*

Quæres 2. *Quotuplex sit Mendacium?*

Resp. Triplex: *officiosum* nempe, *jocosum* et *perniciosum.*

Mendacium *officiosum*, est locutio contra mentem utilitatis alienæ causa, sive propriæ.

Mendacium *jocosum*, est locutio contra mentem voluptatis propriæ vel alienæ causa.

[1] Lib. *de Mendacio*, cap. 30. — [2] Lib. *de Mendacio*, cap. 8.

Mendacium *perniciosum*, est locutio contra mentem, nocumentum proximo vel religioni inferens.

Quæres 3. *Utrum omne mendacium sit peccatum?*

Resp. Omne mendacium est intrinsece malum et peccatum.

Prob. Ex 1 Joan. II: *Omne mendacium ex veritate non est*; sed quod non est ex veritate, est intrinsece malum et peccatum; illud enim est intrinsece malum quod est contra dictamen naturale et contra naturam vocum quæ a natura institutæ sunt ad significandos internos animi conceptus; atqui quod non est ex veritate, est contra dictamen naturale et contra naturam vocum, etc.

Hinc, Div. August. [1] docet, eum qui baptizari non posset, nisi custodibus per mendacium deceptis, Baptismum potius sibi esse prætermittendum; ex quo concluditur nullam esse occasionem in qua liceat mentiri.

Objicies: Quod est intrinsece malum non potest mercedem mereri; atqui quandoque mendacium meruit mercedem: ergo, etc.

Prob. min. Mentitæ sunt obstetrices Ægyptiæ, et bona illis Deus retribuit. Mentita est Raab pro exploratoribus terræ, et ideo liberata est: ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Peccaverunt enim mulieres illæ, nec ideo remunerationem a Deo acceperunt, quia mentitæ sunt, sed quia in servos Dei misericordes fuerunt. Unde, *quando ista in Scripturis sanctis legimus, non ideo quia facta credimus, etiam facienda vel dicenda credere debemus*, inquit Div. August. [2], *ne violemus præcepta, dum passim sequimur exempla; constat quod non omnia, quæ a Sanctis vel justis Viris legimus facta, transferre debeamus in mores.*

Plura exempla objiciunt ex Scriptura sacra ut probetur mendacium non esse intrinsece malum, quæ solvimus in Dissert. *de Scriptura sacra.*

Quæres 4. *An mendacium sit peccatum mortale?*

[1] Lib. *contra Mendacium*, cap. 20, num. 40. — [2] Lib. *de Mendacio*, cap. 5.

Resp. Mendacium perniciosum est mortale ex genere suo; jocosum autem et officiosum sunt tantum venialia.

Prob. prima pars. Quidquid opponitur religioni, aut charitati et justitiæ erga proximum, est mortale ex genere suo; atqui tale est mendacium perniciosum: ergo est mortale ex genere suo; unde Sapientiæ I dicitur: *Os quod mentitur, occidit animam;* et Psal. V: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

Dixi *ex genere suo*, quia fieri potest ut aliquando sit veniale ratione parvitatis materiæ aut indeliberationis.

Resolvitur 1° Graviter peccant qui inter concionandum falsa miracula, falsas Indulgentias aut Reliquias annuntiant, qui alicujus Sancti vitam fingunt, etc., quia talia mendacia sunt perniciosa religioni, quam ludibrio exponunt; unde Div. August. [1] ait: *Non est mentiendum in doctrina pietatis, magnum enim scelus est et primum genus detestabilis mendacii.*

Resolvitur 2° Graviter peccant qui in Confessione vel falsum sibi crimen imponunt, vel verum sic imminuunt ut ex mortali faciant veniale, utpote qui Sacramento gravem inferunt injuriam; aliud esset si mentirentur circa circumstantiam solum levem, et aliunde habeatur materia sufficiens Confessionis, ut docet hic Paulus a Lugd.

Prob. secunda pars. Quia mendacia jocosum et officiosum, licet veritati repugnent, nonnisi tamen leviter adversantur charitati; atqui quod tantum leviter adversatur charitati est tantum veniale, modo non addatur juramentum, tunc enim esset mortale perjurium.

Quæres 5. *An æquivocatio et restrictio mentalis sint vera mendacia?*

Nota 1. *Æquivocatio* seu *amphibologia* est *sermo ambiguus habens duplicem sensum, quem proferens prævidet ab audiente accipiendum in alio sensu quam ipse intelligit.*

Porro *amphibologia* triplici modo esse potest: 1° quando

[1] Lib. *de Mendacio*, cap. 21, num. 42.

verbum habet duplicem sensum, v. gr. *volo*, quod significat velle et volare ; 2° quando sermo habet duplicem sensum principalem, v. gr. : *Hic liber est Petri*, quod significare potest, librum pertinere ad Petrum, vel Petrum esse libri auctorem; 3° quando verba duplicem habent sensum, quorum unus magis, alter minus est communis, vel unus est litteralis, alter spiritualis, ut verba illa quæ Christus dixit de Joanne Baptista : *Ipse est Elias ;* et Joannes Baptista : *Ego non sum Elias*. Quo sensu viri spirituales cibos delicatos dicunt sibi nocere, id est mortificationi ; doloribus afflicti, bene se habere, id est quoad robur spiritus, et alia ejusdem generis [1]. Quæ si justa intersit causa, certum est esse licita. Justa autem causa esse potest finis honestus ad servanda bona spiritui vel corpori utilia.

Nota 2. Restrictio mentalis est *externæ locutionis interna limitatio subaudita.*

Nota 3. Æquivocatio sicut et restrictio mentalis duplex est, nempe *pure mentalis* et *late mentalis*.

Restrictio *pure mentalis*, est ea cujus sensus a loquente intentus, neque ex modo loquendi, neque ex signis aut circumstantiis, neque ex usu communi potest deprehendi ab audiente, ut si quis interroganti utrum Missam celebraverit, respondeat : *Celebravi*, subintelligendo *heri*.

Restrictio *late mentalis*, est ea cujus sensus a loquente intellectus potest, vel ex modo loquendi, vel ex signis et circumstantiis, vel ex usu communi, ab audiente deprehendi, licet de facto non apprehendat. His positis,

Resp. *et dico*. 1° Æquivocatio et restrictio pure mentalis et insensibilis sunt vera mendacia.

Prob. Ex Div. August. [2] dicente : *Ille mentitur qui aliud habet in animo, et aliud verbis*, etc. Sed qui utitur æquivocationibus et restrictionibus pure mentalibus, *aliud habet in animo, et aliud verbis* exprimit ; ergo, etc.

Confirmatur, quia æquivocatio et restrictio pure menta-

[1] S. Ligor., lib. v, num. 151. — [2] Lib. *de Mendacio*, cap. 3.

his externum sermonem non corrigunt; nam æque me fallit qui dicit: *Non habeo pecuniam*, subintelligendo, *ad tibi dandam*, quam qui absolute dicit: *Non habeo pecuniam;* ergo efficere non possunt ut qui loquitur non sit mendax respectu illius qui audit.

Unde jure merito Innocentius XI damnavit hanc propositionem: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive sua sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.*

DICES. Viri sancti et ipsemet Christus usi sunt æquivocationibus et restrictionibus pure mentalibus; ergo, etc.

Prob. ant. Jacob [1] patri suo Isaac dixit: *Ego sum primogenitus tuus Esau,* subintelligendo, ratione juris acquisiti per emptionem primogenituræ Esau. Christus [2] ait: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum,* mente subintelligendo, vobiscum, vel manifeste, postea enim *et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.* Ergo tum Jacob, tum Christus usi sunt restrictione pure mentali.

RESP. *Nego conseq.* Neque enim sine injuria et impietate dici potest, quod Jacob et Christus restrictione pura mentali usi fuerint; et qui hoc audet asserere, *mystice, prophetice, parabolice dicta, vel tacita, cum vulgaribus confundit.*

Itaque verba Jacob non sunt verba mentaliter sermonem restringentis, sed sunt verba a Deo elevata ad sensum mysticum, nimirum ad significandum quod natu major, populus nempe Judaicus, serviret minori, populo scilicet gentium; hocque cognovit Rebecca, quæ ex motione Spiritus Sancti illud negotium peragebat; cognovit et Isaac, qui se fuisse a Jacob deceptum minime conquestus est;

[1] Gen. 27. — [2] Joan. 7.

imo, *Confestim revelato sibi intus in corde magno Sacramento*, inquit Div. August. [1], *devitat indignationem, confirmat benedictionem. Quis non hic maledictionem potius exspectaret irati, si hæc non superna inspiratione, sed terreno more gererentur?* Jacob ergo patrem mentali restrictione non decipit; imo *iste dolus*, pergit Div. August., *ne fraudulentus putaretur, et non magnæ rei mysterium quæreretur, superius prædixit Scriptura* [2]*: Et erat Esau sciens venari, agrestis; Jacob autem homo simplex, habitans domum.* Nihil ergo per duplicitatem fecit.

Christus [3] rogabatur ut manifeste ascenderet cum discipulis suis in Judæam, ut ibi se suaque opera manifestaret; dicebant enim : *Vade in Judæam ut et discipuli tui videant opera tua quæ facis; nemo quippe in occulto quid facit et quærit ipse in palam esse; si hæc facis, manifesta teipsum mundo.* Quibus respondit Jesus : *Vos ascendite ad diem festum istum; quia meum tempus nondum impletum est.* Porro, attentis omnibus illis circumstantiis externis, responsio Christi fuit congrua interrogationi; revera enim non ascendit *manifeste*, ut rogabatur, *sed quasi in occulto*, nec ibi tunc miracula fecit, quia ea sibi faciendi tempus nondum advenerat.

Præterea Jansenius Gandav., in sua *Concordia*, cap. 73, notat textum Græcum habere, *nondum ascendo*, quod verissimum fuit; nondum enim ascendit cum discipuli ascenderunt, sed altera die postquam discipuli ascenderant; ita ut sensus horum verborum : *Vos ascendite*, etc., sit hic : Vos ascendite ad primum diem festi Scenopegiæ, quod per septem dies durabat; ego autem non ascendo ad primum festum istum, cæteris celebriorem; quod verum fuit; non enim ascendit ad diem festum istum, sed ad alium diem ejusdem festivitatis.

Objicies 1. Nemo tenetur alteri totam mentem suam manifestare, sed partem aliquando potest celare; sic

[1] Lib. XVI, *de Civ. Dei*, cap. 37. — [2] Gen. 25. — [3] Joan. 7.

quando Abraham, de Sara interrogatus, respondit : *Soror mea est*, celavit esse uxorem ; sed qui utitur restrictione pure mentali, nihil aliud facit quam partem mentis suæ celare : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Licet aliquando partem mentis suæ celare, sine mendacio, *conc.;* sic fecit Abraham, de quo Div. August. [1] : *Aliquid veri tacuit, non falsi aliquid dixit;* cum mendacio, *nego maj.* Porro, per restrictionem pure mentalem verum profertur mendacium, ut supra probavimus.

Inst. 1. Ad mendacium requiritur voluntas loquendi falsum ; sed qui utitur restrictione pure mentali, non habet voluntatem loquendi falsum : ergo non mentitur.

Resp. *Dist. ant.* Ad mendacium requiritur voluntas interpretativa loquendi falsum, *conc.;* voluntas formalis, *nego maj.* Porro ille habet voluntatem interpretativam loquendi falsum, qui loquitur contra mentem : ergo, etc.

Prob. min. Ille loquitur contra mentem, qui per verba exteriora scienter aliud exprimit quam quod habet in mente, juxta illud Div. August. supra citati : *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, et aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat.* Sed qui utitur restrictione pure mentali, per verba exteriora scienter aliud exprimit quam quod habet in mente : ergo, etc.

Inst. 2. Qui utitur restrictione pure mentali, licet exterius proferat sermonem falsum, interius tamen determinat ad sensum verum : ergo nullam, nequidem interpretativam, habet voluntatem loquendi falsum.

Resp. *Dist. ant.* Quod est de falso supponente ; nam verba habent ex communi hominum instituto suam significationem, quam quilibet particularis pro arbitrio mutare non potest : ergo quælibet supponatur restrictio pure mentalis, exterior dictio non corrigitur. Quare Div. Thom. [2] ait : *Ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem se exhi-*

[1] Lib. *Contra Mendacium*, cap. 10. — [2] Quæst. 3, art. 1.

beat exterius per verba exteriora, qualis est; unde veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam quod habet apud se; quod ad mendacium pertinet.

Inst. 3. Potest quis secum proferre sermonem, partim vocalem, partim mentalem, absque mendacio, etiamsi sermo vocalis, seorsim a mentali, foret falsum: ergo similiter potest alteri loqui.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod qui sibi loquitur, non indiget verbis exterioribus ad illud intelligendum quod mente gerit, nisi beneficio vocum quæ, in ordine ad audientem, sunt signa necessaria conceptuum loquentis; sermo ergo mentalis non potest conjungi cum vocali, nisi per voces externas.

Inst. 4. Qui interroganti num carnes comederit, respondet: *Non comedi,* interius addendo: *hodie,* non dicit falsum antequam addiderit *hodie*: ergo oratio exterior, mentaliter restricta, non est falsa.

Prob. ant. Oratio respondentis: *Non comedi*, antequam addiderit: *hodie*, non est plena, sed est suspensa ab intentione aliquid ei addendi: ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Quia in locutione hominis ad alterum, ex sermone vocali et interna illa additione, non fit unum totale signum, sicut fit ex pluribus vocibus externis, quia interna additio, utpote audienti ignota, non potest respectu illius esse signum sensus ab addente intenti; ideoque locutio externa, non obstante interna illa additione, est omnino falsa, et rejicienda ut lingua dolosa: *Quid est,* enim, *lingua dolosa?* quærit Div. August. in Psal. LI, et respondet: *Ministra fallaciæ... aliud in corde gestantium, aliud ore promentium.*

Resp. *et dico* 2° Restrictio late mentalis non est mendacium, sed prudens veritatis occultatio; et ideo ea licet uti ex gravi et justa causa.

Prob. Ille non mentitur qui nec contra mentem loquitur, nec proximum decipit; sed qui restrictionem late

mentalem adhibet, contra mentem suam non loquitur, ut per se patet, nec proximum decipit, licet ex justa causa permittat ut ipse decipiatur : ergo, etc.

Prob. secunda pars min. Ille non decipit proximum qui ipsi mentem suam ita aperit, licet subobscure ut proximus ex modo loquendi, vel ex circumstantiis, vel ex materia, aut ex communi usu eam percipere possit ac debeat ; atqui taliter mentem suam aperit qui utitur restrictione late mentali : ergo, etc.; unde Augustinus [1] ait : *Aliud est mentiri, aliud verum occultare.... Non est licitum mendacium dicere ad hoc, quod aliquis a quocumque periculo liberet ; licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, ut Augustinus dicit* [2]. Item, S. Doctor : *Aliud est veritatem tacere, aliud falsitatem proponere* [3].

Nec dicas : Leges humanæ societatis exigunt ut homo homini aperte revelet quidquid cognoscit veri : ergo nunquam licet uti restrictione etiam late mentali.

Resp. *Nego ant.* Nam sufficit ad societatem humanam ut loquamur eo sensu quem facile ex circumstantiis proximus colligere potest et debet, ut de facto potest ex restrictione late mentali. *Imo,* inquit S. Ligorius [4], *si non licet uti restrictione non pure mentali, non existeret modus secretum licite celandi, si quis nequiret aperire sine damno vel incommodo ; quod utique esset æque perniciosum commercio humano, quam mendacium.*

Dixi licitum esse *ex gravi et justa causa* uti restrictione late mentali. Ratio est, quia leges societatis humanæ postulant ut quisque veritatem simpliciter juste interroganti aperiat, nisi alioquin eam celandi obsit gravis et rationabilis necessitas.

Resolves 1. Confessarius qui, interrogatus de crimine quod in Confessione audivit, respondet : *Nihil hac de re audivi,* non mentitur, quia interrogans ex materia subjecta

[1] *In Psal.* v. — [2] IIa S. Thom. 2 2, quæst. 110, art. 5, ad 4. — [3] 2 2, quæst. 69, art. 2. — [4] Lib. iv, num. 152.

facile potest cognoscere a Confessario subintelligi : *quod possim revelare.* Si vis occultare infamiam alicujus, licite dices : *Nescio*, id est, non scio tanquam *manifestabile.* Si unum panem habes tibi necessarium, petenti respondere potes te nullum habere, subintelligendo : *ad mutuandum.* Idem dic de pecunia petita, si tibi sit necessaria. *Item*, reus aut testis a judice non legitime interrogatus, respondere potest se nescire crimen, id est, ad deponendum.

Resolves 2. Famulus cujusdam viri nobilis qui a quodam dominum invisente interrogatus *an dominus adsit*, respondet : *Abest*, subintelligendo : *ut videatur*, non mentitur, quia ex usu communi et omnibus noto, hæc verba solum significant dominum videri non posse.

Resolves 3. Non licet uti restrictionibus late mentalibus, quoties rectus ordo exigit ut veritas clare manifestetur : exigit autem 1° quoties interrogans habet jus inquirendi et cognoscendi veritatem, nec abutitur sua potestate, ut sunt Superior, Judex, etc. ; 2° cum bonum Reipublicæ aut Ecclesiæ exigit ut veritas palam asseratur, ut si alioqui immineat periculum hæresis, machinationis contra Rempublicam vel Principem, etc.

Resolves 4. Indigens bonis absconditis ad sustentationem, potest judici respondere se nihil habere. *Item*, hæres qui sine inventorio occultavit bona, si non teneatur ex illis satisfacere creditoribus, judici potest respondere se nihil occultasse, subintelligendo : *de bonis necessariis ad satisfaciendum. Item,* qui non tenetur ad gabellam, potest respondere se nihil deferre, id est quod *declarare deleat ;* talis est enim sensus custodis sciscitantis.

Quæres 6. *An Simulatio sit aliquando licita ?*

Resp. *Dist.* Simulatio *formalis*, qua quis intendit aliud significare quam in animo habet, est semper illicita, quia est verum mendacium facti, ut docet Div. Thomas [1] ; non

[1] 2 2, quæst. 111, art. 1.

refert autem utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto.

Simulatio *materialis*, scilicet cum quis aliquid agit, non intendens deceptionem alterius, sed aliquem suum finem, est licita cum justa causa, quoties ex circumstantiis alii cognicere possunt ad alium finem id agi, prout dictum est de restrictione non pure mentali. Sic Josue [1] licite fugit, non intendens significare metum, sed volens hostes longe abducere a civitate *Haï*, ut reliqui milites irruerent in urbem; sic Christus [2] *finxit se longius ire*, non intendens ut discipuli hoc crederent, sed volens significare, se revera iturum longius, nisi ab eis invitaretur. Sic pariter simulamus in figuratis locutionibus, in quibus fingitur quædam res, non ut asseratur ita esse, sed eam proponimus ut figuram alterius quod asserere volumus [3].

QUÆSTIO II.

DE DELECTATIONE MOROSA.

Nota 1. Magnum esse discrimen inter gaudium, desiderium et delectationem morosam.

Gaudium respicit præteritum, et est *complacentia de malo opere patrato.*

Desiderium respicit futurum, et est *actus voluntatis sibi complacentis in malo, cum intentione illud exequendi si posset.*

Delectatio morosa respicit tempus præsens, et est *actus voluntatis sibi complacentis in malo,* (vel sibi displicentis in bono), *absque intentione mali exequendi.* Hinc consensus in desiderio est *efficax* respectu objecti, e contra in delectatione morosa est *inefficax.*

Porro dicitur *morosa*, non a mora temporis quo talis delectatio duravit in appetitu sensitivo, cum uno instanti

[1] *Josue*, cap. 8. — [2] Luc, cap. 24. — [3] S. Thom., ibid.

peccatum mortale perfici possit; sed a mora voluntatis quæ post turpis delectationis advertentiam, eam non repellit ut potest et debet; tunc enim voluntas est in mora obligationis quæ ipsi incumbit delectationis hujus reprimendæ.

Nota 2. Claritatis causa agemus: 1° de delectatione morosa per ordinem ad consensum; 2° de eadem per ordinem ad objectum.

ARTICULUS I.

DE DELECTATIONE MOROSA PER ORDINEM AD CONSENSUM.

Nota 1. Consensus in delectationem est triplex: scilicet *positivus*, *negativus* et *virtualis*.

Consensus *positivus*, qui etiam *expressus* et *formalis* dicitur, est ille quo voluntas per actum expressum approbat delectationem pravam ab intellectu propositam.

Consensus *negativus*, qui et *interpretativus* dicitur, est ille quo voluntas non quidem delectationem positive approbat, sed eam advertens non repellit, mereque negative circa illam se habet.

Consensus *virtualis* est ille quo voluntas delectationem approbat, non quidem in se, sed virtute causæ voluntariæ positæ, ex qua sequitur delectatio, v. gr. cum quis non vult turpes corporis motus, sed vult lectionem librorum amatoriorum ex quibus tales motus excitantur.

Nota 2. Certum est apud omnes consensum positivum et virtualem in delectationem de aliqua re mortaliter mala, v. gr. morte parentis, fornicatione, etc., esse peccata mortalia, si adsit plena rationis advertentia, quia nihil potest desiderari ad peccatum mortale, quod ibi non reperiatur.

Sola ergo difficultas est de consensu negativo, utrum sufficiat ad peccatum mortale, quæ ut solvatur, sit

CONCLUSIO.

Consensus negativus quo quis, post sufficientem advertentiam, non reprimit delectationem circa illicita, sed mere negative se habet non consentiendo, aut dissentiendo, sufficit ad peccatum mortale quando imminet periculum consensus positivi in delectationem; sed secluso tali periculo, non excedit peccatum veniale, nullum vero est, si justa causa excuset. Ita S. Ligor. [1].

Nota. De fide est a Concil. Trident. [2] definitum, concupiscentiam non posse nocere *non consentientibus, sed viriliter per gratiam repugnantibus.*

PROB. PRIMA PARS. Quia qui se exponit probabili periculo peccati mortalis, peccat mortaliter; sed qui non reprimit delectationem de re mortaliter mala, cum imminet periculum consensus positivi in illam, se exponit probabili periculo peccati mortalis: ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Consensus ad graviter peccandum non provenit ex sensualitate, sed ex voluntate, juxta illud quod dicit S. Thom. [3]: *Peccatum mortale non potest esse in sensualitate, sed solum in ratione;* unde sic: ad peccatum mortale requiritur cum plena advertentia consensus voluntatis; atqui ubi voluntas non positive consentit, non est positivus consensus: ergo quantacumque sit sensualitas, remoto periculo consensus positivi, non committitur mortale.

Confirmatur. Nemo tenetur ad impossibile; atqui si sub gravi teneremur omnes motus inordinatos repellere, teneremur ad impossibile; impossibile enim est, inquit Sanctus Ligorius [4], ex Cajetano, omnes hos motus collective sumptos positive coercere.

Tenetur tamen homo præcavere ne appetitus trahat

[1] Lib. II, num. 6. — [2] Sess. 5, can. 5. — [3] 1 2, quæst. 74, art. 4. — [4] Lib. II, num. 6.

post se voluntatem; sed quando periculum non est proximum, hæc obligatio est tantum levis, et ideo peccatur venialiter tantum.

Dices: Delectatio interpretative voluntaria de re mortaliter mala est mortalis; atqui delectatio quæ post sufficientem advertentiam non reprimitur, est interpretative voluntaria: ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* 1° Quia voluntas interpretativa non est, proprie loquendo, voluntas, sed potentia remota, sive physica volendi, ut dicemus infra, ubi de peccato mortali. 2° Quia delectatio non est per se mortaliter mala, sed ratione consensus aut periculi ejus, cum peccatum mortale non possit esse in sensualitate, sed solum in ratione ut dictum est.

Resolves. Quando delectatio venerea supervenit, tenemur sub gravi ei positive resistere, saltem per actum simplicis displicentiæ, quia hujusmodi commotiones, quando sunt vehementes, plerumque trahunt secum consensum voluntatis, si positive non repellantur, tum quoad sensum, commotiones compescendo, tum quoad mentem, ad alia animum divertendo, ad orationem et alia media a magistris vitæ spiritualis assignata recurrendo [1].

Dixi *nullum, si justa causa excuset;* quia præceptum: *Non concupisces,* licet sit negativum formaliter, est tamen affirmativum virtualiter; ut negativum, prohibet ne consentiamus concupiscentiis; ut affirmativum, præcipit ut eis resistamus; ut negativum obligat semper et pro semper; sed ut affirmativum non obligat semper et pro semper: ergo potest dari aliqua justa et rationabilis causa, propter quam, juxta prudentis hominis æstimationem, non sit peccatum voluntatem aliquando habere se *mere negative* ad ejusmodi delectationes.

Quæres: *Quæ et quot causæ censeantur rationabiles ut*

[1] S. Ligor., lib. II, num. 7 et

voluntas circa delectationes morosas se habeat tantum negative?

Resp. Sunt duæ. *Prima* est, cum probabilis est timor ne ex majori resistentia delectatio augeatur, aut ne ea depulsa gravior insurgat, quia tunc ille status voluntatis est remedium conveniens ad majorem concupiscentiæ violentiam reprimendam.

Secunda est, cum ad motus pravos depellendos dimittenda esset actio honesta vel utilis, v. gr. auditio Confessionum, studium casuum conscientiæ, utilis equitatio, necessitas medendi mulierem, etc. Ratio est, quia delectatio in illo casu nullo modo est voluntaria, etiam interpretative, cum ad consensum interpretativum non sufficiat quod voluntas possit, sed insuper requiritur ut teneatur. Porro, in præsenti casu homo non tenetur desistere ab honesta vel utili actione ut reprimat hujusmodi delectationem, modo tamen absit periculum consensus in delectationem, et adsit vera displicentia circa illam.

ARTICULUS II.

DE DILECTATIONE MOROSA PER ORDINEM AD OBJECTUM.

Nota. Duplex potest esse objectum delectationis morosæ.

Primum est cognitio vel artificium ipsius operis cogitanti, v. gr. si quis delectetur quod scientiam habeat, aut disputare possit de rebus venereis, magicis, etc.; vel si delectetur de modo ridiculo et mirabili quo aliquis cadens graviter læsus est, non vero de damno vulneris illati.

Secundum est ipsa res mala cogitata, quæ parit sensibilem voluptatem, prout accidit quando quis cogitationem habens de copula, delectatur de ipsa.

CONCLUSIO I.

Delectatio de sola cognitione rei mortaliter illicitæ, vel de solo modo insolito et mirabili quo peracta est, non est per se peccatum.

Prob. Delectatio specificatur a suo objecto immediato; atqui objectum delectationis de sola rei malæ cognitione et artificio, non est malum, ut per se patet: ergo, etc.

Dixi *non est peccatum per se*; quia fieri potest *per accidens* ut sit peccatum; *mortale* quidem quando periculum proximum est consensus in objectum illicitum: qui enim se exponit peccati mortalis periculo, peccat mortaliter; *veniale* vero quando talis cogitatio est vana et inutilis, puta, si habeatur ex sola curiositate vel otiositate.

CONCLUSIO II.

Delectatio morosa quæ terminatur ad rem ipsam cogitatione perceptam est peccatum mortale, si res cogitata sit mortaliter mala; veniale vero, si sit venialiter mala, etiamsi nulla sit voluntas operis perficiendi.

Prob. Ratione Div. Thom. [1]: Affectus erga rem mortaliter malam est peccatum mortale, et circa rem venialiter malam est peccatum veniale; sed qui delectatur de re illicita habet affectum erga illam, etiamsi proponat eam opere non complere: ergo, etc.; unde *Sapientiæ* I dicitur: *Perversæ cogitationes separant a Deo.* Idem dicendum de eo qui de re bona habet displicentiam, v. gr. qui tristatur de bono proximi, de virtutis exercitio, etc.

Quæres 1. *Unde dignosci possit quod delectatio habeat pro objecto solam cognitionem vel artificium rei malæ, non autem rem ipsam cognitam?*

[1] 1 2, quæst. 4, art. 1.

Resp. Facile dignosci potest ex duobus capitibus :

1° *Ex motivo.* Si motivum delectationis sit lectio vana, inutilis, etc., est signum quod habeat pro objecto rem ipsam malam ; si vero motivum talis delectationis sit studium, concio facienda, corpus sanandum, etc., signum est quod habeat pro objecto veritatem turpis objecti ut cognitam.

2° *Ex affectu erga objectum.* Si quis majori afficiatur delectatione circa artificium in rebus obscenis relucens quam in rebus piis, signum est ipsum delectari de re ipsa turpi, non de cognitione tantum aut de modo.

Observandum est autem quod interdum delectatio in principio quidem sit tantum de cognitione aut artificio, sed, paulatim crescens, tandem fiat de ipsa re ; unde ubi necessitas aut utilitas non adest, a similibus semper abstinendum est.

Quæres 2. *An delectatio morosa speciem sumat ab objecto et circumstantiis ?*

Resp. *affirm.* Cum Div. Antonin. [1], quia delectatio morosa specificatur ab objecto prout ab intellectu ut præsens repræsentato : ergo si repræsentetur ut malis ac diversæ rationis circumstantiis vestitum, harum circumstantiarum malitiam necessario induet.

Hinc, delectatio de copula cum conjugata habet rationem adulterii ; cum consanguinea habet rationem incestus : hæ proinde circumstantiæ debent explicari in Confessione.

Objicies : Prava circumstantia non est motivum delectationis : ergo delectatio prava non specificatur ab illa.

Resp. *Nego conseq.* Nam sufficit ut hæc circumstantia objecto sit annexa et ab intellectu repræsentata, ut patet in eo qui desiderat copulam cum moniali, qui certe reus est sacrilegii, licet illa circumstantia non sit motivum illius desiderii.

[1] 2 Part., tit. 5, cap. 1, § 6.

Inst. 1. Exemplum illius qui desiderat copulam cum moniali, non est ad rem præsentem: ergo, etc.

Prob. ant. Illud desiderium copulæ cum moniali est affectus efficax; e contra delectatio morosa de copula cum moniali est affectus inefficax; sed affectus inefficax specificatur a solo objecto formali, seu motivo: ergo delectatio morosa non contrahit malitiam sacrilegii.

Resp. *Nego min.* Tam enim affectus inefficax quam efficax specificatur ab objectis etiam materialibus, secundum omnem specificam rationem quæ illis cognoscitur inesse; specifica autem ratio, quæ cognoscitur esse in moniali, est femina voto castitatis obstricta: ergo circumstantia voti ingreditur objectum specificum delectationis morosæ. Alias omnes delectationes forent ejusdem speciei, non obstante quacumque diversitate objecti, sive utique delectatio foret de copula adulterina, incestuosa, sacrilega, etc., saltem quando delectationis motivum non forent objecta illa formaliter ut talia, sed qua carnalem delectationem excitantia præcise.

Inst. 2. Div. Thom.[1] ait: *Nullus delectatur in aliquo, nisi afficiatur ad illud.* Sed qui delectatur de copula cum moniali, non afficitur ad circumstantiam voti: ergo ejus delectatio morosa non specificatur ab illa circumstantia.

Resp. *Nego min.* Nam talis afficitur ad objectum ut est in se; atqui objectum ut est in se, est vestitum circumstantia voti: ergo afficitur ad circumstantiam voti. Unde Div. Thom.[2] dicit: *Delectatio alicujus operationis, et ipsa operatio, ad idem genus peccati reducuntur.* Operatio autem seu fornicatio cum moniali, est sacrilegium: ergo et delectatio illius operationis est sacrilegium.

Inst. 3. Qui delectatur de copula cum moniali non vult sacrilegium committere: ergo illud non committit, nullum enim est peccatum nisi sit volitum.

Resp. *Dist. ant.* Non vult sacrilegium committere di-

[1] Quæst. 15 *de Veritate*, art. 4, ad 8. — [2] Ibidem, art. 6.

recte et formaliter, *conc.*; indirecte, *nego ant.*, cum Div. Thom.[1] dicente : *Homo qui peccat, licet per se non velit deformitatem peccati, tamen deformitas peccati aliquo modo cadit sub voluntate peccantis*, indirecte scilicet, *dum scilicet magis eligit deformitatem peccati incurrere, quam ab actu cessare.* Hinc, qui morose delectatur de cogitata fornicatione cum femina, sciens eam esse Deo sacram, licet per se et directe non velit deformitatem sacrilegii, vult tamen indirecte, dum magis eligit delectari de cogitata fornicatione cum femina Deo sacra, cognita ut tali, quam ab ea delectatione cessare. Tunc siquidem voluntas amplectitur totum objectum pravum cum suis circumstantiis, nec ab illis præscindere potest. Ex his

Resolves. Quod, cum delectatio morosa sortiatur malitiam ejusdem speciei cum opere externo, de quo delectatio capitur, opus vero externum, v. gr. fornicatio, malitiam specie diversam sortiatur pro specifica diversitate, tam personæ quæ fornicatur quam personæ cum qua fornicatur, qualitas utriusque personæ, tam repræsentantis quam repræsentatæ, est aperienda in Confessione. Enimvero, cui ratione voti, v. gr. prohibitum est fornicari, prohibitum est de fornicatione delectari : et sic de aliis.

Quæres 3. *An liceat delectari de actu intrinsece malo, per accidens citra culpam commisso?* v. gr. propter ignorantiam invincibilem, defectum rationis, qualis reperitur in nocturna pollutione, etc.

Resp. *negat.* Quia esset delectatio de objecto graviter *ex se* illicito ; atqui nunquam licet delectari de objecto graviter ex se illicito : ergo, etc. Unde hæc propositio fuit damnata ab Innocentio XI : *Licitum est filio gaudere de parricidio a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

Dices : Talis est delectatio, quale est ejus objectum; atqui objectum illius delectationis non est malum : ergo, etc.

[1] Quæst. 3 *de Malo*, art. 2.

Resp. *Dist. min.* Non est malum per accidens, ratione scilicet involuntarietatis, *conc. min.;* per se, *nego min.* Porro, delectatio est voluntaria, et ideo non habet causam excusantem quam habet opus defectu libertatis perpetratum, ut patet ex superiori propositione damnata.

Quærres 4. *An delectatio morosa quam percipit viduus de copula præterita, sponsus de futura, conjugatus de præterita vel futura in absentia compartis, sit peccatum mortale?* Antequam respondeam,

Notu: Duplex est delectatio morosa, nempe spiritualis et venerea. *Spiritualis* est ea quæ in sola voluntate residet sine ulla motione sensibili in corpore. *Venerea* est ea quæ sentitur circa partes venereas ex commotione spirituum generationi inservientium. Unde

Resp. 1. *Delectatio venerea quæ percipitur a prædictis, est per se mortalis.*

Prob. 1. Quia delectatio venerea non est licita nisi in actuali usu matrimonii vel in ordine ad illum; atqui delectatio venerea percepta a viduis, sponsis et conjugatis, absente comparte, non potest ordinari ad usum matrimonii, cum vidui et sponsi sint constituti extra matrimonium; conjugati vero absente comparte non possint actum matrimonialem executioni demandare: ergo delectatio venerea non est ipsis licita.

Prob. 2. Delectatio venerea ex natura sua ordinatur ad seminis effusionem, estque, juxta medicos [1], quædam illius inchoatio; ergo cum seminis effusio voluntaria extra actum conjugalem sit mortalis, omnis actus ad illam tendens et ordinatus est per se mortalis; quippe dispositio sumit suam speciem moralem a forma ad quam disponit, motus a termino ad quem tendit, medium a fine, causa ab effectu.

Resp. 2. *Delectatio spiritualis quam percipit viduus de*

[1] Galenum, Hypocrat., cit.

copula præterita, sponsus de copula futura, est per se mortalis, si talis delectatio sistat in copula carnali.

PROB. Talis est delectatio qualis est actus ex quo percipitur; atqui actus ex quo percipitur delectatio, tam in viduo quam in sponso, nunc et in præsenti est malus mortaliter, quia, ut sic, sunt constituti extra matrimonium, in quo solo carnalis copula est licita: ergo, etc.

Dixi *si talis delectatio sistat in copula carnali;* quia si sistat in bono ut causato per copulam matrimonialem, v. gr. *quod per illam evaserit aut evadat periculum peccati carnis vel aliquid aliud,* non est peccatum mortale, modo absit periculum pollutionis, aut consensus in aliquem actum impudicum. Ratio est, quia copula matrimonialis in tali casu habet rationem medii vel causæ, quo tale bonum fuit acquisitum: ergo, sicut tale bonum est objectum honestæ delectationis, ita et copula prout est medium vel causa talis boni.

RESP. 3. *Delectatio spiritualis quam alter conjugum durante matrimonio percipit ex copula matrimoniali cogitata ut præsenti, in absentia alterius conjugis, non est per se peccatum mortale.*

PROB. Ex dictis, talis est delectatio qualis est actus ex quo percipitur; sed copula matrimonialis, ad cujus cogitationem sequitur delectatio, est isti conjugi pro tali tempore licita, quia ratione matrimonii quod perseverat, habet jus et dominium in corpus alterius, ratione cujus potest sine peccato mortali velle copulam matrimonialem, quod jus non tollitur per absentiam compartis, quamvis *per accidens* non possit exerceri.

Dixi *non est per se mortalis;* quia *per accidens* potest esse mortalis, si nimirum sit causa proxima pollutionis: at secluso tali periculo nec erit peccatum *veniale*, alias status matrimonialis nimis scrupulis esset obnoxius [1].

[1] S. Ligor., lib. II, num. 25.

Quæres 5. *An liceat delectari de re mortaliter mala, sub hac conditione :* Si non esset mala aut prohibita?

Resp. *cum dist.* Vel res prohibita est *per se* et *intrinsece* mala, ut adulterium, quod tantum prohibetur quia malum : vel non est *per se* et *intrinsece* mala, ut esus carnium in die jejunii, qui est tantum malus quia est prohibitus.

Si res sit *intrinsece* mala, delectatio de illa etiam sub conditione : *Si non esset mala et prohibita*, est mortalis in re gravi, et venialis in re levi... Si vero res sit tantum mala quia est prohibita, delectatio de illa sub prædicta conditione non est *per se* peccaminosa.

Ratio primæ partis est, quia nulla conditio apposita omnem ab objecto *intrinsece* malo, etiam ut repræsentatur, malitiam tollit : ergo delectatio de illo sub conditione : *Si non esset malum*, est delectatio de objecto absolute considerato ; atqui objectum malum absolute consideratum, est mortale in re gravi et veniale in re levi : ergo delectatio de illo est mortalis in re gravi, etc.

Resolves. Is peccat mortaliter qui dicit : Vellem fornicari, furari, occidere inimicum, si non esset malum furari, fornicari, etc. Plures tamen graves auctores notant quod, si conditio sit seria, nunquam voluntas efficaciter consentit in aliquod objectum malum impossibile, quia cum scias id non esse nec posse esse licitum, non vere optas, sed tantum tuam propensionem ostendis [1]. Aliter est de illo qui dicit : vellem ut non esset malum furari, ut possim furari, quia talis ordinem naturalem vult invertere.

Ratio secundæ partis est, quia conditio apposita tollit omnem ab objecto, ut repræsentatur, malitiam : ergo delectatio de illo sic repræsentato non est culpabilis ; quod etiam accidere potest in vetitis de jure naturali, casu quo objectum posset esse licitum dispensatione divina.

Resolves. Non peccat qui dicit : vellem comedere car-

[1] S. Ligor., lib. II, num. 13.

nes nisi esset Quadragesima; vel: nuberem si non essem voto obstrictus; vellem rem illam Titii arripere, si Deus permitteret; vel: si essem judex, homicidam hunc ad mortem condemnarem; quia homicidium auctoritate publica factum, non est contra jus naturale.

Monent tamen Doctores quod *cum vanæ sint et inutiles hujusmodi delectationes, non sine peccato veniali admittuntur.*

Quæres 6. *An liceat delectari de bono effectu ex peccato secuto?*

Resp. *Licet,* modo nullum sit periculum de ipso peccato materiali gaudendi. Ratio est, quia objectum talis gaudii non est malum: ergo nec delectatio de illo; sic enim Ecclesia gaudet de redemptione per Christum ex peccato Adami secuta: *O felix culpa, quia talem et tantum meruit habere Redemptorem.*

CAPUT IV.

DE PECCATO MORTALI ET VENIALI.

Agemus 1° de existentia et malitia peccati mortalis; 2° de requisitis ad peccatum mortale; 3° de pœnis peccati mortalis; 4° de existentia peccati venialis; 5° de habitudine peccati mortalis ad veniale; 6° de habitudine peccati venialis ad mortale; 7° de pœnis peccati venialis.

QUÆSTIO I.

DE EXISTENTIA ET MALITIA PECCATI MORTALIS.

CONCLUSIO I.

Dantur peccata mortalia; est de fide.

Prob. Peccatum mortale est illud quod animæ mortem affert, et hominem pœnæ æternæ reum constituit; atqui dantur hujusmodi peccata: ergo, etc.

Prob. min. 1° Enim constat dari peccatum quod mortem animæ affert[1]: *Qui talia agunt, digni sunt morte.* Et[2]: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini* morte scilicet animæ, per privationem gratiæ sanctificantis. 2° Datur peccatum quod hominem constituit reum pœnæ æternæ[3]: *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*; et[4]: *Ite, maledicti, in ignem æternum.*

CONCLUSIO II.

Malitia peccati mortalis, prout est offensa Dei, est quidem objective secundum quid infinita, sed est intrinsece et simpliciter finita.

Nota. Offensa *simpliciter* infinita est ea quæ nullam habet terminum extrinsecum, nec unquam potest per aliam ejusdem ordinis superari. Offensa *secundum quid* infinita, est ea quæ habet terminum extrinsecum, ultra quem extendi vel intendi potest.

Prob. prima pars. Actus qui tendit in objectum infinitum, est infinitus extrinsece, secundum quid et terminative, ut patet in visione beatifica; atqui peccatum mortale offendit Deum qui est dignitatis infinitæ: ergo continet malitiam secundum quid objective et extrinsece infinitam.

Prob. secunda pars. Illud non est infinitum intrinsece et simpliciter, quod habet terminum ultra quem potest extendi; atqui malitia peccati mortalis, ut est offensa Dei, habet terminum ultra quem potest extendi, quia nulla est offensa quæ non possit esse major et major intra eamdem speciem, tum ratione majoris et semper majoris deliberationis, tum ratione variarum circumstantiarum: ergo, etc.

Confirmatur. Si malitia peccati mortalis, ut est offensa Dei, esset infinita simpliciter, nullum peccatum esset gravius altero, cum infinito simpliciter nihil majus esse

[1] Rom., cap, 1. — [2] Cap. 8. — [3] Ad Gal. 5. — [4] Matth. 25, 41

possit; atqui falsum consequens; nam homicidium est gravius adulterio, adulterium simplici fornicatione, etc. Ergo, etc.

OBJICIES 1. Per peccatum mortale offenditur persona infinite digna: ergo ratio offensæ in peccato mortali habet malitiam simpliciter infinitam. RESP. *Neg. conseq.*

PROB. Malitia offensæ crescit juxta dignitatem personæ offensæ, unde injuria irrogata militi minor est illa quæ irrogatur equiti. Ergo si persona offensa sit infinite digna, malitia offensæ est simpliciter infinita.

RESP. *Dist. ant.* Crescit objective, terminative et extrinsece, *conc. ant.*; intrinsece et formaliter, *nego ant.* Alias et ipsum peccatum veniale esset infinitum simpliciter et intrinsece, cum etiam per illud offendatur persona infinita.

Porro, gravitas extrinseca et objectiva peccati non valet, nec valere potest, nisi ad constituendam gravitatem offensæ in superiori quodam ordine, ad quem pertinere non possunt omnes offensæ irrogatæ creaturis.

OBJICIES 2. Pœna proportionatur culpæ; atqui pœna peccati est infinita: ergo malitia peccati mortalis est infinita.

RESP. *Dist. min.* Est infinita intrinsece quoad durationem, *conc. min.*; intrinsece quoad intensionem, *nego min.* Porro, pœna peccati est infinita quoad durationem, quia *in inferno nulla est redemptio;* sed ex pœna quoad durationem infinita colligi non potest culpam esse intrinsece infinitam, eo fere modo quo ex gloria in duratione infinita non potest inferri meritum hominis justi esse intrinsece infinitum.

INST. Illud est intrinsece infinitum quod est Dei destructivum; atqui tale est peccatum mortale: ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Peccator enim sese per peccatum avertendo a Deo, non destruit Deum quantum in se est, sed solum illum contemnit, et quidem per malitiam finitam;

quo modo justus sese per actum charitatis convertendo ad Deum, ipsum glorificat per finitam bonitatem.

Objicies 3. Satisfactio ita crescit pro dignitate personæ satisfacientis, ut cum hæc infinita est, illa quoque infinita sit: ergo, a pari, gravitas offensæ ita crescit pro dignitate personæ læsæ, ut si hæc infinita sit, offensa sit quoque infinita.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod persona satisfaciens sit intrinsecum principium satisfactionis, et ideo satisfactio personæ infinitæ est infinita; at persona læsa est tantum terminus extrinsecus offensæ: ergo offensæ non communicat gravitatem nisi extrinsece et objective infinitam.

QUÆSTIO II.

DE REQUISITIS AD PECCATUM MORTALE.

Nota 1. *Peccatum*, ex Div. August.[1], *usque adeo est voluntarium, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Ad voluntarium autem requiritur *advertentia* ex parte rationis, et *consensus* liber ex parte voluntatis; verum ut cognoscamus quænam advertentia et quinam consensus requiratur ad peccatum mortale,

Nota 2. Advertentia dividitur,

1° *Ratione modi*, in *formalem, virtualem, interpretativam* et *indirectam.*

Advertentia *formalis*, seu *expressa*, est ea qua quis elicit actionem quam hic et nunc cognoscit esse malam.

Advertentia *virtualis*, est ea qua quis elicit actionem cum dubio, vel scrupulo, vel suspicione peccati, aut periculi ejus; item cum prævisione saltem confusa peccati in sua causa. Ista dicitur etiam *implicita.*

Advertentia *interpretativa*, est ea qua quis elicit actio-

[1] Lib. *de Vera Religione*, cap. 14.

nem, cujus malitiam potuit advertere, sed revera non advertit, cum habeat tantum potentiam physicam, et non proximam et expeditam, et ideo advertentia interpretativa non est, proprie loquendo, advertentia, sed facultas advertendi.

Advertentia *indirecta*, est ea qua quis elicit actionem, cujus malitiam potuit et debuit advertere, et reflectit saltem ad obligationem advertendi, sed per negligentiam actu non vult aut noluit considerare.

2° Dividitur *ratione perfectionis*, in *plenam* et *semiplenam*.

Advertentia *plena* seu *perfecta*, est ea qua homo, sibi præsens et sui compos, malitiam actus, quantum sufficit, advertit.

Advertentia *semiplena* seu *imperfecta*, est ea qua homo propter somnum aut aliud impedimentum, non est satis sibi præsens aut sui compos, ut malitiam actus, quantum sufficit, advertere possit.

Nota 3. Consensus eodem modo dividitur ac advertentia.

1° *Ratione modi*, in *formalem*, *virtualem*, et *interpretativum*, ut exposuimus, ubi de delectatione morosa.

2° *Ratione perfectionis*, in *plenum* et *semiplenum*.

Consensus *plenus*, est actus quo voluntas cum plena deliberatione objectum ab intellectu propositum amplectitur.

Consensus *semiplenus*, est actus quo voluntas aliquid absque perfecta deliberatione, seu approbatione, amplectitur, ut contingit in semidormiente, semiebrio, in infantibus perfectum usum rationis non habentibus, in iis qui ex inadvertentia præcipitatione, turbatione agunt. His positis,

CONCLUSIO I.

Ad peccatum mortale tria requiruntur: scilicet plena advertentia, perfectus consensus et materia gravis, in illis peccatis quæ admittunt parvitatem materiæ.

Prob. Peccatum mortale est quid in genere moris gravissimum, cum dissolvat amicitiam Dei cum homine, eumque æternis suppliciis obnoxium faciat; atqui ut actus sit in genere moris gravissimus, requiritur ut homo objectum graviter malum cum plena rationis advertentia, plenoque voluntatis consensu, amplectatur: ergo ad peccatum mortale, etc.

Quæres: *Quibus indiciis in dubio de consensu ad mortale sufficienti, cognosci possit eum fuisse datum, vel non?*

Resp. Ad hoc cognoscendum traduntur quatuor regulæ.

Prima regula. Si dubitans experientia noverit se reprimere pravos motus in appetitu suo insurgentes, dum sui compos est ac præsens, signum est non dedisse sufficientem consensum; at si noverit se ordinarie pravis motibus consentire, signum est se dedisse sufficientem consensum. Ratio est, quia in dubio, prudens præsumptio a consuetis et communiter contingentibus ac habituali dispositione sumitur.

Secunda regula. Si dubitans sit vir probus ac timoratæ conscientiæ, et ita habitualiter dispositus, ut mori mallet quam fœdari, præsumendum est non adfuisse consensum perfectum, propter rationem primæ regulæ, propter quam aliter judicandum est de homine peccatis assueto.

Tertia regula. Si dubitans, oblata commoda occasione peccatum exterius exequendi, non solum illam non fuerit amplexus, sed fortiter eam abjecerit, signum est non consensisse perfecte; quia potentia executrix voluntati omnino obtemperat.

Quarta regula. Si quis dubitet an vigilans aut dormiens,

sui compos an impos, quidquam fecerit, non leve indicium est fecisse sine plena advertentia et consensu perfecto. Ratio est, quia quæ cum plena advertentia fiunt, facillime cognoscuntur facta fuisse ratione plene advertente.

Cæterum, quamvis hæ regulæ fundatæ sint in conjecturis satis probabilibus, illi qui dubitat utrum perfecte consenserit, suadendum consensum illum dubium confiteri, cum id ordinarie prosit ad conscientiæ tranquillitatem.

Dixi *ordinarie*, nam scrupulosi omnino eximi debent ab onere confitendi peccata dubia mortalia. Idem sentiendum de viris timoratæ conscientiæ, quia moraliter certe credere possunt non consensisse, ut dicemus in tract. *de Pœnitentia*, ubi de integritate Confessionis.

CONCLUSIO II.

Ad peccatum mortale sufficit advertentia indirecta, consistens in eo quod quis possit et debeat advertere malitiam, vel ejus periculum, nec tamen advertat. Idem dic de consensu.

Prob. 1. Ad peccandum formaliter, non requiritur actualis advertentia malitiæ, sed suspicio, aut dubitatio actualis de illa, aut illius periculo, ut fuse probavimus, cap. 2, de peccatis ignorantiæ: ergo ad peccatum mortale sufficit advertentia indirecta.

Prob. 2. Illa advertentia sufficit ad peccatum mortale, quæ sufficit ad voluntarium indirectum, quod, juxta omnes, ad mortale sufficit; atqui advertentia indirecta sufficit ad voluntarium indirectum: ergo, etc.

Prob. min. Voluntarium indirectum est illud quod, licet non sit positive volitum, tamen secundum prudentem æstimationem censetur volitum, eo quod voluntas fecerit aut omiserit quod debebat et poterat hic et nunc facere, aut non omittere; atqui advertentia sufficit ut actus secun-

dum prudentem æstimationem censeatur volitus, cum *scire et debere scire sint paria* ergo advertentia indirecta sufficit ad voluntarium indirectum.

DICES: In conclusione superiori dictum est, ad peccatum mortale requiri plenam rationis advertentiam; atqui rationis advertentia non est plena, nisi sit actualis: ergo ad peccatum mortale requiritur advertentia actualis.

RESP. *Nego min.* Cum enim scire et debere scire sint æqualia, defectus voluntarius plenæ advertentiæ actualis æquivalet plenæ advertentiæ actuali. Quare Div. Thom. [1] dicit: *Eo modo requiritur ad voluntarium actus cognitionis, sicut et actus voluntatis, ut, scilicet, sit in potestate alicujus considerare, et velle, et agere; et tunc, sicut non velle et non agere, cum tempus fuerit, est voluntarium, ita etium non considerare.*

QUÆSTIO III.

DE POENIS PECCATI MORTALIS.

Nota. Cum peccatum mortale sit aversio a Deo et conversio ad creaturam, duplici pœna præcipua mulctatur, scilicet pœna damni, quæ correspondet aversioni a Deo, et quæ consistit in privatione beatitudinis; et pœna sensus, quæ consistit in dolore quem efficit ignis infernalis, juxta illud Matth. XXV: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Sed hic quæritur utrum pœnæ illæ sint æternæ. Negavit Origenes, ut refert Div. August. [2], cujus hæresim sectantur Sociniani, contra quos

CONCLUSIO.

Damnatorum pœnæ sunt æternæ; est de fide.

PROB. *Ex Script.*, Isaiæ LXVI: *Vermis eorum non moritur, et ignis eorum non extinguetur.* Et Matth. XXV: *Discedite a*

[1] 1 2, quæst. 6, art. 2. — [2] Lib. *de Hæresibus*, hæresi 43.

me, maledicti, in ignem æternum... Et : *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Atqui in his textibus, *vita æterna* sumitur pro duratione finem nunquam habitura : ergo et *supplicium æternum,* ut constat ex perpetua traditione, et ex istis aliis Scripturæ textibus : *Paleas comburet igni inextinguibili*[1]; et : *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*[2].

PROB. *Ratione.* Quia peccato in æternum perseverante, remanet in æternum pœna ipsi debita; atqui in inferno peccatum semper durat, tum quia Deus illud condonare nec vult, nec tenetur; tum quia damnatus defectu gratiæ, quam voluntarie amisit, a peccato nunquam resipiscere vult, nec potest; ergo, etc. Aliunde confer quæ diximus in tract. *de Deo creatore*[3].

OBJICIES 1. Deus punit citra condignum; atqui non puniret citra condignum, bene vero ultra condignum, si pœnam infligeret æternam pro peccato quod sæpe in instanti commissum est: ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Punit citra condignum, hoc sensu quod pœna damnatorum sit minus acerba quam merentur, *conc. maj.;* hoc sensu quod damnatos non puniat in æternum, *nego maj.* Sic intelligi debet hic textus[4] : *Superexaltat autem misericordia judicium.*

INST. 1. Psal. CII dicitur : *Non in perpetuum irascetur:* ergo Deus non puniet damnatos in æternum.

RESP. *Nego conseq.* Nam hic textus spectat hanc vitam, in qua Deus misericordiam suam præcipue exercet, et peccatoribus pœnitentibus condonat peccata; non vero spectat alteram vitam, in qua justitiam suam Deus maxime exercet sanctos remunerando, et impios puniendo in æternum.

INST. 2. Isaiæ XXIV dicitur : *Congregabuntur in lacum, et claudentur ibi in carcere, et post multos dies visitabuntur.* Ergo damnatorum supplicia aliquando sunt desitura.

[1] Matth. 22. [2] Apocal. 20, 10. — [3] Diss. III, cap. 7. — [4] Jac. II, 13.

Resp. *Nego conseq.* Nam τό *visitare* in textu sumitur in malam partem pro *punire*, ut sæpe sumitur in Scripturis, v. gr. Isaiæ XXVI : *Visitasti et contrivisti eos ;* unde sensus est : *in æternum punientur.*

Inst. 3. Marci XII, de Scribis dicitur : *Hi accipient prolixius judicium.* Ergo aliqui damnati longius punientur quam cæteri.

Resp. *Dist. text.* Prolixius in acerbitate, *conc.;* in duratione, *nego ant.* Pœnæ enim inferni sunt æquales in duratione, licet sint inæquales in acerbitate, unde *nego conseq.*

Objicies 2. Ecclesia, in Missa *pro Defunctis*, orat pro salute reproborum : *Libera, Domine, animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, et de profundo lacu*, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam vel illa Ecclesiæ oratio retrahitur ad ipsum agonis momentum, adeo ut Deus, futura oratione tactus, rogatur ne sinat animam morientis cadere *in ofs avum ;* vel illa oratio effunditur ad petendum a Deo ut animæ fidelium in gratia defunctorum a pœnis Purgatorii liberentur ; non vero effunditur pro damnatis, cum in eadem Missa canat Ecclesia : *In inferno nulla est redemptio.*

Quæres 1. *Utrum quis possit puniri pro peccato alterius ?*

Resp. Non potest puniri pœna vindicativa et proprie dicta, nisi etiam ipse reus sit culpæ cui pœna illa juste possit infligi.

Prob. Ex Script., Ezechiel. XVIII : *Filius non portabit iniquitatem patris ;* et ad Gal. VI : *Unusquisque onus suum portabit.* Unde Div. Augustinus ait [1] : *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna et supplicium nominatur.*

Objicies : Illud Exod. XX : *Ego sum Dominus... visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem.* Ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Textus enim loquitur de filiis qui

[1] Lib. I *Retract.*, cap. 9.

peccata parentum suorum imitantur, ob quæ tamen Deus eos certis pœnis temporalibus non punivisset, nisi parentes eorum prius peccassent.

Inst. Quandoque filii et subditi ob peccata parentum et Principum rapiuntur immatura morte, ut patet 1° ex morte parvuli, qui Davidi ex adulterio natus erat [1]; 2° ex interitu multorum millium de plebe propter peccatum ejusdem Davidis [2]: ergo aliquis potest puniri propter peccatum alterius.

Resp. *Dist. conseq.* Potest puniri pœna medicinali in temporalibus, *conc.;* pœna pure vindicativa, *nego conseq.* Itaque ejusmodi mors inflicta filiis et subditis propter peccata parentum et Principum est pœna proprie dicta et pure vindicativa respectu parentum et Principum, qui in illis tanquam in personis sibi pertinentibus puniuntur; sed est tantum pœna medicinalis respectu parvulorum, quos Deus per immaturam mortem tentationibus et aliis vitæ periculis intendit subtrahere; et respectu subditorum adultorum est occasio ad augenda merita.

Quæres 2. *Utrum unum peccatum possit esse, et quandoque sit pœna præcedentis peccati?*

Resp. *affirm.* Ut constat ex Apost. [3], qui de gentibus, quæ, relicto vero Deo, idola colebant, dicit: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam*, etc., quæ exponens Augustinus [4], ait: *Hic utique vides causam propter quam traditi sunt sine ulla ambiguitate monstratam;... proinde præcedentis est pœna peccati, et tamen etiam ipsa peccatum.* Sed

Quæres 3. *Quomodo unum peccatum possit esse pœna alterius?*

Resp. Unum peccatum non est pœna alterius peccati, hoc sensu quod Deus, propter præcedens peccatum, in aliud impellat vel incitet; alias Deus esset auctor peccati formalis, spectati nimirum secundum malitiam et deordi-

[1] II Reg., 12. — [2] II Reg., 24. — [3] Rom. 1. — [4] Lib. 1 *cont. Julian.*, cap. 3.

nationem contra legem; sed hoc sensu unum peccatum potest esse pœna alterius, quod Deus peccatorem, a quo desertus est, deserat per subtractionem specialium gratiæ auxiliorum, quibus antea adjuvabat hominem, et sic deserendo permittat in alia et graviora peccata incidere, ex quibus consequuntur infamia, labor, anxietas animi, privatio gratiæ sanctificantis, vermis conscientiæ, et alia id genus.

QUÆSTIO IV.

DE EXISTENTIA PECCATI VENIALIS.

Nota 1. Peccatum veniale est ex quadruplici capite: 1° ex levitate materiæ, ut furtum unius assis; 2° ex imperfecta deliberatione et advertentia ex parte intellectus; 3° ex imperfecto consensu ex parte voluntatis; 4° ex natura sua, ut verbum otiosum. Dicitur veniale *ex natura sua*, quia, quantumcumque crescat circa propriam materiam et objectum, habere non potest ex illo unde fiat mortale; de veniali in hac tertia acceptione agitur, et de eo quæritur utrum detur?

Nota 2. Circa peccatum veniale ex natura sua erraverunt

1° Wiclefus et Calvinus, qui docuerunt omnia peccata esse mortalia ex natura sua, illa vero electis non imputari ad mortem, sed solis reprobis.

2° Lutherus, qui docuit omnia peccata esse mortalia ex natura sua, illa vero non imputari fidelibus ad mortem, sed solis infidelibus; putabat enim homines sola fide justificari posse.

3° Joan. Gerson [1], Roffensis [2] et Almainus [3], qui docuerunt omnia peccata ex natura sua esse mortalia, quædam tamen esse venialia ex pura misericordia Dei, no-

[1] Lib. *de Vita spirit.*, lect. 1. — [2] Art. 32, *contra Lutherum*. — [3] Tract. 3 *De. al.*, cap. 20.

lentis quælibet peccata privatione gratiæ et pœna æterna puniri.

II hæc, quod peccata sint venialia, id repetunt Hæretici ex conditione peccantis; Gerson vero, Roffensis et Almainus ex misericordia Dei : contra quos

CONCLUSIO.

Dantur peccata venialia ex natura sua.

Prob. Peccatum veniale *ex natura sua* est illud quod *ea se* nec mortem animæ infert, nec pœnam æternam meretur; atqui dantur multa peccata quæ *ex se* et independenter a conditione peccantis, vel a misericordia Dei, nec mortem animæ inferunt, nec æternam pœnam merentur: ergo, etc. Unde Pius V et Gregorius XIII hanc Baii propositionnem damnarunt : *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Confirmatur, quia Adam, David, S. Petrus erant fideles et prædestinati; quis tamen audeat asserere ipsos peccasse tantum venialiter?

Objiciunt 1. Hæretici Scripturam docere omnia indiscriminatim peccata esse natura sua mortalia : ergo, etc.

Prob. ant. Variis Scripturæ locis.

1° Rom. VI : *Stipendia peccati mors.*

2° Ezechiel. XVIII : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.*

3° Matth. V : *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*, id est *nullus*, inquit Div. Thomas, *quia non erit ibi.*

4° Jacob. II : *Quicumque totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

5° Deut. XXVII : *Maledictus qui non permanet in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis hujus.*

Resp. *ad primum.* Apostolum loqui, non de quibuslibet

catis, sed de gravioribus, de quibus post conversionem suam erubescebant recens ad fidem conversi : *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est*, addit Apost. ibidem.

Resp. *ad secundum*, Ezechielem loqui de rapina, usura, homicidio, idololatria, etc., quæ ex natura sua sunt gravissima, unde ibidem ea appellat *detestanda.*

Resp. *ad tertium*, Christum vocare præcepta illa minima, non re, sed æstimatione Pharisæorum, qui, licet peccata externa homicidii, adulterii, etc., gravia reputarent, tanquam levia despiciebant peccata interna concupiscentiæ uxoris vel rei alienæ, odii inimicorum, etc., quæ tamen in se levia non sunt.

Resp. *ad quartum*, Div. Jacobum loqui de peccatis gravibus, ait enim : *Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor Legis.*

Resp. *ad quintum*, Sermonem esse de iis qui violaverint mandata quæ in illo capite traduntur, ut significat pronomen *hujus ;* illa autem gravissima sunt mandata de vitandis idololatria, incestu, homicidio, etc.

Objicies 2. SS. Patres docent nullum peccatum esse spernendum ut parvum : ergo nullum est parvum.

Resp. *Dist. conseq.* Nullum est parvum ratione peccati mortalis ad quod disponit juxta, illud[1] : *Qui spernit modica, paulatim decidet, conc. conseq.;* ratione sui, *nego conseq.*

Objicies 3. Quodlibet peccatum est offensa personæ infinitæ : ergo meretur pœnam in duratione infinitam.

Resp. *Dist. ant.* Est offensa gravis vel levis personæ infinitæ, *conc. ant.;* est semper gravis offensa, *nego ant.*

Inst. 1. Quidquid est contra legem Dei, est offensa gravis ; atqui quodlibet peccatum est contra legem Dei : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Quidquid est contra legem Dei graviter præcipientem vel prohibentem, est gravis offensa, *conc.*

[1] Eccl. 19, vers. 1.

maj.; leviter prohibentem, *nego maj.*; atqui quodlibet peccatum est contra legem Dei graviter vel leviter præcipientem aut prohibentem. *conc. min.*; semper graviter præcipientem aut prohibentem, *nego min. et conseq.* Porro transgressio legis leviter præcipientis, est levis.

INST. 2. Omne peccatum est transgressio hujus primi mandati : *Diliges Dominum ex toto corde tuo*: ergo est grave.

RESP. *Nego ant.* universaliter sumptum. Quia per illud mandatum obligamur tantum ad diligendum Deum super omnia, hoc sensu quod parati simus potius carere omni bono et pati omne malum, quam Deum offendere graviter.

INST. 3. Nullum peccatum potest esse licitum propter ullum bonum etiam infinitum : ergo est malitiæ infinitæ et meretur pœnam æternam.

RESP. *Nego cons.* Nullum quidem peccatum potest unquam fieri licitum, non quod habeat malitiam infinitam, sed quia omne peccatum, qua tale, est intrinsece et essentialiter illicitum ; et ita tamen repugnat peccatum esse licitum, quam repugnat actum aliquem simul esse et non esse peccatum.

INST. 4. Quodlibet peccatum est majus malum quam sit pœna æterna : ergo quodlibet per se meretur pœnam æternam.

RESP. *Nego conseq.* Equidem peccatum est majus malum quam pœna æterna, quæ cum sit malum inferioris ordinis, nunquam potest pertingere malum culpæ, quæ est superioris ordinis ; sed non inde sequitur quod levissimæ culpæ debeatur pœna maxima, cum secundum justitiæ vindicativæ exigentiam pœna debeat correspondere culpæ, ideo culpæ levi non nisi levis pœna debetur.

INST. 5. Bonum opus supernaturale, vel levissimum, meretur vitam æternam : ergo et peccatum levissimum meretur mortem æternam.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod omne opus bonum ex charitate fiat, cui sane debetur vita æterna; at leve peccatum non procedit ex odio Dei, cum justus illud committens in Dei amicitia habitualiter perseveret.

Quæres. *Unde repetenda sit prima et præcipua peccati venialis a mortali differentia?*

Resp. 1. Non est repetenda ex eo quod mortale sit contra præceptum, veniale vero contra consilium, ut voluit Scotus [1]. Ratio est, quia actus qui sunt tantum contra consilium, non sunt peccata; unde Apost. [2] post propositum de virginitate consilium, ait: *Si nupserit virgo, non peccat.*

Resp. 2. Non est repetenda ex eo quod mortale sit *contra* legem, veniale vero *præter* legem. Ratio est, quia furtum unius assis, mendacium jocosum, etc., sunt *ex se* venialia, et tamen sunt contra legem; cum ergo Div. Thomas [3], dicit peccatum veniale esse *præter* legem, per τὸ *legem* intelligit charitatem, quæ non destruitur per peccatum veniale: ita se explicat Div. Thomas [4], dicens: *Non enim corrumpit charitatem, quæ est plenitudo legis.*

Resp. *itaque* 3. Præcipua differentia peccati venialis a mortali ex eo repeti debet, quod homo per peccatum mortale ita se avertat a Deo, ut saltem virtualiter et interpretative finem suum ultimum constituat in creatura quam Deo præfert, unde Apostolus [5] de gulosis dicit: *Quorum Deus venter est;* e contra per peccatum veniale homo nequidem virtualiter et interpretative finem suum ultimum ponat in creatura quam Deo postponit, cum eam deserere habitualiter sit dispositus, si illius amore Deum graviter offendi et penitus amitti intelligeret; unde plus semper appretiative Deum diligit, quam creaturam.

Prob. Ea est prima et præcipua peccati venialis a mortali differentia, ex quo oriuntur omnes aliæ differentiæ;

[1] In dist. 21, quæst. 1. — [2] I Cor. 7, 28. — [3] 1 2, quæst. 88, art. 1. — [4] Quæst. 7 *de Malo*, art. 1, ad. 1. — [5] Ad Philipp. 3, 19.

atqui ex differentia a nobis assignata oriuntur omnes aliæ differentiæ; nam, ex eo quod mortale constituat finem ultimum in creatura, non vero veniale, sequitur :

1° Quod mortale sit gravis offensa Dei, et ejus contemptus saltem interpretativus ; veniale vero sit levis offensa absque contemptu Dei interpretativo.

2° Quod mortale extinguat charitatem, non vero veniale, quod tantum minuit ejus fervorem.

3° Quod mortale tollat ordinem necessarium ad finem ultimum; veniale utile tantum et congruum.

4° Quod mortale mereatur privationem gratiæ sanctificantis et amicitiæ Dei; non vero veniale.

5° Quod mortale inducat reatum pœnæ æternæ, veniale vero reatum pœnæ temporalis tantum. Ex his

Inferes. Peccatum mortale distingui essentialiter *in genere moris* a veniali, quia in peccato mortali reperitur contemptus Dei sufficiens ad dissolvendam ejus amicitiam, et importat habitudinem improportionis ad finem ; non autem in veniali cujus objectum formale est habitudo improportionis ad media.

Dixi *in genere moris*, seu secundum malitiam, quia mortale et veniale, quæ idem habent objectum materiale, et quæ distinguuntur tantum secundum majorem vel minorem quantitatem materiæ, non distinguuntur physice et *in genere entis*, quia major vel minor quantitas non mutat speciem physicam.

QUÆSTIO V.

DE HABITUDINE PECCATI MORTALIS AD VENIALE.

Quæres 1. *An peccatum mortale ex genere suo possit fieri veniale ?* Ante responsionem

Nota 1. Peccatum tum mortale, tum veniale, aliud est tale *ex genere suo*, aliud est tale *per accidens*.

Peccatum *mortale ex genere suo*, est illud cujus malitia, ex objecto sumpta, est *per se* gravis lædítque charitatem Dei, vel proximi quoad personam, res aut jura, vel nos ipsos corrumpit graviter; *veniale* vero *ex genere suo*, est illud cujus malitia, ex objecto sumpta, est *per se* levis; sic furtum ex genere suo est mortale; item peccata contra virtutes theologicas, quia nocent bono alicui interno Dei, v. gr. veracitati, misericordiæ, charitati; item fere omnia quæ fiunt contra Decalogum, quia quæ committuntur contra tria prima præcepta nocent Deitati, scientiæ, omnipotentiæ divinæ, ejusque honori interno vel externo; quæ vero contra reliqua præcepta fiunt, nocent personæ, bono aut juri proximi.

Contra, mendacium jocosum est veniale, sicut ut plurimum sunt ea quæ contra bonum proprium committuntur, v. gr. inutilis et vana concupiscentia, vana oblectatio, prodigalitas, cultus et vestitus, excessus in cibo, potu, somno, risu, et cætera id genus.

Peccatum mortale *per accidens*, est illud cujus malitia, licet ex objecto levis, tamen fit gravis ratione alicujus circumstantiæ sibi *per accidens* conjunctæ, v. gr. mendacium jocosum fieri potest mortale ob grave scandalum ex ipso ortum.

Peccatum veniale *per accidens*, est illud cujus malitia, licet ex objecto gravis esse possit, de facto tamen est levis, vel propter levitatem materiæ, vel propter defectum plenæ advertentiæ et pleni consensus.

Nota 2. Peccatum mortale aliud est tale *ex toto genere suo*; aliud *ex genere suo*, *sed non toto*.

Peccatum mortale *ex toto genere suo*, est illud quod non admittit parvitatem materiæ, cujus proinde transgressio in parte, quamvis levissima, magnam importat deordinationem. Talia sunt peccata: 1° quæ sunt immediate contra Deum et religionem, ut infidelitas, desperatio, odium Dei, perjurium, simonia, etc.; 2° quæ sunt contra Sacramenta,

ut Sacramentorum iteratio, sigilli sacramentalis fractio, violatio jejunii naturalis pro sumenda Eucharistia, etc.; 3° quæ gravem in peccatore important deformitatem et corruptionem, ut ebrietas, luxuria, quia omnis actus libidinosus inchoata est pollutio, etc.

Peccatum mortale *ex genere suo*, *sed non toto*, est illud cujus materia gravis non est, nisi sit in certa quadam quantitate. His positis

Resp. 1. Omne omnino peccatum *ex genere suo* mortale potest fieri veniale ex defectu plenæ advertentiæ, vel pleni consensus; quia ad peccatum mortale essentialiter requiritur plena advertentia et plenus consensus : ergo uno ex illis duobus deficiente, deficit peccatum mortale. Ita docet Div. Thom.[1] his verbis : *Potest quod ex genere est mortale, esse veniale propter imperfectionem actus, quia non perfecte pertingit ad rationem actus moralis.*

Resp. 2. Peccatum mortale *ex toto suo genere* non potest fieri veniale ex parvitate materiæ, quia parvitatem materiæ non admittit.

Resp. 3. Peccatum mortale *ex genere suo*, *sed non toto*, potest fieri veniale ob parvitatem materiæ, ut patet in furto unius assis.

Porro, ut probe dignoscatur materiæ gravitas, **non decet** considerari *absolute*, sed *relative* ad finem a Legislatore intentum, qui si gravis sit, et materia peccati ad illum multum conducat, **peccatum procul dubio erit mortale**; sin vero veniale. Sic comestio pomi in paradiso, in se quidem levis, gravissima tamen fuit, ob finem gravem a legislatore intentum.

Quæres 2. *Ex quibus capitibus colligendum sit peccatum esse mortale aut veniale ex genere suo?*

Resp. Ex quinque capitibus.

1° Ex Scriptura sacra et Traditione, juxta illud Div. August.[2] : *Quæ sint levia, et quæ gravia peccata, non humano,*

[1] 1 2, quæst. 88, art. 6. — [2] *Enchiridii*, cap. 18.

sed divino pensanda sunt judicio; hinc peccatum illud est mortale ex genere suo, de quo Scriptura dicit : *Væ, abominabile, morte dignum, excludere a gloria ; gehennæ reum efficere,* etc.

2° Ex Ecclesiæ auctoritate, Summorum Pontificum decretis, sanctorum Patrum sententiis, et communi fidelium timoratorum sensu.

3° Ex gravi damno quod peccatum vel ipsi peccatori, vel proximo infert.

4° Ex gravitate pœnæ aliquibus transgressionibus impositæ a justis Legibus canonicis et civilibus.

5° Ex communi Theologorum consensu, a quo recedere, maxime in morum regulis, est summe periculosum et temerarium.

Ex quibus inferendum quod in praxi, ubi clarum non est aliquod esse peccatum mortale, non præceps esse debeat Confessarius in judicando aliquando transgressionem gravem esse, et talis peccati reum suum pœnitentem pronuntiare; nam in grave discrimen se immittunt illi, qui, rigidam doctrinam sectantes, aut de facili notam laxitatis inurentes doctrinis quæ aperte improbabiles non videntur, facile damnant homines de peccato mortali in iis in quibus gravitas malitiæ aut peccati materiæ, evidenti ratione non apparet [1]. Ratio, quia error quo creditur esse mortale quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale, et sic exponitur pœnitens periculo damnationis æternæ.

QUÆSTIO VI.

DE HABITUDINE PECCATI VENIALIS AD MORTALE.

Nota. Resolvendum hic est : 1° an peccatum veniale disponat ad mortale ; 2° utrum possit fieri mortale, sequentibus conclusionibus.

[1] S. Thom., Quæst. IX, art. 15; S. Anton., part. 1, tit. 2, cap. 11; S. Ligor., lib. II, art. 7, num. 52.

CONCLUSIO I.

Peccatum per accidens veniale disponit directe ad mortale ejusdem speciei.

PROB. Disponere *directe* ad mortale, est inclinare et movere ad mortale ; atqui peccatum veniale per accidens, inclinat et movet ad mortale ejusdem speciei; v. gr. qui sæpe furatur parva, inclinatur ad furandum majora; et qui admittit in seipso delectationes turpes imperfecte deliberatas, inclinatur ad eas admittendas ex perfecta deliberatione : ergo, etc.

CONCLUSIO II.

Peccatum veniale ex genere suo, si negligatur et continuetur, disponit indirecte ad mortale.

PROB. Disponere *indirecte* ad mortale, est removere id quod peccatum mortale impediret; atqui peccatum veniale genere suo, si continuetur, removet id quod peccatum mortale impediret; nam ex parte peccatoris minuit fervorem charitatis, ac proinde auget cupiditatem, juxta illud Augustini : *Decrementum charitatis, est incrementum cupiditatis ;* et ex parte Dei impedit providentiam illam specialem, qua tentationes et pericula removebat, et uberiores gratias largiebatur : ergo. Hinc Eccles. XIX, dicitur : *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

CONCLUSIO III.

Peccatum veniale ex genere suo non potest fieri mortale propter solam actus multiplicationem ; et consequenter venialia quantumvis multiplicata non possunt facere unum mortale.

PROB. Peccatum veniale differt specie morali a peccato mortali; nam malitia utriusque est diversæ essentialiter

rationis; atqui essentia rei propter solam actus multiplicationem non mutatur in aliam essentiam, v. gr. accidentia nunquam possunt mutari in substantiam, corporalia in spiritualia: ergo, etc.

Dices 1. Peccata venialia propter sui multiplicationem possunt occidere animam: ergo possunt fieri mortalia.

Prob. ant. Ex Augustino [1] : *Timenda sunt parva peccata quæ collecta contra nos si fuerint, ita nos gravabunt et onerabunt sicut unum aliquod grave peccatum.* Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant. primi argumenti.* Possunt occidere dispositive, *conc.;* effective, *nego ant.* Sic explicandum esse Div. Augustinum asserit Div. Thom. [2] : *Loquitur in illo sensu,* ait, *quod multa venialia dispositive causent mortale.*

Dices 2. Famulus qui singulis unius alteriusve mensis diebus, assem furatur domino, non nisi venialiter peccat singulis vicibus, et tamen contrahit peccatum mortale cum pervenit ad magnam quantitatem: ergo plura venialia constituunt unum mortale.

Resp. *Nego conseq.* Equidem ille famulus contrahit mortale, non quia collectio venialium uni mortali æquivalet, sed quia minuta successive furando, tandem pervenit ad summam quæ ad peccatum mortale sufficit, et quam sub mortali tenetur restituere, non ob singula parva furta, sed ob retentionem magnæ rei alienæ invito domino; neque enim absurdum est ut, qui furando tantum venialiter peccavit, obligetur sub mortali ad restitutionem; nam in *genere moris*, pro uno et eodem reputantur, *scienter retinere alienum invito domino, et illud furari.*

CONCLUSIO IV.

Peccatum ex genere suo veniale potest per accidens fieri mortale.

Prob. Quia ut peccatum veniale fiat *per accidens* mortale, satis est ut illi addatur circumstantia mortaliter

[1] Epist. CVIII. — [2] 1 2, quæst. 88, art. 4.

mala; atqui hoc fieri potest, et de facto contingit in sex casibus.

1° *Ratione pravæ dispositionis agentis*, quod fit 1° quando agens constituit finem suum ultimum in peccato veniali, ut si paratus sit peccatum mortale potius committere, quam tale veniale vitare; 2° quando ex conscientia erronea existimat peccatum esse mortale, quod re ipsa duntaxat est veniale : ratio est, quia agens cum conscientia peccati mortalis consentit in mortale; 3° quando actu ita est affectus, ut id quod facit adhuc faceret, etiamsi sciret illud esse peccatum mortale. Ratio est, quia qui habet affectum ad mortale, peccat mortaliter, cum non amet Deum super omnia appretiative.

2° *Ratione finis mortaliter mali* ad quem ordinatur; ut si quis verba jocosa proferat ut virginem ad fornicandum inducat : quia medium specificatur a fine.

3° *Ratione gravis scandali* quod quis ex peccato levi secuturum prævidet, aut prævidere debet; ut si quis jocosa verba proferat, prævidens alios inde ad verba turpia excitandos, quia causa prævisa effectus sui rationem induit. Vide *de Scandalo*.

4° *Ratione proximi vel certo probabilis periculi peccandi mortaliter;* quia qui vult causam, vult efficaciter effectum, quem prævidet aut prævidere potest et debet ex ea causa secuturum. Unde qui experientia didicit se ex aspectu mulieris, aut ex verbis otiosis cum ea habitis, inductum fuisse ad actum turpem, vel ad consensum in delectationem veneream, hoc ipso convincitur velle, ac proinde committere peccatum mortale.

Dixi *vel certo probabilis*, quia, licet in eo casu peccatum sit incertum, an sit velne committendum, certum est tamen periculum peccandi, cui non licet se exponere sine justa causa [1].

In hoc periculo, juxta Bonacinam, versaretur qui propo-

[1] S. Ligor., lib. II, num. 63.

neret omnia venialia committere, quia multa venialia disponunt ad mortale ; sed negant probabilius S. Ligorius et alii (secluso tamen contemptu vel periculo proximo labendi in mortale, habito respectu ad præteritam experientiam). Ratio, quia revera tale propositum tantum remote conducit ad mortale.

5° *Ratione contemptus formalis* præcepti, vel Superioris, ut talis ; ut si quis violet præceptum in re levi, quia præceptum est, vel quia renuit subjici præcepto, vel Superiori, ut tali. Ratio est, quia contemptus iste in ipsum Deum, cujus vices gerit Superior, refunditur, juxta illud Christi[1] : *Qui vos spernit, me spernit ;* Deum autem contemnere ipsique nolle subjici, gravis est de se irreverentia, proindeque grave peccatum.

Dices : Ergo omne veniale erit *per accidens* mortale, quia in omni peccato veniali reperitur contemptus ; *falsum conseq.*

Resp. *Nego seq.* Ad probationem, *dist.* In omni veniali reperitur contemptus interpretativus, *conc. ;* formalis, *nego.*

Porro, contemptus *formalis,* est voluntas legem infringendi ex hac sola causa quod agens non vult subjici legi, vel Superiori hoc vel illud præcipienti. Contemptus *interpretativus*, est voluntas infringendi legem ex alia quacumque causa, puta ex passione, ira, inertia, etc. Porro, contemptus interpretativus non est peccatum mortale nisi dum materia legis de se, vel ex circumstantiis est gravis ; e contra formalis contemptus, ex Div. Bernardo[2] *convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis.*

6° *Ratione connexionis* et moralis materiæ unionis ; dum nempe materiæ leves inter se mortaliter adunantur, quod fit : 1° per intentionis affectum ; 2° per ordinem quem materiæ leves habent ad unam numero obligationem ;

[1] Luc., x, 16. — [2] Lib. *de Præcepto et dispensat.*, cap. 11.

3° per effectum totalem quem producunt, seu per summam integram quam constituunt.

Ex primo capite, qui apud se proponit singulis diebus per sex menses furari unum assem, toties quoties furatur assem, peccat mortaliter; quia ex intentione illius summæ totalis paucula illa furatur. Unde, licet in singulis furtulis materia sit levis in re, est tamen gravis in intentione, in qua jam existunt.

Ex secundo capite, peccat mortaliter qui sæpius in die jejunii pauca comedit; qui sæpe in die festo per modica temporis spatia laborat; qui aliquot in Horis ejusdem diei psalmos omittit, ex quibus conjunctim sumptis oriatur notabilis quantitas; quia probabilius est singulas Horas per modum unius officii præcipi, non ut actiones a se invicem independentes.

E contra, venialiter solum peccat Clericus qui singulis diebus paucos ex Officio versus omittit; qui singulis diebus Dominicis per quadrantem serviliter laborat; qui quotidie in Quadragesima panis frustulum comedit. Ratio est, quia illæ leves transgressiones non dicunt ordinem ad unam numero obligationem, cum præcepta recitandi Officium, non laborandi, jejunandi, singulas dies in particulari afficiant et una cum die expirent; unde fit ut qui hodie peccat, non transgrediatur idem præceptum quod heri transgressus est.

Ex tertio capite, qui, etiam absque intentione plura furandi, quotidie unum assem furatur, peccat mortaliter cum pervenit ad quantitatem gravem, si illam retineat; quia illa parva furta unam summam gravem totalem constituunt, et ideo gravis est obligatio restituendi [1].

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 533 et 553.

QUÆSTIO VII.

DE POENIS PECCATI VENIALIS.

Nota. Pœnæ peccati venialis quatuor communiter assignantur.

Prima consistit in hujus vitæ adversis, doloribus, morbis et morte temporali, ut constat exemplo Moysis [1], uxoris Loth [2], Ozæ [3].

Secunda est gratiæ copiosioris, qua homo adjutus facilius mortalia devitaret, subtractio.

Tertia est diminutio fervoris, charitatis et familiaritatis cum Deo, qui peccato veniali coinquinatum incipit evomere de ore suo.

Quarta est gravissimi ignis purgatorii perpessio temporanea saltem in his qui in Domino moriuntur.

Dixi *saltem in his qui in Domino moriuntur*, quia controvertitur inter Theologos utrum peccatum veniale puniatur in damnatis pœna æterna; quod ut solvatur, sit

CONCLUSIO.

Peccatum veniale in hac vita quoad culpam non remissum, per accidens punitur in inferno pœna æterna: secus si quoad culpam fuerit remissum.

PROB. PRIMA PARS. Ex Div. Thoma [4]: *Peccatum veniale in eo qui decedit cum mortali, quia nunquam remittitur, æterna pœna punitur propter gratiæ carentiam.*

PROB. 2. *Ratione.* Tamdiu remanere debet pœna peccati, quamdiu remanet ejus culpa; atqui culpa peccati venialis in inferno remanebit in æternum: ergo, etc.

Prob. min. 1° Quia existenti in termino non datur remissio peccati quoad culpam; 2° quia remissio peccati non

[1] Num. XXVII, 13. — [2] Gen. IX, 25. — [3] II Paral. XIII, 10. — [4] Quæst. 5 *de Malo*, art. 2, ad. 8.

fit sine aliqua applicatione meritorum Christi; atqui Christi merita non applicantur damnatis, cum nec sint membra Christi, nec pro ipsis in tali statu positis obtulerit suam passionem; 3° quia culpa non dimittitur absque ejusdem detestatione et displicentia, cujus damnati, defectu gratiæ ipsis indebitæ, omnino sunt incapaces : ergo, etc.

DICES : Animæ purgatorii sunt in termino, cum sint extra statum vitæ ; atqui tamen ipsis remittuntur peccata venialia quoad culpam : ergo et damnatis.

RESP. *Dist. ant.* Animæ purgatorii sunt in termino secundum quid, *conc. ant.;* simpliciter, *nego ant.* Itaque animæ in purgatorio sunt *secundum quid* in via, cum non pervenerint *totaliter* ad ultimum terminum et habeant fidem et spem, quæ sunt virtutes viatorum non remanentes in patria ; damnati vero sunt *totaliter* et simpliciter in termino, cum fidem non habeant, nec spem.

PROB. SECUNDA PARS. Nulla est alia ratio cur pœna peccati venialis in hac vita quoad culpam non remissi, non possit per satispassionem in inferno remitti, nisi quia peccati culpa in æternum est duratura : ergo si in hac vita peccatum veniale dimissum fuerit quoad culpam, non est cur per satispassionem condignam et æqualem, pœna temporalis ipsi debita solvi non possit in inferno... Idem dicendum de peccatis mortalibus dimissis solum quoad culpam, quibus in inferno non nisi pœna temporalis debetur.

DICES 1. Pœnæ a damnatis perpessæ sunt omnino involuntariæ : ergo non valent ad remittendam pœnam peccatis jam quoad culpam dimissis debitam.

RESP. *Dist. conseq.* Non valent ad remittendam pœnam per satisfactionem, *conc.;* per satispassionem, *nego conseq.;* ad illa enim sufficit æqualitas inter pœnam et culpam.

DICES 2. Si peccata venialia et mortalia dimissa in hac vita quoad culpam, non punirentur in inferno pœna æterna, daretur in inferno quædam pœnarum redemptio

et mitigatio; consequens est contra unanimem Ecclesiæ consensum: ergo, etc.

Resp. Ad utrumque cum Div. Thom.[1]: *Pœna cujus est aliquis debitor post culpam remissam, in inferno punietur temporaliter. Nec propter hoc sequitur quod sit in inferno redemptio, quia pœna solvitur, non redimitur; nec est inconveniens quod quantum ad aliquid accidentale pœna inferni minuatur usque ad diem judicii, sicut etiam augetur.* Pœna autem peccatis quoad culpam dimissis debita, est accidentalis.

CAPUT V.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

Nota 1. Peccata capitalia non omnia sunt mortalia *ex genere suo*, quia non omnia graviter offendunt Deum, aut proximum lædunt, vel nos ipsos corrumpunt, ut patebit infra.

Nota 2. Peccata capitalia sunt septem, scilicet: *superbia, avaritia, invidia, ira, acedia, gula, luxuria.* De duobus ultimis tractaturi cum agemus de virtute temperantiæ, alia quinque nobis sunt elucidanda; de quibus singulis quæremus: 1° quid sit; 2° quale peccatum; 3° quot ejus filiæ; 4° quot ejus remedia.

QUÆSTIO I.

DE SUPERBIA.

Quæres 1. *Quid sit superbia?*

Resp. Est *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.* Dicitur 1° *appetitus,* id est, desiderium et amor. Dicitur 2° *inordinatus:* 1° ex defectu humilitatis, quo superbus iis quibus debet, subjici recusat; 2° ex defectu magnanimitatis, quo superbus quæ sunt supra conditionem suam, præ-

[1] In 4, dist. 22, quæst. 1, art. 2, ad 5.

sumptuose et contra regulam a Deo statutam, appetit. Hinc, si quis propriam excellentiam in Deo et propter Deum quærat, virtus erit magnanimitatis, non superbiæ vitium.

Dicitur 3° *propriæ excellentiæ*, non alienæ; unde si mater nimium appetat excellentiam filiæ absque respectu ad seipsam, non est proprie superbia, sed quoddam aliud vitium superbiæ affine.

QUÆRES 2. *Quale sit peccatum superbiæ?* Ante responsionem

Nota. Superbia alia est *perfecta*, alia *imperfecta*.

Superbia *perfecta*, est ea qua quis bona quæ a solo Deo habet gratuito, æstimat a semetipso habere, vel pro suis meritis accepisse, et ita excellere appetit, ut Deo, superioribus eorumque legibus subjici nolit.

Superbia *imperfecta*, est ea qua quis, agnoscens se omnia Deo debere, cæteris plus æquo se effert; item, est ea qua quis bona quæ vere non habet arrogat, sive in sua, sive in aliorum opinione. His positis,

RESP. 1. Superbia perfecta est peccatum mortale *ex genere suo*, juxta illud [1] : *Arrogantiam et superbiam detestor.* Ratio est, quia repugnat charitati Dei, qui per superbiam contemnitur; unde Apostolus de superbis et elatis ait : *Qui talia agunt, digni sunt morte* [2] ; et Prov. XV : *Abominatio Domini est omnis arrogans.*

RESP. 2. Superbia imperfecta est solum veniale ex genere suo, quia charitati non graviter repugnat; fit tamen mortalis : 1° si adsit gravis Superiorum contemptus ; 2° si adsit grave proximi detrimentum, v. gr. si quis propriam excellentiam quærat per proximi detractionem aut calumniam.

QUÆRES 3. *An superbia sit omnium peccatorum gravissimum?*

RESP. Est gravissimum, si spectetur ratione aversionis a Deo.

[1] Prov. III, 13. — [2] Rom. I, 25.

PROB. 1. Quia aversio a Deo, quæ ad alia peccata spectat ex consequenti, per se ad superbiam spectat, ut docet Div. Thom. [1], dicens : *In aliis peccatis homo a Deo avertitur vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, sive propter desiderium cujuscumque alterius boni. Sed superbia habet aversionem a Deo, ex hoc ipso quod non vult Deo, vel ejus regulæ subjici.* Ratio est, quia superbia perfecta in eo consistit, quod quis ita extollatur, ut Deo, superioribus a Deo constitutis eorumque legibus nolit subjici.

PROB. 2. Quia superbia omnium peccatorum est initium, juxta illud Eccl. X : *Initium omnis peccati superbia ;* et illud Div. August. [2] : *Non est majus peccatum quam apostatare a Deo, quod est initium superbiæ hominis ;* quare expositione in eumdem Psalmum, dicit : *Magnum hoc delictum est, et caput et causa omnium delictorum. Scriptum est enim : Initium omnis peccati superbia.*

PROB. 3. Quia superbia est vitiorum omnium periculosissimum, unde a S. Isidoro [3] vocatur *ruina omnium virtutum*, de qua August. [4] dicit : *Alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant ; superbia vero etiam bonis operibus insidiatur ut pereant.* Ideo justi perpetuo vigilare debent, ne in suis actibus obrepat superbia, quæ ex Div. August. [5] : *Etiam in recte factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur :* ergo quilibet debet orare, et cum Regio Psalte [6] dicere : *Non veniat mihi pes superbiæ.*

QUÆRES 4. *Quæ et quot sint filiæ superbiæ?*

RESP. Tres recensentur : scilicet, præsumptio, ambitio et vana gloria.

Præsumptio est *inordinatus appetitus aliquod, quod vires proprias superat, aggrediendi.*

Est communiter venialis tantum, sed est mortalis :

[1] 2 2, quæst. 162, art. 6. — [2] Sermone *in Psal.* XVIII. — [3] Lib. II *Sentent.*, cap. 38. — [4] Epist. CCXL. — [5] Epist. CXVIII. — [6] Psal. LIII.

1° cum ex ea imminet periculum Deo injuriam inferendi; sic peccavit mortaliter Lucifer cum dixit: *Similis ero Altissimo;* 2° cum ex ea imminet periculum sibi ipsi aut proximo damnificandi: sic peccat mortaliter qui sine sufficienti scientia præsumit exercere aut quærere officium Medici, Superioris, Judicis, Theologiæ professoris, etc.; 3° cum ex ea imminet grave periculum peccandi, v. gr. dum quis suam cognoscens ad venerea proclivitatem, feminarum se conversationi, absque necessitate, ingerit, in quibus suam sæpe expertus est fragilitatem.

Ambitio est *inordinatus honoris et dignitatis non debiti vel debito majoris appetitus;* est *per se* tantum venialis; fit tamen mortalis: 1° *ratione affectus mortaliter illiciti,* ut si quis mallet peccare mortaliter, quam honorem aliquem non adipisci, vel amittere; 2° *ratione medii graviter mali,* ut si quis quærat honorem per detractionem de competitore; 3° *ratione finis,* ut si quis appetat honorem propter se, non propter Deum; 4° *ratione damni proximo inferendi,* ut si quis appetat officium Judicis carens scientia competenti. Si vero moderate honor appetatur ob honestum finem, erit actus magnanimitatis.

Vana gloria est *inordinatus laudis humanæ appetitus,* cujus finis est manifestatio propriæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ. Dicitur *vana,* quando quæritur ex re mala, falsa aut ficta, aut quæ non est digna gloria, vel saltem non tanta, v. gr. ex opibus, nugis, etc., aut piscatur apud imperitos ad judicandum de re, vel sine debito fine.

Est mortalis: 1° si quis gloriam quærat ex re mortali, v. gr. fornicatione, duello, etc.; 2° si in gloria humana ponatur finis ultimus; alias est solum venialis.

Porro, licet vana gloria sit filia superbiæ, habet tamen et ipsa suas filias numero septem, scilicet, inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, discordia, pertinacia et novitatum inventio.

Inobedientia est *peccatum quo violatur præceptum Supe-*

rioris ex contemptu, sive quia præceptum est; est semper mortalis, etiamsi levis sit materia, ut supra dictum est[1].

Jactantia est *inanis et stulta propriæ excellentiæ prædicatio*. Est per se venialis; mortalis vero, si quid dicat contra gloriam Dei, ut[2]: *Deus ego sum*; vel si charitati proximi sit graviter contraria, qualis fuit jactantia Pharisæi dicentis : *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri*, etc.[3].

Hypocrisis est *fictio peccatoris se justum simulantis*, unde est mendacium facti. Quandove venialis, quandove mortalis sit, id *discernendum est ex fine*, ait Div. Thom.[4], *quia si* (graviter) *repugnet charitati Dei vel proximi, erit peccatum mortale, puta cum* (hypocrita) *simulat sanctitatem, vel ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur dignitatem Ecclesiasticam indignus, vel quæcumque alia bona temporalia, in quibus finem constituit. Si vero finis intentus non repugnet charitati, erit peccatum veniale, puta cum aliquis in ipsa fictione delectatur.*

Contentio est *inordinata verborum contrarietas circa verum. Discordia* vero est *inordinata voluntatum contrarietas circa bonum*, in quo ex charitate Dei vel proximi convenire et consentire tenemur.

Utraque est peccatum mortale *ex genere suo*, sicut alia quæ sunt contra charitatem aut contra verum necessario credendum; unde ad Galat. v, *contentiones et dissensiones* numerantur intra opera carnis a regno Dei excludentia.

Pertinacia est *perseverantia in propria sententia contra veritatem cognitam, vel sufficienter propositam*. Est solum venialis per se; fit tamen mortalis quando est contra honorem Dei, vel bonum grave proximi; nam tunc materia gravis est.

Inventio novitatum est *propriæ excellentiæ manifestatio per aliquid novi admirationem vulgarem ingerentis*. Est

[1] Quæst. 6 *de Habitudine peccati venialis ad mortale*. — [2] Ezech. XXVIII, 2. — [3] Luc, X, VIII, 11. — [4] 2 2, quæst. 3, art. 4 *in corp.*

per se venialis, fit tamen mortalis: 1° si fidei repugnet, vel bonis moribus, vel pudicitiæ notabiliter adversetur; 2° si pariat scandalum vel grave damnum proximo.

QUÆRES 5. *Quænam sint superbiæ remedia?*

RESP. Inter innumera, hæc afferri solent.

Primum est notitia sui; vix enim possibile est ut sibi ipsi non vilescat, qui defectus suos, tum physicos, tum morales, sincere coram Deo pensabit.

Secundum est diligens inspectio brevitatis eorum quibus mens superbire solet; nam quicumque sis, *terra es et in terram reverteris* [1].

Tertium est frequens meditatio pœnarum superbiæ et humilitatis præmiorum; nam [2]: *Qui se exaltaverit humiliabitur, et qui se humiliaverit exaltabitur.*

Quartum est libens cum humilibus conversatio, atque Christi imitatio, qui *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.*

Quintum est susceptio ministeriorum vilium, v. gr. hospitalia visitare, pauperibus et ægrotis ministrare, infimum locum eligere, etc.

Nota. His tribus superbiæ filiabus respondet pusillanimitas, qua quis sibi nimium diffidens detrectat honores, gloriam vel officium quo dignus est. Veniale est ex genere suo, sed fit mortale si detrectes id ad quod teneris sub mortale. Ita Busemb., ex Lessio et Layman.

QUÆSTIO II.

DE IRA.

QUÆRES 1. *Quid sit ira?*

RESP. Est *inordinatus appetitus vindictæ, aut quasi vindictæ.*

Dicitur 1° *appetitus inordinatus,* quod ex duplici capite oriri potest: 1° *ex parte objecti,* cum nempe quis optat

[1] Gen. III, 19. — [2] Matth. XIII, 12.

vindictam ei qui non meruit, vel majorem quam meruit, vel inferendam sine justa auctoritate, vel tandem qui eam, etsi justa sit, non ut justam appetit, sed ut satiativam malevoli cordis ; 2° *ex parte modi*, ut *si quis nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa iræ*, ait Div. Thomas [1].

Hinc, dum ira nec modum excedit, nec in objecto deficit, sed ad finem honestum tendit, qui est, ait Div. Thomas [2], *conservatio justitiæ et correctio culpæ*, vitium non est, sed virtus, juxta illud Psalmistæ : *Irascimini et nolite peccare.*

Dicitur 2° *vindictæ, aut quasi vindictæ ;* nec enim ad iram necesse est ut vindicta feratur in eum a quo quis se læsum putat; sed quilibet potest vere et inordinate irasci in res inanimas, ut scriptor in calamum, pictor in pennicillum, etc.

QUÆRES 2. *Quale sit peccatum ira?*

RESP. 1. Ira ex parte objecti inordinata, est peccatum mortale ex genere suo, cum sit contra charitatem et justitiam; unde *ira* numeratur inter *opera carnis, quæ qui agunt, regnum Dei non consequentur.*

RESP. 2. Ira ex parte modi tantum inordinata, *secundum se non habet ex genere suo rationem peccati mortalis*, ait Div. Thom. [3]; potest tamen esse per accidens, nempe ratione scandali, convicii, blasphemiæ, maledicti, etc., quæ ex nimia iræ commotione oriuntur.

QUÆRES 3. *Quæ et quot sint filiæ iræ?*

RESP. Septem vulgo numerantur, quæ omnes sunt peccata mortalia aut venialia, prout magis vel minus graviter justitiam vel charitatem offendunt, et sunt :

Indignatio, quæ est vitium quo quis, ob injuriam sibi factam, alteri recusat officia charitatis communia.

Tumor mentis, qui est æstus quidam animi diversa vindictæ media omni conatu excogitantis.

Clamor, qui est inordinata atque confusa locutio.

[1] 2 2, quæst. 185, art. 13. — [2] Ibid., art. 2. — [3] Ibid., art. 3.

Blasphemia, quæ est injuriosa contra Deum vel Sanctos locutio.

Contumelia, quæ est sermo injuriosus contra proximum audientem. Hæc venialis tantum communiter habetur; nam multi parentes filios contumeliis afficiunt; mulieres, pueri et infimæ sortis homines conviciis se onerant, sed quia fides iis non habetur, tunc non læditur graviter honor.

Maledictio, quæ est imprecatio qua quis optat vel imprecatur alteri malum sub ratione mali, et est ex genere suo mortale, ut docet S. Thom. [1] dicens quod maledictio seu imprecatio contra homines, *secundum suum genus est peccatum mortale, et tanto gravius quanto personam cui maledicimus magis amare et revereri tenemur.* Ad mortale vero requirit S. Doctor: 1° ut malum optatum sit grave; 2° u malum prolatum vere optetur; 3° ut optetur cum perfecta deliberatione. Ratio, quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur.

Rixa, quæ est pugna manuum inter eos qui ex ira invicem se percutiunt auctoritate privata. Rixa in aggressore est semper mortalis ex genere suo, ut patet ex Galat. v; in eo autem qui se defendit, non est peccatum, si non excedat debitum moderamen; quod si excedat, est peccatum veniale quidem cum excessus est levis, mortale vero cum excessus est gravis: ita Div. Thom. [2].

QUÆRES 4. *Quænam sint remedia iræ?*

RESP. Quatuor præcipua sunt.

Primum, meditari mansuetudinem Christi, qui [3]: *Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.*

Secundum, considerare quantum ira sit injusta et perniciosa, quæ tot induxit clades, bella, duella, homicidia, etc.

Tertium, nihil facere in motu iræ, sed solum postquam sedatus erit.

[1] 2-2, quæst. 76. art 3. — [2] Hic, quæst. 41, art. 4. — [3] 1 Petri II, 23.

Quartum, elicere actus charitatis, humilitatis, patientiæ et mansuetudinis, qui iræ maxime adversantur.

QUÆSTIO III.

DE AVARITIA.

Quæres 1. *Quid sit avaritia?*

Resp. Est *inordinatus appetitus divitiarum*. Est autem *inordinatus*: 1° *ratione objecti*, dum nempe aliena concupiscimus; 2° *ratione finis*, dum finem nostrum constituimus in divitiis; 3° *ratione excessus*, dum ita opes congerimus, ut nullum iis congerendis modum statuamus. Unde avarus non est, sed providus, qui divitias appetit quantum satis est ad vitam honeste transigendam, prolem educandam, familiam sustentandam, etc., quia in hoc nihil est inordinati.

Quæres 2. *Quale sit peccatum avaritia?*

Resp. 1. Cum Div. Thoma [1]: *Si inordinatio amoris* (divitiarum) *intra hoc sistat, ut, scilicet, homo quamvis superflue divitias amet, non tamen præferat earum amorem amori divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum et proximum, sic avaritia est peccatum veniale.* Ratio est, quia tunc potius illiberalitas, quam proprie dicta avaritia censetur; et ideo ex genere suo est venialis.

Resp. 2. Dum avaritia eo excrescit ut charitati vel justitiæ graviter adversetur, est mortalis; nam *neque fures, neque avari, regnum Dei possidebunt*, ait Apostol. [2].

Quæres 3. *Quot sint filiæ avaritiæ?*

Resp. Sunt septem.

Prima est *proditio*, quæ est *deceptio contra fidem datam vel debitam*, in damnum alicujus.

[1] 2 2, quæst. 118, art. 4. — [2] 1 Cor. VI, 10.

Secunda est *fraus*, quæ est *deceptio proximi per facta injusta*, v. gr. cum venditur pixis ex aurichalco pro pixide ex auro.

Tertia, est *fallacia* seu *dolus*, qui est *deceptio proximi per verba dolosa, æquivoca* et *mendacia*.

Quarta, est *perjurium*, quod est *deceptio proximi per falsum juramentum*.

Quinta, est *inquietudo mentis*, qua ex nimio divitiarum amore a debitis retrahimur officiis. Est mortalis, si officia graviter obligant; venialis autem si sit de re bona, sed tempore, vel loco indebito, v. gr. de familia, messe, vindemia, quando quis est in templo, vel vacandum est Deo [1].

Sexta, est *violentia*, qua res aliena per vim injustam usurpatur.

Septima, est *obduratio cordis*, seu immisericordia, quæ est *tenax rebus terrenis adhæsio, quæ impedit ne cor miseriis pauperum emolliatur*, unde fit ut violetur præceptum eleemosynæ.

QUÆRES 4. *Quænam sint remedia avaritiæ?*

RESP. Præcipua sunt:

1° Attendere omnia prorsus in morte dimittenda et relinquenda hæredibus sæpe ingratis, dissipatoribus, imo sæpe inde damnationis occasionem sumpturis: *Stulte*, ait Christus, *hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem parasti, cujus erunt* [2]?

2° Animadvertere *quam difficile* sit *confidentes in peculiis in regnum Dei intrare; facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei* [3].

3° Meditari paupertatem Christi qui [4], *cum dives esset, propter nos egenus factus est*.

Nota. *Prodigalitas*, quæ opponitur avaritiæ, est defectus in conservando et excessus in erogando. Venialis est

[1] S. Thom. 2 2, quæst. 55, art. 6. — [2] Lucæ XII, 20. — [3] Matth. X, 24. — [4] Cor. VIII, 9.

ex genere suo et levior quam avaritia, quia minus recedit a virtute liberalitatis. Fit autem mortalis, si liberis et uxori pauperiem creat; si impotentem reddat ad solvenda debita : si bona ecclesiastica, piis causis obnoxia profundat.

QUÆSTIO IV.

DE INVIDIA.

Quæres 1. *Quid sit invidia?*

Resp. Est *tristitia de bono proximi, quatenus est propriæ excellentiæ imminutivum.* Unde si quis de bonis proximi tristetur ex alio motivo, non erit invidia (De hoc peccato cum disputas, propositiones 13, 14, 15, inter damnatas ab Innocentio XI, memento).

Hinc 1° si quis tristetur de bonis proximi, quia ipsi est inimicus, erit *odium*, non invidia.

2° Si tristetur de bonis prodigi ea dilapidantis, aut avari ea turpiter recondentis, erit *justa indignatio*, non invidia.

3° Si tristetur de bonis temporalibus peccatorum, quia illis sunt indigni, erit *zelus inordinatus ;* cum omnia divinæ Providentiæ decretis, quæ adorare debemus, eveniant.

4° Si tristetur de bono alterius, v. gr. de adepta potestate, non quia ipsi bonum, sed quia damnum sibi aut alteri inde imminet, est *justus timor.*

5° Si tristetur de bono alterius, non quia ille bonum possidet, sed quia sibi deest, ita tamen ut minime cupiat alterum illo privare, est *æmulatio*, non invidia.

Quæres 2. *Quale peccatum sit invidia?*

Resp. Est peccatum mortale ex genere suo, quia opponitur charitati, cujus proprium est de bono proximi gau-

dere, et de illius malo dolere; hinc ad Galat. v, *invidia* dicitur excludere *a regno Dei.*

QUÆRES 3. *Quot sunt filiæ invidiæ?*

RESP. Sunt sex, scilicet odium proximi, contumelia, detractio, et exultatio in adversis et afflictio in prosperis, susurratio, de quibus omnibus alibi agemus.

QUÆRES 4. *Quænam sunt invidiæ remedia?*

RESP. Sequentia numerantur :

Primum, est attente meditari nullum esse vitium quod nos similiores reddat diabolo, juxta illud [1] : *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.*

Secundum, est honorem humanum contemnere : *Non efficiamur*, ait Apostolus [2], *inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.*

Tertium, est persuasum habere invidiam soli invidenti nocere qui ea immaniter ac inutiliter cruciatur; quæro enim an invisus per invidiam suis spolietur bonis ; an invidens per invidiam ditetur bonis invisi, etiamsi ipsis spoliari contingat. Respondeat qui diabolico illo cruciatur vitio.

QUÆSTIO V.

DE ACÉDIA SEU DESIDIA.

QUÆRES 1. *Quid sit acedia?*

RESP. Est *tristitia et tædium de bonis divinis ut ad nos pertinentibus;* ut si quis doleat quod Deus sit beatitudo nostra, eo quod hæc beatitudo sine voluptatis fuga et difficili virtutum exercitio obtineri non possit.

QUÆRES 2. *Quale sit peccatum acedia?*

RESP. Est mortale ex genere suo, juxta illud Apostoli [3] :

[1] Sap. II, 24. — [2] Ad Gal. V, 26. — [3] Cor. VII, 10.

Tristitia sæculi mortem operatur. Ratio est, quia graviter charitati Dei repugnat, cum per eam parvipendatur amicitia Dei et æterna beatitudo, atque indigna reputentur quæ difficili virtutum exercitio comparentur.

QUÆRES 3. *Quot sint filiæ acediæ?*

RESP. Sunt sex. *Prima* est *malitia*, qua quis odit bona spiritualia et vellet ea non esse, v. gr. non esse Sacramenta, religionem Christianam, non agnovisse Christum, etc.; et hæc est mortalis *ex toto genere suo.* Unde sola indeliberatio excusare potest.

Secunda est *desperatio*, qua quis assecutionem beatitudinis sibi impossibilem existimans, de ea obtinenda diffidit. Est peccatum de se gravissimum.

Tertia est *pusillanimitas*, qua quis ex diffidentia de viribus suis, Dei consilia aut præcepta omittit.

Quarta est *rancor*, quæ est quædam indignatio in eos qui ad spiritualia nos inducere volunt; est grave peccatum juxta illud [1]: *Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus.*

Quinta est *torpor*, qui est languor animi, quo bonum vel omittitur, vel negligenter fit. Est mortalis, si bonum sit graviter præceptum.

Sexta est *evagatio mentalis* in oratione aliisve exercitiis spiritualibus. De se quidem venialis est; sed mortalis, si sit notabilis et fiat eo tempore, quo ex præcepto gravi requiritur mentis attentio.

QUÆRES 4. *Quot sunt remedia acediæ?*

RESP. Præcipua sunt: 1° Meditatio noctis illius æternæ *in qua nemo potest operari* [2], et istius Christi comminationis: *Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur* [3].

2° Est reflexio ad labores quos filii hujus sæculi suscipiunt, ut ad corruptibilem coronam perveniant; unde

[1] Prov. XXIX, 1. — [2] Joan. IX, 4. — [3] Matth. VIII, 10

concludemus totis viribus gloriæ æternæ adeptioni esse incumbendum.

3° Est meditatio laborum et passionum Christi et Sanctorum, brevitatis laborum et æternitatis præmiorum fervidæ charitatis, etc.

QUÆSTIO VI

DE GULA.

QUÆRES 1. *Quid sit gula?*

RESP. Est *inordinatus appetitus cibi et potus.*

Dicitur 1° *appetitus*, quia non solum inordinate comestio, sed etiam desiderium inordinate comedendi et bibendi est vitiosum.

Dicitur 2° *inordinatus*, quia qui cibo et potu utitur, juxta Dei ordinationem, ad corporis sustentationem, non solum non peccat, sed et coram Deo meritum sibi comparare potest. Is ergo solus reus est peccati gulæ, qui ob solam voluptatem manducat et bibit, ut declaravit Ecclesia damnatione hujus propositionis : *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Licet tamen uti delectatione ad cibum percipiendum pro corporis salute [1].

Dicitur 3° *cibi et potus ;* per quod designatur proprium gulæ objectum, quod est delectatio cibi et potus inordinate concupita.

QUÆRES 2. *Quot modis gulæ peccatum committi possit ?*

RESP. Quinque modis hoc versu contentis :

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Præpropere, id est, si edas ante tempus ; est enim signum quæsitæ potius voluptatis quam necessitatis, cum obsit, non prosit valetudini.

[1] S. Ligor. lib. II, num. 73.

Laute, id est, si nimis exquisita, nempe pretiosiora quam conveniat statui vel necessitati.

Nimis, id est, plusquam natura exigit.

Ardenter, id est, si nimia aviditate aut voracitate; *Et licet quidam habeant a naturali conditione vel assuefactione*, ait Div. Antonin. [1], *tamen corpori nocet... et cum procedit ex inordinato appetitu delectationis gulæ, peccatum est.*

Studiose, id est, si nimis exquisite præparata, quod non fit, nisi propter voluptatem.

QUÆRES 3. *Quale sit peccatum gulæ?*

RESP. Cum Div. Thom. [2] distinguendo: *Si inordinatio concupiscentiæ*, id est appetitus cibi et potus, *accipiatur in gula secundum aversionem a fine ultimo, sic gula erit peccatum mortale. Quod quidem contingit, quando delectationi gulæ inhæret homo tanquam fini, propter quem Deum contemnit, paratus, scilicet, contra præcepta Dei agere, ut delectationes hujusmodi assequatur.* Ratio est, quia hoc charitati Dei graviter contrariatur.

Si vero in vitio gulæ intelligatur inordinatio concupiscentiæ tantum secundum ea quæ sunt ad finem, utpote quia nimis concupiscit delectationes ciborum, non tamen ita quod propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum veniale. Ratio est, quia tunc non contrariatur charitati Dei; potest tamen fieri mortale *ex circumstantiis*,

1° Dum homo, ob gulam impotens fit ad munia sua obeunda, quæ obligant sub mortali, debita solvenda, familiam sustentandam, gravem necessitatem patienti opitulandam, etc.

2° Dum ob eamdem versatur in periculo sanitatem corporis et animæ amittendi.

3° Ratione scandali, vel periculi graviter peccandi: eadem, cum proportione, sunt dicenda de potu nimio, independenter ab ebrietate consummata.

[1] Part. 2, tit. 6, cap. 1, § 5. — [2] 2, quæst. 148, art. 2.

QUÆRES 4. *Quot sint species gulæ?*

RESP. Sunt duæ, *crapula*, scilicet, seu comessatio, et *ebrietas*.

Crapula est *excessus quo quis omnino sanus, ita cibis sese ingurgitat, ut ad vomitum moveatur;* quod est probabiliter tantum veniale ex genere suo, nisi adsit scandalum, vel notabile nocumentum valetudinis [1].

Ebrietas est *excessus voluntarius in potu, usque ad violentam privationem usus rationis.*

Dicitur 1° *excessus voluntarius*, sive sit expresse volitus, dum nempe quis directe sese inebriare intendit; vel interpretative tantum, dum quis vult bibere quantum potest, non curans de ebrietate secutura, vel dum advertens, vel advertere debens et potens proximam et imminentem ebrietatem, nihilominus bibere non desistit.... Per hanc conditionem excluditur ebrietas violenta per ignorantiam vel inadvertentiam inculpabilem, vel etiam per coactionem.

Dicitur 2° *usque ad violentam*, etc., ut ebrietas distinguatur a somno, phrenesi, aut hypocondria, quibus usus rationis naturaliter aufertur.

QUÆRES 5. *Quale sit peccatum crapula?*

RESP. Esse per se peccatum mortale si cum S. Thoma, ut supra, sic intelligatur crapula, ut in delectatione cibi quis expresse ultimum finem constituat, ut faciebant Epicurei et alii, de quibus Apostolus ad Philippenses ait: *Quorum Deus venter est;* vel ut ita ad dictam delectationem sit affectus, ut paratus sit ob eam delectationem legem Dei transgrediendi. Illos quidem epulones valde vituperat Isaias [2], dicens : *Omnes mensæ eorum repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus.* Unde de iis merito Apostolus [3] dicit : *Hujusmodi* enim *Christo non serviunt, sed suo ventri.* Qui et propterea ad Galatas V,

[1] S. Ligor., ibid.; Serm., tract. 25, cap. 2, pag. 1, num. 8, et communiter. — [2] Cap. XXV. — [3] Rom. XVI.

homicidia, ebrietates, comessationes enumerat inter *opera carnis ;* de quibus subjungit : *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

QUÆRES 6. *Quale peccatum sit ebrietas?*

Nota ante responsionem, quod sint tres ebrietatis gradus. *Primus*, dum ipsa non pervenit nisi ad quamdam rationis obnubilationem. *Secundus*, dum non pervenit nisi ad organorum turbationem et cordis aggravationem, et adhuc est discretio inter bonum et malum. *Tertius*, dum pervenit ad rationis subversionem. His notatis,

RESP. Ebrietas in *primo gradu*, de se est peccatum veniale tantum, nisi ex circumstantiis fiat mortale. In *secundo gradu*, longe gravior, sed nec mortalis est, quamvis notabilis fiat organorum disturbatio et cordis aggravatio, cum non amittat totaliter usum rationis. *In tertio* autem *gradu*, mortalis est ex genere suo, quod

PROB. 1. Ex Script. [1] dicente : *Væ qui consurgis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam.* Illud autem *Væ*, indicat peccatum mortale, juxta illud Ven. Bedæ, in cap. XXIII Proverb. : *Væ, æternum interitum nominat ;* et illud Hieronym. in cap. V Amos : *Væ, pœnarum ultimum est.* Ergo, etc. ; unde Apostolus [2] ait : *Nolite errare ; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri... neque ebriosi... regnum Dei possidebunt.*

PROB. 2. Ex Div. August. [3] dicente : *Frequenter usque ad vomitum ingurgitare se* (cum amissione usus rationis) *non erubescunt... Pejores animantibus judicandi sunt. Cum enim animalia amplius quam eis opus est bibere nolint, illi et duplum, et triplum, quam eis oportet, potum accipiunt. Et unde tribus aut quatuor diebus refectionem rationabilem potuerunt habere, uno die cum grandi peccato suo contendunt perdere potius quam impendere. Atque utinam vel potum tantummodo perderent, et non etiam ipsi perirent.*

PROB. 3. *Ratione.* Ubi est gravis inordinatio, ibi est grave

[1] Isaiæ, III. — [2] I Cor. VI. — [3] *Serm.* 294.

peccatum ; atqui in ebrietate gravis est inordinatio, nempe privatio usus rationis, qui est præcipuum hominis bonum : ergo, etc.

Porro, censent communiter Doctores, eum peccare mortaliter, qui attento usu communi, ita monstruose bibit, ut potatio sit apta, quod jam advertit, ad inebriandum, licet adhuc rationis compos, somno se committat quo vini effectum effugiat. Ratio est, quia per hanc monstruosam potationem temperantiam enormiter lædit, et potio illa jam de se est intrinsece mala, ut per se sit sufficiens ad usum rationis perimendum, et nonnisi per accidens careat effectu. Unde dicit Isaias supra citatus : *Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum.* Et Prov. XXIII dicitur : *Noli esse in conviviis potatorum... quia vacantes potibus et dantes symbola consumentur... cui væ? nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus potandis?* Atqui maledictio per τὸ *væ* annuntiata non incurritur nisi propter peccatum mortale : ergo, etc. Hinc,

Resolves 1. Eos graviter peccare, nec absolvendos esse nisi se emendent : 1° qui, more dæmonum, alios ad nimiam potationem provocant. Unde August. [1] dicit : *Qui alterum cogit, ut se, plusquam opus est, bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quam animum ejus per ebrietatem occideret.* Graviter enim peccant contra præceptum, quo *unicuique mandavit Deus de proximo suo.* Vi cujus si impedire tenentur ne proximus se occidat quoad corpus, dum sine magno suo periculo impedire possunt, a fortiori non debent illum impellere ut occidat se quoad animam.

2° Qui, etiam salvo rationis usu, mero se ingurgitant, cum gravi proximorum scandalo, v. gr. patresfamilias toti familiæ suæ grave per hoc præbentes offendiculum ; item Ecclesiastici, ex nimia compotatione, in publico titubantes, cum tanto graviori scandalo, quanto sanctius mi-

[1] Serm. 231 *de Tempore.*

nisterium in Ecclesia Dei subeunt; nam, *Cum aliis sobrietatis bonum deberent jugiter prædicare, non solum hoc non faciunt, sed etiam se aliosque inebriare non erubescunt; tales si se noluerint emendare, et pro se et pro aliis, necesse erit eis æterna supplicia sustinere.*

3° Qui ebriosis et ebrietati proximis vinum subministrant, ut caupones, nisi tamen eos excuset gravioris incommodi imminens periculum. Quia ad peccatum alienum concurrunt subministratione inebriantis materiæ.

Dices : Proximus se jam spiritualiter occidit per voluntatem se inebriandi ; ergo, etc.

Resp. *Nego cons.* Nam adhuc tenetur non concurrere ad istius voluntatis executionem, quomodo tenetur non concurrere ad executionem voluntatis se corporaliter occidendi, cum ebrietas opere consummata malum sit gravius morte corporali. Ergo a fortiori tenentur caupones ad externam ebrietatem non concurrere.

Resolves 2. Absolvendos non esse eos qui popinis frequentandis sunt assueti, nisi contra istam pravam consuetudinem viriliter pugnando, se emendaverint. Quia ista consuetudo, ut plurimum, est occasio gravium peccatorum; nimirum

1° Notabilium in potu excessuum in se et in aliis, qui ad similes excessus a combibitoribus provocantur.

2° Locutionum et factorum turpium , vel propriorum vel alienorum, quæ cooperanti, consulenti, vel alias consentienti imputantur ad culpam.

3° Imprecationum, blasphemiarum, perjuriorum quæ tam illic quam domi committuntur, quæ semper mala sunt, quia semper vergunt in diminutionem divini honoris.

4° Omnia mala oris quæ proferuntur in homines, quæ licet nullam dehonorationem erogent hominibus, semper tamen sunt vitanda.

5° Dilapidationis bonorum, quibus et familia susten-

tanda esset, vel filiis providendum, vel pauperibus succurrendum

6° Graviter afflictæ atque per illam dilapidationem irritatæ conjugis, si conjugatus sit; vel si sit filiusfamilias, parentum, qui mœrore et anxietate conficiuntur, dum merito timent ne in periculosa illi consortia incidant, et in mala quæ ex popinarum frequentatione evenire non ignorant.

7° Malorum exemplorum, quæ non solum domesticis et filiis suis dant, sed et aliis, quos suo pariter exemplo et consortio ad popinarum frequentationem alliciunt.

8° Profanationis dierum festivorum, qui licet ex præcepto sanctificandi sint solum per abstinentiam ab operibus servilibus corporalibus et auditione sacri, maxime tamen convenit ut etiam sanctificentur per abstinentiam ab operibus servilibus spiritualibus, id est, a peccatis, ut in variis suasum est Conciliis.

Ex his possunt concludere Confessarii quanto animi vigore, quantoque zelo debeant popinarum frequentationi adversari, quæ tantorum malorum est occasio proxima.

QUÆRES 7. *Utrum sese inebriare liceat ad mortem vitandam, aut alium inebriare, ut a majori peccato retrahatur?*

RESP. AD PRIMUM, *negative*, cum Div. Augustino [1] dicente: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: Aut bibas, aut morieris, melius erat ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.*

PROB. *Ratione.* Quod est intrinsece malum, nullo casu potest esse licitum, cum ex Apostolo *non sint facienda mala, ut eveniant bona;* atqui se privare usu rationis, quod est præcipuum hominis bonum, quo a brutis discernitur, est intrinsece malum: ergo, etc.

RESP. AD SECUNDUM, *affirmative satis probabiliter.* Ratio, quia licitum est paratum committere majus malum inducere ad minus patrandum, ut dicemus alibi.....

[1] Serm. 232 *de Tempore.*

Ita Lessius, Medina, Gab. Diana Tournely, S. Ligorius contra plures.

Objicies *contra primam responsionem*. Cum quis se inebriat ad vitandam mortem, non intendit privationem rationis, sed vitæ conservationem : ergo hoc est licitum.

Resp. *Dist. ant.* Non intendit privationem rationis, in actu signato, *conc.;* in actu exercito, *nego ant.* Cum enim quis intendit id a quo ex natura sua aliud sequitur, intendit illud ipsum in actu exercito ; et ideo SS. Patres excessum vini sine ulla exceptione semper damnarunt.

Inst. 1. Div. Thomas [1] dicit : *Cum aliquis multum comedit vel bibit, secundum consilium medicinæ, ad vomitum provocandum, non est reputandus superfluus cibus, vel potus.* Ergo ex consilio medici licitum est se inebriare ad recuperandam sanitatem.

Resp. *Nego conseq.* Equidem, ex consilio medici, licitum est largiore potu uti ad vomitum procurandum, sed salvo rationis usu, et ita ut non perveniatur ad ebrietatem. Unde Div. Thomas addit : *Nec tamen ad vomitum procurandum requiritur quod sit potus inebrians, quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat, et ideo propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate.*

Inst. 2. Div. Augustinus [2] dicit, *ebrietatem esse peccatum mortale, si sit assidua.* Ergo ebrietas semel commissa non est mortalis.

Resp. *Nego conseq.* Div. enim Augustinus hoc non ideo dicit, quod velit ebrietatem non esse peccatum mortale si semel duntaxat aut iterum committatur ; sed quia ebrietas semel commissa excusari potest a mortali, ob ignoratam vini fortitudinem ; nunquam autem sic excusari potest, si quis in eam frequenter inciderit ; et ita exponit Augustinum Div. Thomas citatus [3] : *Assiduitas facit ebrietatem esse peccatum mortale, non propter solam intentionem actus, sed quia non potest esse quod homo inebrietur, quin*

[1] Quæst. 150, art. 2, ad 3. — [2] Serm. *de Purgatorio*. — [3] Ad 1.

sciens et volens ebrietatem incurrat, dum multoties experitur fortitudinem vini et suam habilitatem ad ebrietatem.

Quæres 8. *An mala in ebrietate culpabili commissa imputentur ad culpam?*

Resp. Vel prævisa sunt ut verisimiliter secutura, vel nullo modo prævideri potuerunt; *si primum*, imputantur ad culpam, quia sunt voluntaria, saltem indirecte; qui enim vult causam, vult consequenter effectum, saltem indirecte, quod sufficit, ut fusius probavimus supra, ubi agebamus de peccatis ignorantiæ. Notandum tamen mala oris prolata in homines non esse tunc injuriosa, cum sine advertentia proferentur... *Si secundum*, non imputantur ad culpam, cum nullo modo sint voluntaria.

Quæres 9. *Quot sint filiæ gulæ?*

Resp. Sunt quinque mox enumerandæ ac definiendæ.

1° *Hebetudo mentis*, quæ est *stupiditas orta ex crapula*, propter fumositates ciborum perturbantes caput. Est mortalis, si quis per ipsam fiat ineptus ad præstanda graviter obligantia.

2° *Inepta lætitia*, quæ movet ad cantilenas obscœnas, motus lascivos, actus turpes, etc.; est mortalis.

3° *Scurrilitas*, quæ est *immoderatio in jocis et facetiis*; est plerumque peccatum veniale, dum personarum quidem decentia non servatur in jocis, sed abest scandalum et prava intentio. Est tamen quandoque peccatum mortale ratione objecti, si nempe jocus sit obscœnus, vel scandalosus, aut si Deo, Sanctis vel proximo sit graviter injuriosus. Unde sacrilega scurrilitas est, Scripturæ sacræ verbis abuti ad *scurrilia, fabulosa, vana*, ut declarat Concilium Tridentinum [1].

4° *Multiloquium*, quod ratione superfluitatis verborum est veniale peccatum; quod si tamen exeat in detractionem aut turpitudinem, est peccatum mortale, sed tunc *pertinet ad scurrilitatem*, ait Div. Thomas [2].

[1] Sess. 4. — [2] Quæst. 148, art. 6

5° *Immundi'tia*, quæ fit per pollutionem, semper est mortalis : unde Apostolus [1] dicit : *Fornicatio autem, et omnis immunditia aut avaritia, nec nominetur in vobis.*

QUÆSTIO VII.

DE LUXURIA.

Latissimam hanc materiam in tres articulos partiri necessarium duximus : primus erit de luxuria in genere ; secundus, de variis luxuriæ speciebus ; tertius, de impudicitia.

ARTICULUS I.

DE LUXURIA IN GENERE.

Quæres 1. *Quid sit luxuria, et quale peccatum ?*

Resp. ad primum. *Luxuria* est *inordinatus voluptatis venereæ appetitus vel usus.*

Resp. ad secundum. Luxuria est peccatum mortale ex genere suo, ut concedunt omnes, etc.

Prob. 1. Ex Apost. [2] : *Opera carnis. quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Prob. 2. *Ratione.* Inordinatio in materia gravi est peccatum mortale ex genere suo ; atqui luxuria est inordinatio in materia gravi ; cum enim usus rei venereæ ex natura sua sit institutus ad conservationem et propagationem generis humani, est res maxime gravis : ergo, etc. Circa quod

Nota. Licet prima fronte solum adulterium videatur prohiberi hoc præcepto : *Non mœchaberis*, omnem tamen om-

[1] Ephes. v. — [2] Ad Galatas v.

nino mentis, oris et corporis impudicitiam per illud vetari constat ex hoc Christi Domini oraculo : *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Si enim Christus solum aspectum mulieris, ad ejus concupiscentiam ordinatum, damnat, quanto magis tactus, oscula, pollutionem, fornicationem, etc.

Ex hoc principio facile deducitur, nullam in re venerea dari materiæ parvitatem, omneque luxuriæ peccatum esse semper mortale : tamen ut hæc veritas magis elucesceat,

Quæres 2. *An delectatio venerea admittat parvitatem materiæ?*

Nota. Triplicem in hac materia distingui delectationem, spiritualem nempe, mere sensibilem et veneream.

Delectatio *spiritualis*, est ea quæ in sola voluntate residet, absque ullo motu sensibili in corpore ; talis est delectatio qua quis in proximi miseriam exultat.

Delectatio *mere sensibilis*, seu *organica*, est ea quæ oritur ex conformitate rei tactæ aut visæ, cum organo tactus, aut visus, sine ulla commotione spirituum genitalium circa partes venereas, ita ut homo non delectetur, nisi de re blanda, leni, pulchra, etc. Talis est delectatio quæ percipitur ex gustu, musica, etc.

Delectatio *venerea*, seu *libidinosa*, est ea quæ sentitur circa partes venereas, ex commotione carnis spirituumque generationi inservientium.

Certum est 1° dari parvitatem materiæ in delectatione spirituali : unde si sit de actu mortali, est mortalis ; si sit de actu veniali, est venialis. Ratio, quia specificatur ab illo actu, ut objecto.

Certum est 2° dari levitatem materiæ ex delectatione mere sensibili, dum abest ulterioris turpis delectationis aut consensus periculum, quod aliquando contingere potest ; alias peccato mortali damnandæ forent matres ac nutrices, quæ cum suavitate et affectu teneram puerorum carnem osculantur. *Nec obstat* damnatio hujus proposi-

tionis ab Alexandro: *Probabilis est opinio quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.*

Resp. enim, quod S. Pont. hic loquatur de delectatione venerea et libidinosa, quæ satis exprimitur per hæc verba: *ob delectationem carnalem;* de sola ergo delectatione venerea potest esse difficultas, quæ ut solvatur, sit

CONCLUSIO

Non datur levitas materiæ in delectatione venerea. Est communis.

Prob. 1. Omnis delectatio venerea ex natura sua ordinatur ad seminis effusionem, estque inchoatio quædam illius; nam in omni delectatione venerea fit quædam resolutio seminis, ejusque deductio ad partes venereas, ut testantur Medici: ergo cum seminis effusio voluntaria, extra actum conjugalem, sit mortalis, omnis actus ad illam ex se tendens, est per se mortalis; nam dispositio specificam suam malitiam sumit a forma ad quam disponit, motus a termino ad quem tendit, medium a fine, etc.

Prob. 2. Ex Eccli. III: *Qui amat periculum, peribit in illo;* sed qui vel minimam delectationem veneream quærit, vel deliberate admittit, moraliter et practice loquendo, se exponit periculo peccati mortalis; moraliter enim impossibile est in re tam lubrica sistere in certa delectationis parvitate: ergo delectatio venerea, vel minima, quæsita aut admissa, est mortalis. Vide infra, art. 3 *de Impudicitia.*

Porro, cum tales actus sint ejusdem naturæ cum perfectis et consummatis, ideo in Confessione explicandum est, utrum sint habiti cum simili sexu, an diverso; cum libera vel conjugata; cum consanguinea, religiosa persona, etc.

DICES : In furto, in excessu cibi et potus, datur parvitas materiæ : ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* et paritatem. *Disparitas* est, quod rei vilis ablatio, levis excessus in cibo et potu, per se non ordinatur ad actum mortalem, nec inducit periculum graviter peccandi ; e contra delectatio venerea, vel minima, ex se ordinatur ad effusionem seminis mortaliter malam extra conjugium, et per se inducit periculum consentiendi majori delectationi.

QUÆRES 3. *Quid de motibus in parte inferiori exortis sit dicendum?*

RESP. Vel illis motibus data est occasio, vel insurgunt naturaliter sine data occasione. *Si primum,* voluntas debet ipsos per omnia media positiva reprimere, cum in sua causa sint voluntaria, et consequenter vera peccata. *Si secundum,* debet voluntas illos reprimere, saltem per actum simplicis displicentiæ, si sint vehementes. Quod

PROB. Ex Concil. Trident. [1] definiente *concupiscentiam non posse nocere non consentientibus, sed viriliter per gratiam repugnantibus.* Ergo, ut non noceat, non sufficit mera negatio consensus, sed requiritur repugnantia negative.

Dixi *saltem per actum displicentiæ simplicis ;* quia interdum non sufficit illa displicentia, sed illi motus prorsus expellendi sunt, præsertim deserendo actionem quæ eos excitat, nisi obstet justa causa, v. gr. si ad illos motus expellendos, dimittenda foret actio honesta, necessaria vel utilis, ut auditio confessionum, studium casuum conscientiæ ; tunc enim sufficiet displicentia vera, modo tamen non sit periculum consensus, in quo casu quilibet teneretur adhuc ab illis actionibus abstinere ex charitate sibi debita.

Porro, medium aptissimum motus illos compescendi, est mentem alio avertere, et si perseverent, orare, signo Cru-

[1] Sess., 5, cap. 5.

cis se munire, oculos ad imaginem Crucifixi convertere, cogitare de ejus passione, de morte, inferno, etc., applicare se negotio quod mentem occupet et a tali objecto avocet, ut dictum est supra [1].

QUÆRES 4. *Quænam sint filiæ luxuriæ ?*

RESP. Ex Div. Thoma [2], sunt octo : nempe quatuor *ex parte intellectus*, et quatuor *ex parte voluntatis*, quorum præcipuæ operationes impediuntur ac deordinantur per luxuriam.

1° Filiæ luxuriæ *ex parte intellectus* sunt :

Cæcitas mentis, qua debiti finis, quem sibi quisque in agendo præfigere debet, consideratio impeditur.

Præcipitatio, qua impedimur consilium de mediis ad finem illum consequendum eligendis.

Inconsideratio, qua impeditur sanum de agendis judicium, quatenus luxuriosus nec modum, nec statum rerum considerat.

Inconstantia, qua impeditur imperium rationis circa executionem agendorum.... Hæ quatuor filiæ luxuriæ sunt mortales, quando, propter illas, præceptum aliquod in re gravi violatur.

2° Filiæ luxuriæ *ex parte voluntatis* sunt :

Amor sui inordinatus, qua luxuriosus finem suum ultimum ponit in carne sua, obscœnisque illius ac præsentis sæculi voluptatibus, cogitationes suas ac curas ad illarum assecutionem referendo.

Odium Dei, luxuriam prohibentis ac punientis.

Affectus præsentis sæculi, quo luxuriosus ita voluptatibus corporeis inhæret, ut aliam beatitudinem non quæreret si eis semper perfrui posset. Hic Sap. II refertur, dicens : *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ, ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors.*

[1] Cap. 3, quæst. 2. — [2] Quæst. 153, art. 5

Horror et desperatio futuri sæculi, eo quod ex una parte, nihil ibi luxuriosus expectet, nisi gehennam luxuriosis præparatam; ex alia parte obscœnas voluptates deserere, sibi quasi impossibile reputet... Hæ quatuor filiæ sunt semper mortales.

QUÆRES 5. *Quot sint remedia contra luxuriam?*

RESP. Sequentia vulgo assignantur.

1° Oratio fervens ac frequens ad implorandum divinum auxilium, *Quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det,* ait Sap. VIII.

2° Custodia sensuum, tam internorum quam externorum, quia Jeremiæ IX : *Mors intrat per fenestras*, præsertim per aures, quia *corrumpunt bonos mores colloquia prava*[1], et per oculos, ut dicitur Eccli. IX : *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius... Propter speciem mulieris multi perierunt; et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Prout expertus est David oculos conjiciendo in Bersabee.

3° Fuga otii, ut nos semper diabolus inveniat occupatos, ne ex otiositate nostra aditum ad animas nostras valeat invenire.

4° Carnis macerationes et jejunia, dicente Christo[2] : *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem et jejunium.*

5° Assidua piorum librorum lectio, munimen sanctarum cogitationum, meditatio novissimorum, scriptum est enim : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.*

6° Vitatio occasionum, quales sunt frequentatio improborum, familiaritates inter personas diversi sexus, lectio librorum amatoriorum, etc.; nam Div. Augustinus ait: *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.*

7° *Optimum et probatissimum remedium pro consuetudi-*

[1] 1 Cor. XV. — [2] Matth. XVII. — Eccli. 6.

nariis in materia venerea, ait Doctor Dujardin [1], *est ut uno eodemque semper utantur Confessario, viro docto, pio et prudenti, ejusque monitis fideliter et constanter obtemperent.* « Hic enim remedia suggeret, quæ pœnitenti erunt uti« liora et huic tentationi superandæ aptiora, » ait P. Antoine.

ARTICULUS II.

DE VARIIS LUXURIÆ SPECIEBUS.

Nota. Septem sunt luxuriæ species : nempe simplex fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, sacrilegium et peccatum contra naturam, de quibus totuplici paragrapho.

§ I.

De fornicatione simplici.

QUÆRES 1. *Quid sit fornicatio simplex ?*

RESP. 1. Est *copula carnalis soluti cum soluta corrupta.*

Attende hic propositionem 25 damnatam ab Alexandro VI, quæ dicebat : *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens : Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

Dicitur 1° *soluti cum soluta*, uterque enim debet esse solutus, tum a vinculo matrimonii, tum a vinculo voti, ordinis sacri, cognationis et affinitatis; alias, si alteruter esset innexus vinculo matrimonii, esset adulterium; si vinculo voti, vel ordinis sacri, esset sacrilegium; si cognationis aut affinitatis, esset incestus, etc.

Dicitur 2° *corrupta*, quia, ex Div. Thoma [2], *fornicatio est concubitus qui fit cum mulieribus jam corruptis.*

QUÆRES 2. *Quale sit peccatum fornicatio ?*

[1] In lib. *De Officio Sacerdotis.* — [2] Quæst. 154, art. 6.

RESP. Est peccatum mortale, jure naturali prohibitum.

PROB. PRIMA PARS. Quod excludit a regno Dei, est peccatum mortale; atqui ex Apostolo[1]: *Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Dei et Christi:* ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Quod aversatur debitæ educationi ac instructioni prolis, est *intrinsece* malum; atqui fornicatio adversatur debitæ prolis educationi ac instructioni. Hæc enim requirit operam viri et feminæ, qui sint inter se conjuncti lege matrimonii; alioquin ex natura rei esset incerta et periculo exposita prolis educatio: ergo, etc.

OBJICIES: Fornicarii de prolis educatione convenire possunt, ita ut ipsi provideant: ergo in hoc casu fornicatio non est intrinsece mala

RESP. *Nego conseq.* Quia ut fornicatio sit intrinsece mala, sufficit ut proli *de se* sit nociva, licet quandoque per *accidens* ei non noceat; equidem in casu proposito non noceret, sed hoc esset per accidens; unde debuit ab auctore naturæ generaliter prohiberi pro omni casu, et de facto prohibita est, ut constat ex hac 50 propositione ab Innocentio XI damnata: *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

QUÆRES 3. *An fornicatio cum meretrice sit gravior fornicatione cum alia femina soluta?*

RESP. *affirm.* Quia maris et feminæ commixtio, ex naturali institutione, non solum ordinatur ad convenientem prolis educationem, sed imprimis ad ejus generationem; atqui generatio prolis impeditur per fornicationem cum meretrice: ergo, etc.

QUÆRES 4. *Utrum fornicatio cum concubina sit gravior fornicatione cum meretrice?*

RESP. *affirm.* Quia in concubinatu homo non solum peccat, sed est in habitu peccandi, et in continuo proposito

[1] Ephes. v.

fornicandi permanet; atqui in tali fornicatione gravior est inordinatio quam in accessu ex occasione ad meretricem: ergo, etc. Hinc Concil. Tridentin. [1] statuit ut concubinarius, si ter monitus ab Episcopo non resipiscat, excommunicetur, concubina vero e Diœcesi ejiciatur... Quare concubinarius non debet regulariter absolvi, quin concubinam ejecerit; quod si mors ita immineat, ut non sit tempus eam abjiciendi, tunc sufficiet verum eam ejiciendi propositum.

Dixi *regulariter*, quia dantur casus, etsi rarissimi, in quibus aliter fieri potest; sic absolvi posset ille qui concubinam e domo ejicere, vel concubina quæ egredi e domo nequiret nisi cum gravi damno famæ vel fortunæ; sed tunc omnino expedit ut differatur absolutio, donec experimento probetur continentia pœnitentis, nisi alias bene dispositus, ut supponitur, redire non posset ad confitendum, vel immineret necessitas communicandi ad vitandam positivam infamiam [2].

Quæres 5. *Utrum fornicatio cum infideli sit gravior quam cum fideli?*

Resp. Cum de Lugo et pluribus aliis, quod non solum sit gravior, sed et mutet speciem, quia non solum est contra castitatem, sed etiam contra virtutem religionis; Ecclesia enim vetat matrimonium fidelis cum infideli propter honorem religionis catholicæ, atque propter periculum defectionis a vera fide; atqui contra illud utrumque pugnat similiter fornicatio fidelis cum infideli: ergo similiter vergit in dedecus religionis.

Quæres 6. *An permitti possint meretrices?*

Resp. Alii probabiliter *affirmant* cum S. August. [3], qui dicit: *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Demptis enim meretricibus, pejora peccata evenirent, nempe sodomiæ, bestialitatis, mollitierum,

[1] Sess. 24 *de Reform. matrim.*, cap. 8. — [2] S. Ligor., lib. IV, num. 435. — [3] Lib. II *de Ord.*, cap. 4.

et mulierum honestarum provocationis. Ita cum S. Thom., Salmant., Covar., Trul., Ledesma et alii.

Alii vero practice probabilius *negant*, saltem si excipias vastissimas urbes. Ratio, quia per meretrices hæc mala graviora non evitantur, ut luctuosa probat quotidiana experientia; quo enim magis frequentantur meretrices, eo altiores libido figit radices; et e converso, suppositis meretricibus, innumera alia mala superadduntur, v. gr. plures puellæ prostituuntur, adolescentes parentes parvipendunt, bona dissipant, studia scientiarum negligunt, rixas excitant, honestas nuptias respuunt, etc. Ita Roncaglia, Navar., et alii plures cum S. Ligorio [1].

§ II.

De Adulterio.

Quæres 1. *Quid sit adulterium?*

Resp. Est *copula inter personas quarum alterutra, vel utraque est conjuncta matrimonio cum alia tertia* ... Tribus ergo modis committitur: 1° per accessum soluti ad conjugatam; 2° per accessum conjugati ad solutam; 3° per accessum conjugati ad conjugatam non suam. In tertio hoc casu, duplex violatur thorus, duplex proinde committitur adulterium propter duplicem injuriam in Confessione aperiendam; quarum una in proprium, vel propriam conjugem, altera in conjugem alterius committitur.

Quæres 2. *Quale sit peccatum adulterium?*

Resp. Est peccatum mortale gravissimum, a regno Dei excludens, teste Apostolo [2]. *Neque adulteri, neque molles ... regnum Dei possidebunt.*

Ratio est, quia, ultra turpitudinem quæ reperitur in simplici fornicatione, gravem injuriam infert: 1° in compartem cujus thorus violatur, cum dicat Apostolus [3]: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem*

[1] Lib. IV., num. 134. — [2] 1 Cor. VI. — [3] 1 Cor. VII.

et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier; 2° in matrimonii Sacramentum, cujus dignatus violatur, significataque per illud conjunctio Christi cum Ecclesia sponsa ejus unica, nam *Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico, in Christo et in Ecclesia*; 3° in pacem conjugalem, quæ per adulterium perturbata impeditur bonum prolis ex isto conjugio procreatæ vel procreandæ.

Quæres 3. *Quodnam inter adulterium soluti cum conjugata, vel conjugati cum soluta, sit gravius?*

Resp. Gravius est peccatum, si mulier sit conjugata, quam si solus vir, quia id naturæ magis contrarium est. Copula siquidem cum conjugata generationem quandoque impedit, aut si non impediat, prolem incertam reddit, supponitque prolem alienam marito cum damno veri hæredis. Unde hæc circumstantia in Confessione declarari debet etiam ab adultero, quia ipse cooperatur feminæ ad illam gravitatem majorem, et ad damna inde secutura.

Quæres 4. *Si conjux adulterantis consentiat, an concubitus erit contra justitiam.*

Resp. *affirm.* Quia sicut maritus cedere non potest juri quod habet in corpus suum, ita nec juri quod habet in corpus uxoris; alias vir et uxor sibi invicem valide remittere possent jus totum quod in mutua habent corpora, sicque matrimonium suum, licet consummatum, dissolvere, cum tamen Christus dicat : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Igitur, cum cessio juris nulla sit, totum jus manet quod violatur, ideoque semper verum est adulterium. Hinc Innocentius XI damnavit hanc propositionem : *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, ideoque sufficit in Confessione dicere. se esse fornicatum.*

§ III.

De Stupro.

QUÆRES 1. *Quid sit stuprum?*

RESP. Est *illicita virginis defloratio.*

Dicitur 1° *illicita defloratio*, id est facta per copulam carnalem extra matrimonium.

Dicitur 2° *virginis;* quia concubitus cum corrupta, etiam violentus, licet contineat specialem malitiam injustitiæ, non est tamen proprie stuprum, cum non sit violata corporis integritas. Porro, nomine *virginis*, tam intelligitur masculus, quam femina; ideoque stupratrices sunt mulieres quæ vi, metu, dolis ac importunis sollicitationibus, virginitatis florem adolescentibus excerpunt.

QUÆRES 2. *Quale sit peccatum stuprum?*

Ante responsionem, *nota* stuprum posse committi tripliciter: 1° cum virgine coacta, vel per dolum seu fraudem seducta, 2° cum virgine ultro consentiente, sed invitis parentibus aut tutoribus, sub quorum est custodia; 3° cum virgine ultro consentiente, consentientibusque parentibus ejus integritatis custodibus. His positis,

RESP. 1. Si stuprum fiat cum virgine coacta, aut per dolum seducta, ultra malitiam fornicationis simplicis, *habet duplicem malitiam annexam*, ait Div. Thomas [1], *unam ex parte virginis, quam etsi non vi corrumpat* stuprator, *tamen eam seducit, et sic tenetur ei satisfacere,* nempe propter honorem virginitatis per vim aut per fraudem ademptum... *Aliam vero injuriam facit patri puellæ,* sub cujus est custodia, *et ei secundum legem* [2] *tenetur ad pœnam*, tum quia jus custodiæ integritatis suarum filiarum violatur; tum quia constituuntur in periculo augendi dotem, vel innuptas retinendi filias.

RESP. 2. Si stuprum fiat ultro consentiente virgine, sed

[1] 2 2, quæst. 154, art. 6, ad 3. — [2] Deut. XXII.

invitis parentibus vel tutoribus, tunc habet speciem simplicis fornicationis, sed potest habere specialem malitiam injuriæ ex parte parentum vel tutorum, sub quorum est custodia. Parentes enim jure naturali custodes sunt ac depositarii corporis filiarum suarum et illius integritatis usque ad matrimonium, ita ut, ipsis invitis, nequeant absque injuria ipsorum se violandas tradere extra matrimonium, juxta communem Doctorum sententiam, quam insinuat Spiritus Sanctus[1], dicens : *Filiæ tibi sunt? custodi corpus earum.* Et[2] : *Super filiam luxuriosam confirma custodiam, nequando faciat se in opprobrium venire inimicis.*

Resp. 3. Si stuprum fiat ultro consentientibus puella et parentibus aut tutoribus, sub quorum est custodia, est adhuc peccatum gravius simplici fornicatione, sed probabilius et communius non specie ab ea distinctum.

Dixi *probabilius*, quia quidam aliter sentiunt, et probare volunt ratione Div. Thomæ hic : *Ubi circa materiam alicujus vitii occurrit aliqua specialis deformitas, ibi debet poni determinata species illius vitii;* atqui in stupro, etiam cum consensu puellæ et parentum commisso, occurrit specialis deformitas ex parte puellæ, quæ per hoc, contra charitatem sibi debitam, perdit signaculum virginitatis, amittit pudorem et inde exponitur periculo relabendi, seu, ut ait Div. Thomas, *ponitur in via meretricandi, a quo retrahebatur, ne signaculum virginitatis amitteret.* Cui deformitati cum cooperetur stuprator, tam ille quam stuprata, inquiunt, illam circumstantiam debent exprimere in Confessione. At hæ circumstantiæ, licet graves, non mutant speciem peccati.

[1] Eccl. VII. — Ibid., cap. XLII.

§ IV.

De Raptu

Quæres 1. *Quid sit raptus?*

Resp. Raptus est *violenta alicujus personæ abductio, libidinis explendæ causa.*

Dicitur 1° *abductio*, id est, translatio de loco in locum ab alio moraliter distantem; qui enim puellam ad aliquos tantum passus traheret, libidinis explendæ gratia, non esset raptor, sed stuprator.

Dicitur 2° *violenta*, sive persona rapta sit invita, sive, ipsa consentiente, inviti sint hi quorum curæ commissa est, nempe parentes, tutores, maritus, etc.

Excipe 1° Si sponsus abducat sponsam consentientem, etiam repugnantibus parentibus; quia ratione sponsalium quoddam jus habet in ipsam.

Excipe 2° Si puella sponte discedat cum amasio, insciis parentibus, tunc enim est fuga, non raptus.

Dicitur 3° *alicujus personæ;* sive sit mas, sive femina; sive nupta aut innupta; sive virgo aut corrupta. In quo raptus, qui est species luxuriæ, differt a raptu qui est impedimentum matrimonii, ad quem requiritur ut persona rapta sit femina, ut constat ex Tridentino [1].

Dicitur 4° *libidinis explendæ causa*, 1° quia si fieret ob alium quemvis finem, non esset verus raptus, sed plagiatus; 2° quia, ut verus sit raptus qui sit species luxuriæ, requiritur actualis expletio libidinis; in quo iterum differt a raptu, qui est impedimentum matrimonii, ad quem non requiritur ut libido actu expleatur; sed sufficit ut mulier fuerit per vim abducta cum intentione explendæ cum ea libidinis.

Quæres 2. *Quale sit peccatum raptus?*

Resp. Est peccatum ex genere suo mortale, ab aliis

[1] Scss. 24, cap. 6 *de Ref. matrim.*

speciebus distinctum, cum duplicem contineat malitiam mortalem: unam contra castitatem, alteram contra justitiam, ob injuriam abductionis, propter quam gravissimæ in utroque jure statuuntur pœnæ.

§ V.

De Incestu.

Quæres 1. *Quid sit incestus?*

Resp. Est *peccatum luxuriæ inter personas consanguineas aut affines, intra gradus prohibitos.*

Dicitur 1° *peccatum luxuriæ*, sive *incompletum*, qualia sunt desideria, tactus, oscula, etc., quæ rationem incestus participant, cum induant malitiam actus principalis ad quem ordinantur; sive *completum*, copula nimirum sive naturali, sive sodomitica; sodomiticus enim concubitus reverentiam parentibus debitam non minus offendit, quam naturalis.

Dicitur 2° *intra gradus prohibitos*, quales sunt omnes gradus consanguinitatis sicut et affinitatis ex matrimonio contractæ, usque ad quartum gradum inclusive, intra quos etiam matrimonium inter se contrahere prohibentur cognati cognatione spirituali et legali; incestuosa proinde est talium inter se carnalis copula, et quidem speciei diversæ, licet probabilius non sit explicandus gradus cognationis in confessione.

Objicies: Definitio quam damus incestus, est manca: ergo, etc.

Prob. ant. Copula Confessarii cum pœnitente est incestus; atqui non comprehenditur in definitione a nobis data: ergo, etc.

Prob. maj. Mulier pœnitens est spiritualis filia Confessarii, (juxta can. *Omnes* [1],) *Omnes quos in pœnitentia suscipimus*, ita nostri sunt spirituales filii, sicut illi quos in

[1] 30, quæst. 1.

Baptismo suscipimus. Ergo copula Confessarii cum ipsa est incestus.

Resp. *Nego conseq.* Nam pœnitentes eo tantum modo sunt filii nostri spirituales, quo filii nostri sunt ii quos prædicatione a statu peccati ad statum gratiæ revocavimus; atqui illa filiatio non inducit cognationem spiritualem, cum Bonifacius VIII [1] declaret ex nullo alio Sacramento oriri cognationem spiritualem, quam ex Baptismo et Confirmatione : ergo talis copula non est incestus, sed sacrilegium gravius quocumque alio sacrilegio venereo.

Quæres 2. *Quale sit peccatum incestus?*

Resp. Est gravissimum peccatum duplicem habens malitiam, unam contra castitatem, alteram contra pietatem; nam præter luxuriæ fœditatem, continet turpitudinem contrariam reverentiæ consanguineis vel affinibus debitæ;... eo gravius scelus est, quo gradus est propinquior; nam consanguineis et affinibus pro diversitate graduum, diversus honor et pietas debentur, qui per incestum violantur... *Item*, majus peccatum cum consanguinea quam cum affine, quia vinculum illud est multo arctius; majus cum cognata vel affine quam cum cognata spirituali; unde has omnes circumstantias declarare in Confessione saltem securius est.

Dixi *saltem securius est*, quia juxta plures Theologos, incestus cum consanguinea specie differt ab incestu cum affine, ob specialem reverentiam consanguineo præ affine debitam; nam, inquiunt, motivum reverentiæ affinibus debitæ, est copula vel matrimonium cum aliquo consanguineorum : ergo cum sit motivum reverentiæ specie diversum, est etiam incestus difformitas specie diversa. Verum Div. Thomas [2] est contrariæ opinionis, dicens : *Persona affinis conjungitur alicui propter personam consanguinitate conjunctam; et ideo quia unum est propter alterum, ejusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas et affi-*

[1] Cap. ult. *de Cognat. spirit.* — [2] 2 2, quæst. 154, art. 9, ad 2.

nitas. Excipiendum tamen incestum inter privignum (fils du premier lit) et novercam (marâtre), interque socerum et nurum, quia motivum quo prohibetur congressus parentum cum filiis, id ipsum est quo prohibetur congressus inter prædictas personas [1].

Nota autem hic, quod si propinqui, obtenta dispensatione ad contrahendum matrimonium, rem inter se habeant ante matrimonium, probabiliter non committunt incestum, sed simplicem tantum fornicationem. Ratio, quia, sublata prohibitione matrimonii, aufertur etiam ratio speciei suæ fornicationis.

§ VI.

De Sacrilegio venereo.

Quæres 1. *Quid sit sacrilegium venereum?*

Resp. Est *rei sacræ violatio per actum venereum.*

Dicitur *rei sacræ*, per quam intelligitur: 1° locus sacer, id est omnis locus ab Episcopo benedictus et deputatus ad officia divina vel ad mortuos sepeliendos, a tecto usque ad pavimentum, non autem cellæ, dormitorium, claustrum, sacristia, tectum et atrium ecclesiæ, nec oratoria præter ea quæ sunt erecta auctoritate Episcopi, et omnes ibi Missam audire possint; 2° res sacra, v. gr. abuti rebus sacris ad turpiter peccandum aut se polluere indutum ad Missam, etc.; 3° persona peculiari ritu Deo consecrata, sive per votum simplex, sive per votum solemne castitatis, sive per susceptionem Ordinis sacri.

Hinc, sacrilegium est: 1° actus venereus externus sive aliunde licitus, sed non necessarius, sive illicitus in loco sacro exercitus. Tales sunt copula conjugalis etiam occulta, nisi sit moraliter necessaria ad vitandam incontinentiam, v. gr. si sponsi per viginti dies in ecclesia permanere deberent; fornicatio, pollutio, tactus impudici, etc.;

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 469.

licet enim necessaria sit seminis effusio ad pollutionem loci sacri talem ut indigeat reconciliatione, non est tamen necessaria ad sacrilegium; unde tactus impudici in loco sacro exerciti, sunt sacrilegium, quia sunt contra reverentiam loci sacri.

2° Peccatum luxuriæ, sive consummatæ, sive non consummatæ, a persona sacra, sive opere, sive mente admissum.

3° Peccatum a persona non sacra commissum cum sacra, vel circa personam sacram; v. gr. pollutio, oscula, delectatio morosa, etc.... Quod si utraque sit sacra, vel si persona sacra eam turpitudinem exerceat cum non sacra in loco sacro, erit duplex sacrilegium in Confessione aperiendum; nam violatur sanctitas loci et personæ.

Quæres 2. *Quale sit peccatum sacrilegium venereum?*

Resp. Est peccatum gravissimum, duplicem continens malitiam, unam contra castitatem, et alteram contra religionem, qua gravis Deo irrogatur injuria.

Porro, sacrilegium tanto gravius est, quanto persona quæ violatur, strictius Deo est conjuncta. Unde gravius sacrilegium committit Sacerdos quam Clericus; gravius Religiosus quam qui voto tantum simplici adstrictus est; non tamen gravius Sacerdos regularis quam sæcularis, quia votum castitatis annexum est religiosæ professioni et suis ordinibus. Quare omnes illæ circumstantiæ non sunt ex præcepto declarandæ in Confessione, quia est moraliter una numero malitia.

§ VII.

De peccato contra naturam.

Nota. Peccatum contra naturam est *voluntaria seminis effusio contra ordinem naturalem venerei actus, qui convenit humanæ speciei.* Quadruplex est: scilicet, *pollutio* seu *mollities*, *sodomia*, *bestialitas* et *inordinatus concubitus;*

quia inter se differunt specie, ut constat ex decreto Alexandri VII, quo sequentem damnavit propositionem: *Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere se procurasse pollutionem.*

PUNCTUM I.

De Mollitie, seu Pollutione.

Quæres 1. *Quid sit pollutio?*

Resp. Est *voluntaria seminis effusio extra copulam quamcumque.*

Dicitur 1° *seminis effusio*, sive ut foras effundatur, ut in maribus; sive intus diffluat in matricem, ut in feminis; ut distinguatur ab illo humoris fluxu qui a Doctoribus appellari solet *distillatio*, qui non est pollutio; nam, *ut dicunt Medici*, ait Div. Thomas [1], *sine libidinosa delectatione et carnis rebellione, nullus potest pollui vigilando, secus distillationem pati.* Et ideo cum distillatio accidit sine delectatione carnisque rebellione, timorata mens anxiari non debet, ut communiter observant Doctores. Dum vero accidit cum delectatione et carnis rebellione, tunc non licet eam promovere, nec in annexa delectatione sibi complacere, utpote libidinosa, sive orta ex commotione spirituum generationi servientium.

Dicitur 2° *voluntaria*, quia si non sit voluntaria nec in se, nec in causa (ut sæpe fit in somno, vel quando ex causis naturalibus oritur), non est peccatum, modo absit consensus et complacentia in illam.

Quæres 2. *Quale sit peccatum mollities?*

Resp. Est peccatum mortale per se, et quidem gravius fornicatione.

Prob. prima pars. Quod excludit a regno cœlorum est peccatum mortale; atqui mollities excludit a regno cœlo-

[1] Opusc. 64.

rum : *Neque adulteri*, inquit Apostolus [1], *neque molles regnum Dei possidebunt* ; ergo, etc.

Prob. secunda pars. Quod est intrinsece malum et jure naturali prohibitum, est *per se* peccatum ; atqui mollities est intrinsece mala et jure naturali prohibita, nam graviter repugnat generationi, ad quam ex natura sua ordinatum est semen humanum : ergo, etc. Hinc jure merito Innocentius XI damnavit hanc propositionem : *Mollities jure naturæ prohibita non est ; unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona.*

Prob. tertia pars. Quod directe tollit generationem, est peccatum gravius ipsa fornicatione ; atqui mollities directe tollit generationem : ergo, etc. Unde Scriptura [2] de Onan fundente semen in terram ait : *Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.* Ex his

Colliges 1. Nullo unquam casu, etiam vitandæ mortis, licere in se, vel in alio, quovis modo pollutionem procurare, admittere, vel intendere, imo nec aliquid sumere ea intentione ut in somno accidat ; quia ipse actus pollutionis secundum se, independenter a delectatione, graviter repugnat generationi.

Objicies : Ad conservandam vitam, abscindere licet corporis partes : ergo licet effundere semen ad ejusdem vitæ conservationem.

Resp. *Neg. conseq.* Disparitas est, quod partes corporis per se et primario ordinentur ad totum constituendum, quare de illis disponere licet ad totius conservationem ; semen vero humanum solum constitutum est ad speciei propagationem, ideoque eo uti non licet, nisi modo ad speciei conservationem idoneo et intra matrimonium.

Si tamen, judicio medicorum, semen transierit in materiam venenosam, licet eum medicamentis expellere, etsi præter intentionem sequatur aliqua seminis effusio, modo id fieri possit sine sensu libidinis, et alia non suppetentur

[1] I. Corinth. VI. — [2] Gen. XXXVIII.

remedia ad expellendum semen corruptum, quia tunc per accidens sequitur pollutio. Nunquam tamen est licitum tactu semen corruptum expellere, ut tenet communis sententia.

Colliges 2. Quamvis desiderare simplici et inefficaci desiderio non sit illicitum, vel ob sanitatem recuperandam, vel ad tentationem vincendam, ut pollutio naturaliter eveniat; tamen hujusmodi desideria simplicia sunt inutilia, nec periculo carent; non licet autem hæc efficaci desiderio optare, quia pollutio est mala ex objecto suo et natura; at non licet ob quemvis finem efficaciter desiderare id quod est malum ex natura sua : ergo, etc.

Colliges 3. Non licere de pollutione naturaliter habita gaudere, propter eamdem rationem, si pollutio sit orta ex somno turpi vel ex tactu proprio. Est tamen licitum gaudere de bono effectu ex illa secuto vel de ea ipsa, via naturali et sine peccato facta, quia objectum istius gaudii non est malum.

Colliges 4. Dum incipit naturaliter pollutio, tenemur eam cohibere, si possimus absque gravi nostro incommodo, et hoc non solum propter consensus periculum, sed præcise quia pollutio secundum se graviter repugnat generationi, ad quam ex natura sua semen est ordinatum. Quod si non possimus eam cohibere, tunc talem effusionem possumus pati ex necessitate, modo tamen reprimamus delectationem per positivam displicentiam internam; nam non licet indifferenter se habere ad illam.

Nota. Sæpe pollutio, præter propriam malitiam, adjunctam habet aliam petitam ex qualitate personæ se polluentis, quæ si sit sacra, est sacrilegium; si conjugata, est inchoatum adulterium, cum ejus caro dividatur contra fidem datam et exigentiam matrimonii; si habet affectum ad aliam, cum qua desiderat copulam habere, et illa sit soluta, fornicatio; si sacra, est sacrilegium; si ejusdem sexus, est sodomia, etc. Quod si duo se invicem polluant,

est scandalum, se enim suo et alieno peccato contaminant, et ad illud se mutuo incitant. Propterea illæ circumstantiæ sunt declarandæ in Confessione.

Quæres 3. *An et quale sit peccatum pollutio ejus qui non abstinet ab actione ex qua prævidet secuturam pollutionem ?*

Nota. Actio quæ est causa pollutionis potest in ipsam graviter vel leviter influere ; unde

Resp. 1. Si causa pollutionis est in ipsam graviter influens, peccat mortaliter qui sine justa causa non abstinet ab illa ponenda, etiamsi pollutio non fuerit intenta, modo saltem in confuso sit prævisa ; tales sunt omnes illæ causæ quæ per se sunt graves culpæ in genere luxuriæ, de quibus dictum est supra. Ita S. Thomas [1], S. Ligorius [2] et alii communiter.

Dixi *sine justa causa ;* nam si fuerit causa necessaria, vel utilis, vel conveniens animæ vel corpori, tunc vi illius causæ licite ponitur actio, nec pollutiones ex ipsa provenientes, licet prævisæ, sunt peccata, dummodo absit consensus, vel ejus periculum, juxta Div. Thomam dicentem : *Quando unius causæ est duplex effectus æque immediatus, unus bonus, alter malus, et bonus æquivalet malo, nihil prohibet bonum intendi et malum permitti.* Hinc

Resolves 1. Nonobstante prævisa pollutione involuntaria, licet 1° Confessariis audire confessiones mulierum, legere tractatus de rebus turpibus ; 2° chirurgis licet aspicere et tangere partes feminæ ægrotantis, ac studere rebus medicis ; 3° licet quoque aliis alloqui, osculari mulieres juxta morem patriæ, servire in balneis, seipsum tangere in verendis ad magnum et valde molestum pruritum abigendum, etiamsi pollutio sequatur, in quo tamen non est sibi fucum facere, facilis enim est deceptio ; 4° licet, etiam prævisa pollutione, equitare causa utilitatis et recreationis, decumbere aliquo situ ad commodius quiescendum, cibos calidos aut potus moderate sumere,

[1] 2 2, quæst. 154, art. 5. — [2] Lib. IV, num. 482.

honestas choreas ducere, et similia. Ita passim Doctores, cum S. Lig. [3].

Resp. 2. Si causa prævisæ pollutionis quæ involuntarie sequitur est in ipsam leviter influens, tunc, juxta communem et probabiliorem sententiam, ut pollutio sit mortalis, debet provenire ex causa per se mortali in genere luxuriæ; alias erit tantum venialis. Etenim 1° causa debet esse per se mortalis, quia cum pollutio non sit volita in se, sed tantum in sua causa, tantum est peccatum, quantum est in ipsa. 2° Causa debet esse mortalis in eodem genere luxuriæ; nam cum pollutio sit tantum volita in causa, tantum erit peccatum, quantum erit obligatio non ponendi causam; atqui obligatio non ponendi causam non est de se gravis, cum causa leviter influit in pollutionem : ergo, si causa leviter influens non est gravis in genere luxuriæ, vel si sit mortalis, sed in alio genere, pollutio secuta erit tantum venialiter mala. Hinc

Resolves 1. Non est nisi venialis pollutio, quæ involuntarie et raro tantum oritur ex colloquio non diuturno cum puella, vel ex aspectu, vel lectione venialiter turpi, vel ob curiositatem facta.

Resolves 2. Non est nisi venialis pollutio quæ præter intentionem accidit ex causa illicita, quamvis mortaliter mala, sed in alio genere quam luxuriæ, v. gr. ex ebrietate, vel ex comessatione carnium nimis immoderata, aut in die vetito. Ita *communiter.*

Cæterum hæc dicta sint potius de peccatis jam commissis, ut Confessarii rectum ferant judicium, quam de committendis, *quia in hac materia sexti præcepti*, monet S. Ligorius, *oportet, quantum possibile est, omnem adhibere severitatem... cum in hac materia, ad quam homines naturaliter sunt proni, de facili a minoribus ad ulteriora mala ipsi progrediuntur.*

[3] Loco citato.

PUNCTUM II.

De Sodomia.

QUÆRES 1. *Quid sit sodomia?*

RESP. Est *coitus libidinosus personarum ejusdem sexus, vel diversi sexus in vase indebito;* unde

Sodomia duplex est: alia *perfecta*, alia *imperfecta*.

Perfecta, est congressus duorum ejusdem sexus.

Imperfecta, est congressus maris cum femina, non servatis debitis organis, seu instrumentis naturalibus. Vocatur *imperfecta*, quia non est affectus ad sexum indebitum, proindeque specie differt a perfecta, licet utraque sit gravissimum peccatum reservatum *in aliquibus locis*.

QUÆRES 2. *Quale sit peccatum sodomia?*

RESP. Est peccatum ita grave, ut *nefandum* antonomastice dicatur, eo quod malitiam ipsius lingua exprimere non sufficiat. Apostolus illud vocat passionem ignominiæ[1], et loquens de idololatris superbis dicit: *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.*

Porro, sodomia, præter propriam malitiam, potest habere alias deformitates adjunctas, v. gr. adulterii, si fiat a persona conjugata, vel cum illa, ut tenet communis sententia contra paucos; sacrilegii, si fiat a persona sacra, vel cum illa, etc.; quæ omnia sunt in Confessione declaranda, et in casu sodomiæ, debet explicari sodomiam commissam esse cum propria conjuge.

QUÆRES 3. *Quibus pœnis plectatur sodomita?*

Resp. Jure civili punitur pœna ignis, juxta Codicem Theodosianum[2].

[1] Rom. I. — [2] Leg. IX, tit. 7

Juxta Canones vero, si sit Laicus, excommunicandus est [1]; si sit Clericus, eum e Clero dejici jubet Leo X [2].

PUNCTUM III.

De Bestialitate.

Quæres 1. *Quid sit bestialitas?*

Resp. Est *coitus cum bestia.*

Quæres 2. *Quale sit peccatum bestialitas?*

Resp. Est peccatum horrendum, et, ut ait Div. Thomas [3], *inter vitia quæ sunt contra naturam gravissimum, quia non servatur debita species. Unde super illud Gen.* [4]: Accusavit (Joseph) fratres suos apud patrem de crimine pessimo, *dicit Glossa, quod cum pecoribus miscebantur.* Ratio est, quia nullum est peccatum quod naturæ rationali magis contrarietur.

Ad bestialitatem reducitur concubitus cum dæmone apparente in forma juvenis, vel feminæ conjugatæ, monialis, etc., qui non tantum est peccatum luxuriæ contra naturam, sed etiam contra virtutem religionis, propter commercium cum capitali hoste Dei totiusque generis humani. De hoc horrido peccato sic statuitur [5]: *Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite.*

PUNCTUM IV.

De inordinato Concubitu.

Quæres 1. *Quid sit inordinatus concubitus?*

Resp. Est *is in quo non servatur ordo naturalis concumbendi.* Talis ordo non servatur, 1° si a latere copula habeatur; 2° si stando vel sedendo; 3° si viro succumbente, vel averse accedente, more pecorum.

Quæres 2. *Quale sit peccatum inordinatus concubitus?*

[1] Cap. *Clerici, de Excess. Prælat.* — [2] Bulla *Superno.* — [3] 2 2, quæst. 154, ad 4. — [4] Cap. XXXVII. — [5] Lev. XX.

Resp. *cum distinctione*. Si in tali deordinatione sit periculum semen extra vas effundendi, impediendi generationem, aut prolem conceptam suffocandi, est peccatum mortale, quia semen frustratur fine ad quem ordinatum est. *Si hæc absint*, est grave peccatum veniale, nec contra, sed præter naturam ; non vero est *de se* mortale.

Dixi *de se*, quia potest esse, et plerumque est signum concupiscentiæ mortalis, cum fiat ex sola libidine sine causa ; sed nullum erit peccatum si hoc fiat ex necessitate, cum scilicet conjuges, ob indispositionem alterutrius corporis, non possunt servare modum ordinarium, modo diligenter caveatur periculum effusionis extra vas.

ARTICULUS III.

DE IMPUDICITIA.

Nota. Impudicitia est peccatum luxuriæ, in qua non intervenit effusio seminis. Unde vocatur luxuria imperfecta, consistitque in osculis venereis, tactibus, aspectibus impudicis, scriptis et verbis turpibus, et repræsentationibus lascivis. Hæc omnia esse mortalia *ex se* constat tum ex Apostolo [1] dicente : *Opera carnis quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria... quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur ;* tum quia in peccato luxuriæ non datur parvitas materiæ. Tamen ad clariorem elucidationem,

Quæres 1. *Quid de osculis sit dicendum ?*

Resp. Oscula, amplexus, si juxta morem patriæ fiant, urbanitatis, pacis aut benevolentiæ causa, non sunt peccata per se, etiamsi delectatio venerea suboriatur, quia, ut ait Div. Thom. [2], *Possunt hæc absque libidine fieri, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem aut rationabilem causam*. Tamen per accidens pos-

[1] Gal. IX. — [2] Quæst. 154, art. 4.

sunt esse peccata, v. gr. ob scandalum, vel periculum carnalis delectationis, si cum mora vel ardore habeantur.

Si vero ista fiant ex aliqua vanitate, joco, levitate, juxta multos, sunt solum venialia, modo absit affectus libidinosus tum in se, tum in alio... Quod si sine causa crebro fiant inter personas libidinis capaces, possunt esse mortalia, quia excitant delectationem veneream; quæ enim crebro fiunt ex curiositate aut levitate in materia tam lubrica, degenerant in libidinem. Quare, admittens oscula crebra ordinarie, peccat mortaliter, quia cooperatur affectui libidinoso alterius.

Quod si oscula, amplexus, etc., sint libidinosa, sunt mortalia, ut docet Div. Thom. [1] dicens: *Consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale, et non solum consensus in actum. Et ideo fornicatio, cum sit peccatum mortale, consequens est quod consensus in delectationem talis peccati, sit peccatum mortale, et non solum consensus in actum. Et ideo cum oscula et amplexus hujusmodi, propter delectationem hujusmodi*, id est fornicationis, *fiant, consequens est quod sint peccata mortalia; et sic solum dicuntur libidinosa.* Ex hoc textu

Sequitur quod osculum libidinosum sit illud quod habetur ob delectationem concubitus cogitati cum persona quæ deosculatur, etiamsi absit periculum consensus ulterioris vel pollutionis.

Quæres 2. *Quid de tactibus sit dicendum?*

Resp. Tactus ex joco, vel levitate partium honestarum, v. gr. vultus, manuum, non sunt de se mortales, quia non fiunt propter delectationem veneream.

Dixi *de se*, quia si subreperet delectationis venereæ periculum, esset mortale per accidens.

Tactus partium pudendarum, aut pudendis proximarum corporis alterius personæ, sive sit ejusdem, sive diversi sexus, si fiant absque necessitate medendi, etsi non ob

[1] Quæst. 154, art. 4.

delectationem veneream, nisi ex sola curiositate vel joco, aut petulantia, et ita obiter ut periculum actus venerei absit, sunt mortales; quia hi tactus valde excitant delectationem veneream; imo ex natura sua ad effusionem seminis referuntur: ergo simul cum illa graviter prohibentur, unde veniunt nomine *impudicitiæ,* quæ [1] dicitur *excludere a regno Dei.*

Tactus vero propriorum pudendorum sine necessitate, est peccatum mortale, si delectatio venerea ex eo tactu oriatur et prævideatur, quia ex natura sua tendit ad pollutionem. Quod si fiant ex levitate, curiositate, absque delectationis venereæ periculo, tunc non sunt peccata saltem mortalia, quia non fiunt animo libidinoso, nec in eis ea intervenit magna turpitudo, nec idem periculum quod in tactu alieni corporis reperitur. Nihilominus pœnitentes tales tactus exercentes valde objurgandi sunt, ab eisque vivide deterrendi propter periculum futurum peccati; est enim a natura corrupta pondus quoddam latentis concupiscentiæ carnalis, cui si voluntas tantillum laxet habenas, magno impetu eam in præceps trahit. Tangere genitalia brutorum non est ordinarie nisi veniale; secus probabilius, si tactus pertingeret ad pollutionem animalis, quia talis actio est per se vehementer excitans ad venerem.

Quæres 3. *Quid de aspectibus sit dicendum?*

Resp. Qui, absque justa causa medendi, personas diversi sexus in partibus secretioribus aut valde vicinis aspiciunt; item, qui viri ac mulieris coitum contemplantur, peccant mortaliter; quia ad veneream libidinem per hos aspectus multum excitantur. Præcisa autem curiositate, aspicere partes honestas mulieris pulchræ per se non videtur veniale, maxime si fiat ex urbanitate, aut alia justa causa. Secus autem, si aspectus esset diuturnus, tunc enim excusari nequit a veniali. *Item*, veniale non excedunt aspectus partium minus honestarum sed haud turpium, v.

[1] Gal. v.

gr. pectoris, crurium, si non sint diuturni et absit periculum lapsus.

Qui vero brutorum coitum, qui se ipsos aut alios ejusdem sexus in partibus pudendis, et qui picturas aut statuas turpes ex sola curiositate vel levitate aspiciunt, peccant solum *venialiter*, modo absit affectus venereus, scandalum et periculum delectationis venereæ; quia ista ad delectationem non adeo excitant. Possunt tamen peccare *mortaliter* ratione periculi, spectata aspicientis speciali fragilitate, quod non raro abest in juvenibus; quare ab his graviter deterrendi sunt.

Quæres 4. *Quid de turpiloquio sit dicendum?*

Resp. Turpia et obscœna loqui, canere, legere vel audire, est mortale, si fiat extra conjugium cum delectatione venerea, vel cum probabili ejusdem periculo in se vel in aliis; quia delectatio venerea, extra conjugium, est ex objecto mortalis: ergo est mortale intendere aut procurare illam, aut ejus periculum in se vel in aliis... Secluso autem omni affectu venereo et periculo delectationis venereæ, vel scandali, turpia loqui vel canere solum ob vanum solatium vel ex levitate, vel legere aut audire ex mera curiositate, aut cum sola delectatione ad rerum aut verborum artificium, est saltem veniale, quia prohibentur [1]: *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat*; et [2] *Fornicatio autem et omnis immunditia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas.*

Ob jactantiam narrare sua turpia peccata est mortale, tum ratione scandali, tum ratione complacentiæ de peccatis desumptæ, et ideo in Confessione peccatum debet specificari. Audiens vero comœdias non notabiliter turpes, vel notabiliter turpes, sed ob solam curiositatem vel vanum solatium, non est mortale nisi quis expertus sit suam fragilitatem, vel sit Clericus aut Religiosus; mortale vero si

[1] Ephes. IV. — [2] Cap. V.

sint notabiliter turpes vel modo turpi repræsententur. Item qui pecunia vel plausu ad hujusmodi valde turpes concurrunt, aut illas permittunt cum ex officio impedire tenentur. Quoad repræsentantes seu componentes has comœdias, audiatur Doctor angelicus [1] sic docens : *Ad omnia autem quæ sunt utilia conversationi humanæ, deputari possunt aliqua officia licita. Et ideo etiam officium histrionum, quod ordinatur ad solatium exhibendum hominibus, non est secundum se illicitum, nec sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo utantur, id est non utendo aliquibus illicitis* (id est turpibus) *verbis, vel factis, et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis.*

Verum, quia in praxi raro abest desiderium turpis desiderii aut complacentiæ, sive in proferente, sive in audiente sermones, cantilenæ, lectiones rerum turpium in juvenibus, vel coram illis, aut aliis infirmis, raro vacant a culpa mortali propter scandalum, nam *corrumpunt bonos mores colloquia prava* [2] : unde Clem. Alex. [3] ait : *A turpiloquio et nos omnino abstinere oportet, et eis qui illo utuntur os obstruere, et aspectu severiore, et vultus aversione, et subsannatione, et sæpe etiam asperiori oratione. Quæ enim ex ore exeunt, coinquinant hominem, profanum, intemperantem et petulantem eum ostendunt, non modestum, honestum et temperantem.*

Nec a Confessariis audiendi sunt, qui dicunt se verba ejusmodi proferre absque ulla cogitatione mala. Nam saltem cogitant id quod dicunt : ergo aliquid malum, seu turpe cogitant. Deinde verba turpia non assumerent pro materia recreationis, si a rebus infamibus, per ea significatis, abhorrerent, ut abhorrere debent. Denique, eo ipso quod de illis rebus turpibus libenter loquantur et in recreationibus de illis jucundentur, signum est satis evidens quod de illis delectentur, etiamsi nullam habeant voluntatem aliquid ejusmodi exequendi ; neque enim voluntas

[1] 2 2, quæst. 168, art. 3, ad 3. — [2] I Cor. I. — [3] Lib. II *Pædagg.*, cap. 6.

ista requiritur, ut anima coram Deo rea sit gravis peccati, ut constat ex dictis de gravitate peccati delectationis morosæ.

Idem dicendum de gestibus turpibus, comœdiis, ac lectione librorum amatoriorum, qui, licet obscœna expresse non referant, nihilominus imaginationem feriunt, delectationemque carnalem ingerunt : unde qui eos retinent, non sunt absolvendi, nisi illos comburant, vel saltem tradant Confessario comburendos.

TRACTATUS

DE

VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

PRÆAMBULUM.

DE VIRTUTIBUS IN COMMUNI.

Actuum humanorum bonitatem malitiamve deprehendere neminem posse, nisi qui virtutum æque ac vitiorum naturam habeat perspectam, per se in comperto est apud omnes atque exploratum. Sunt hujusmodi actus unica media ad æternam beatitudinem comparandam, juxta illud fidei dogma : *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam;* et secundum doctrinam Apostolorum principis : *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis :* sunt vero virtutes et vitia, principia ac fontes unde boni malique fluunt actus humani. Sicut igitur de peccatis postea sermo a nobis est instituendus, ita inpræsentia agere necesse est de virtutibus : *de Theologicis* quidem, quia, ex Tridentino, sunt meriti ac humanæ salutis initium, omnisque justificationis radix ; de *Cardinalibus* autem, quia ad illas referuntur cæteræ omnes virtutes morales, quia in his, ex Div. Thoma, omnis honestæ vitæ ratio fundatur. In hoc itaque brevissimo præmiali sermone

statuenda sunt quæ spectant ad virtutes in communi; omniaque facile reducuntur ad eorum essentiam, divisionem et proprietates duobus capitibus. Sit igitur

CAPUT I.

DE ESSENTIA ET DIVISIONE VIRTUTIS.

Quæres 1. *Quid sit virtus?*

Resp. S. Augustinus [1] scribit : *Definitio brevis et vera virtutis, ordo est amoris.* Ad majorem tamen intelligentiam, expedit definitionem amplecti quam tradit S. Thomas [2] *Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur et nemo male utitur.*

Dicitur 1° *qualitas,* quia advenit subjecto jam in suo esse constituto; et cum sit a subjecto difficile mobilis, remaneatque actu peracto, est de genere habitus.

Dicitur 2° *bona,* quia bene disponit subjectum, tum ad se, reddendo illud bonum, tum ad operationem, reddendo illam morum regulis consentaneam.

Dicitur 3° *mentis,* quia ad virtutis exercitium cognitio et libertas sunt necessariæ, quibus fruitur sola mens rationalis, quatenus est prædita intellectu et voluntate.

Dicitur 4° *qua*, tanquam operationis principio elicitivo, proximo et immediato.

Dicitur 5° *qua recte vivitur*, nempe vita operationis, quia inclinat subjectum cui inhæret ad opus rectæ rationi consonum.

Dicitur 6° *et nemo male utitur*, quia, si quis in malum finem utatur virtute, desinit esse virtus, eritque vitium : sic cum quis ex vana gloria movetur ad eliciendum actum

[1] Lib. v *de Civit. Dei*, cap. 17. — [2] 1 2, quæst. 55.

virtutis, exercet actum malum, quia non virtus, sed vana gloria in principium actionis.

Hinc patet, ad essentiam veræ virtutis (de moralibus præcipue sermo est, quæ proprie reddunt hominem probum), necessario servándum esse ordinem amoris, ut Augustinus docet, quatenus virtutis usus in Deum, tanquam ultimum finem, par charitatem inclinet; consequenterque non omnes, quæ in singulis hominibus apparent virtutes, reapse esse tales, neque in illis fidendum ut de probitate nostra tuto judicemus: *Ommia autem honeste* (clamat Apostolus) *et secundum ordinem fiant*, ordinem utique charitatis, quam in primis maximopere commendat : *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Hunc vero ordinem pervertere vitium est. *Et mens non postest habere regnum virtutum* (docet Augustinus), *nisi prius excusserit jugum vitiorum.* Cui definitioni si addas : *quem Deus in nobis sine nobis operatur*, habes causam efficientem virtutum infusarum.

Aliæ circumferuntur definitiones virtutis ut : *Est habitus qui bonum facit habentem, et opus ejus bonum reddit;* vel : *Est habitus electivus, in mediocritate consistens, prout sapiens et prudens determinaverit.* Sed illæ et similes ad nostram definitionem reducuntur, ut patet.

Quæres 2. *Quomodo dividitur virtus?*

Resp. Virtutes aliæ sunt *intellectuales*, aliæ *morales* et aliæ *theologicæ.*

Virtutes *intellectuales* sunt eæ quæ perficiunt intellectum in ordine ad cognitionem veri; et quatuor numerantur, nempe *entelligentia*, *sapientia*, *scientia* et *ars*, de quibus in Logica et non hic agitur, cum minus proprie, ac lato tantum modo virtutes appellentur.

Virtutes *morales* sunt eæ quæ perficiunt voluntatem in ordine ad bonum honestum, cujuscumque sit generis. Quatuor sunt præcipuæ, quæ ideo dicuntur cardinales, *prudentia* nimirum, *fortitudo, temperantia* et *justitia.*

Virtutes *theologicæ* sunt eæ quæ circa Deum immediate versantur; vel quatenus est summa veritas, ut fides; vel quatenus est summum nostrum bonum, ut spes; vel quatenus est summa bonitas infinite propter se amabilis, ut charitas. Hinc religio non est una ex virtutibus theologicis, eo quod immediate circa Deum non versetur, sed tantum circa cultum ei debitum.

CAPUT II.

DE PROPRIETATIBUS VIRTUTIS.

Nota. Tres numerantur virtutis proprietates, nempe *supernaturalitas, mediocritas* et *connexio*, de quibus

ARTICULUS I.

DE SUPERNATURALITATE VIRTUTIS.

Nota 1. Aliqua virtus potest esse infusa dupliciter: 1° per se; 2° per accidens.

Virtus infusa *per se*, est ea quæ a solo Deo potest haberi.

Virtus infusa per *accidens*, est ea quæ, licet humano labore possit acquiri, speciali tamen Dei gratia in animam infunditur, ut homo non humano et naturali, sed divino et supernaturali modo operetur.

Nota 2. De fide est definitum in Concil. Trident. [1], virtutes Theologicas esse per se infusas *in ipsa justificatione cum remissione peccatorum*. Unde solum controvertitur inter Theologos, utrum dentur etiam virtutes morales per se infusæ cum gratia sanctificante; quæ ut solvatur,

[1] Sess. 6, can. 7.

CONCLUSIO.

Dantur virtutes morales per se infusæ.

PROB. Ex Script. [1], ubi dicitur : *Sobrietatem et prudentiam docet* (divina Sapientia), *et justitiam et virtutem, quibus nihil est utilius in vita hominibus.* Et infra : *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.* Atqui quod Deus docet et dat, habetur solum per infusionem a Deo : ergo dantur aliquæ virtutes morales necessario infusæ a Deo. Hinc Clem. V [2] *declarat opinionem, quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in Baptismum informantem gratiam et virtutes, tanquam probabiliorem et dictis Sanctorum et Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio, duximus seligendam.*

OBJICIES 1. Virtus per se infusa debet habere motivum intrinsecum supernaturale, cum sit secundum entitatem supernaturalis; atqui motivum intrinsecum virtutis moralis, v. gr. temperantiæ, non est supernaturale : ergo, etc.

RESP. *Nego min.* — *Prob.* Motivum intrinsecum temperantiæ est mediocritas in cibo et potu; sed hæc mediocritas non excedit ordinem naturæ : ergo motivum intrinsecum temperantiæ non est supernaturale.

RESP. *Dist. min.* Mediocritas in cibo et potu, constituta per prudentiam naturalem et in ordine ad finem naturalem, non excedit ordinem naturæ, *conc. min.*; constituta per prudentiam infusam et in ordine ad finem supernaturalem, *nego min.* Virtus enim constituta per prudentiam naturalem solum respicit moralem honestatem prout est rectæ rationi consentanea; constituta vero per prudentiam infusam, respicit divinam honestatem, prout cultui divino et pietati Christianæ conformem.

[1] Sap. VIII. — In *Concil. Vienn.*

Objicies 2. Si virtutes morales cum gratia infunderentur, expellerent a justificato vitia præexistentia ; qui consequens est contra experientiam, qua videmus recenter conversos non minus vitiis addictos ac antea : ergo, etc.

Resp. *Nego sequel. maj.* — *Prob.* Contraria non possunt esse simul, sed mutuo sese expellunt a subjecto ; atqui vitia et virtutes sunt directe contraria : ergo si virtutes morales cum gratia infunderentur, expellerent a justificato vitia præexistentia.

Resp. *Dist. min.* Vitia et virtutes *acquisitæ* sunt directe contraria et sese mutuo expellunt a subjecto, *conc. min.*, at vitia et virtutes *infusæ, nego min. et conseq.* Itaque vitia directe sunt contraria virtutibus acquisitis, et invicem ex anima sese expellunt, quia inter se pugnant in eodem genere habitus naturalis ; at vitia non opponuntur directe et proprie virtutibus infusis, quia cum vitia sint naturalia, et virtutes infusæ supernaturales, non pugnant inter se in eodem genere habitus ; unde nihil mirum si vitia adhuc remaneant introductis virtutibus infusis, necesseque sit ea per virtutum acquisitarum studium expellere.

ARTICULUS II.

DE MEDIETATE VIRTUTIS.

Nota. Duplex est medium virtutis, nempe medium *rei* et medium *rationis*.

Medium *rei* est illud quod ita est ex natura rei determinatum et fixum, ut sit semper unum et indivisibile, nec varietur pro loco, tempore et persona.

Medium *rationis* est illud quod est divisibile, variaturque pro loco, tempore et persona, juxta prudentis æstimationem, propter quam æstimationem vocatur medium rationis.

CONCLUSIO I.

Virtutes Theologicæ et intellectuales non consistunt in medio per se et ex parte objecti.

PROB. Illæ virtutes non consistunt in medio contra quas non potest peccari per excessum; atqui contra virtutes Theologicas et intellectuales non potest peccari per excessum, siquidem nullus potest nimis Deo credere, nimis in Deum sperare, nimis eum amare, nimis esse sapiens, intelligens, doctus, etc. Ergo, etc.

Dixi *per se et ex parte objecti;* quia per accidens et ex parte subjecti requirunt aliquod medium, quatenus exerceri debent cum moderamine, juxta cujuslibet naturam, genium et conditionem.

OBJICIES. Verum, quod est virtutum intellectualium objectum, mediat inter excessum et defectum : ergo virtutes intellectuales consistunt in medio.

Prob. ant. Nam læditur verum vel affirmando plus quam res habet, vel minus quam habet, vel negando quod habet: ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Propter rationem allatam, siquidem nullus potest esse nimis sapiens, doctus, etc.

Ad rationem probationis dico quod, licet verum sit earum virtutum objectum, non datur tamen medium; medium enim speculabilium esset conformitas cognitionis ad rem; sed conformitas non datur ut medium, quando res est talis quod nunquam nimis possideri potest.

CONCLUSIO II.

Omnes virtutes morales consistunt in medio.

PROB. Illæ virtutes, contra quas peccari potest per excessum et per defectum, consistunt in medio; atqui contra omnes virtutes morales peccari potest per excessum et de-

fectum : ergo, etc. *Prob. min.* Contra temperantiam peccari potest *per excessum* nimis manducando vel bibendo ; aut *per defectum*, non sumendo quæ necessaria sunt ad vitæ conservationem ; contra fortitudinem peccari potest *per defectum*, pericula nimis pertimescendo ; vel *per excessum*, periculis sine causa sese committendo ; et sic de cæteris virtutibus moralibus : ergo, etc.

Adverte tamen differre justitiam ab aliis virtutibus moralibus, quod istæ consistant in medio rationis tantum, quod definitur juxta propriam subjecti dispositionem, justitia vero consistat in medio rationis et rei simul, et quidem 1° in medio *rationis* determinantis tempus, locum, etc., in quibus reddi debet res aliena ; 2° in medio *rei*, quia debet facere æqualitatem rei ad rem, ita ut debeat solvere centum qui debet centum, in quo consistit medium rei.

ARTICULUS III.

DE CONNEXIONE VIRTUTUM.

Nota 1. Nec virtutes intellectuales, nec theologicæ habent inter se necessariam connexionem ; constat enim experientia scientiam posse reperiri in homine absque arte, et artem absque scientia ; pariter fide certum est fidem et spem in multis charitate destitutis remanere ; difficultas ergo solum est de virtutibus moralibus.

Nota 2. Virtutes morales spectari possunt in statu perfecto vel imperfecto.

Virtus *in statu perfecto*, est ea quæ tam perfecte possidetur, ut omnibus contrariis facile possit resistere.

Virtus *in statu imperfecto*, est ea quæ non est ita obfirmata, ut habeat plenam rationem habitus difficile mobilis, sed simplicis tantum dispositionis, quæ inclinat quidem subjectum ad bene operandum, sed non adeo fortiter ut omnem difficultatem vincere possit. His notatis,

CONCLUSIO.

Virtutes morales consideratæ in statu imperfecto non sunt necessario inter se connexæ; secus vero, si in statu perfecto considerentur [1].

PROB. PRIMA PARS. Illi habitus non sunt inter se connexi, quorum unus potest haberi sine alio ; atqui una virtus in statu imperfecto potest haberi sine alia, idque experientia satis convincit, cum videamus multos esse promptos, non solum ex naturali complexione, sed etiam ex quadam assuetudine acquisita, ad opera misericordiæ, qui tamen non sunt prompti ad opera castitatis : ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Virtus quæ est in statu perfecto, efficit ut quis lubenter et sine mora in propria illius virtutis materia operetur ; at nemo qui vel una virtute destitutus fuerit, sic se gerit ; idque videre est in muliere casta, sed avara vel meticulosa ; si enim ingens illi offeratur pecuniæ quantitas, vel minæ mortis ei intententur, haud difficile patietur castitatis detrimentum : *Hinc persuadent Philosophi*, ait Div. August. [2], *qui unam virtutem habuerit, habere omnes, et omnes deesse cui una defuerit, quod prudentia nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse ; nam si aliquid horum fuerit, prudentia non erit. Porro si prudentia fortis, et justa, et temperans sit, profecto ubi fuerit, secum habet cæteras.*

OBJICIES 1. Unius virtutis acquisitio non pendet ab actibus aliarum virtutum : ergo nec ejus conservatio ; non enim major vis ad rei conservationem, quam ad illius productionem requiritur.

RESP. *Conc. ant., dist. conseq.* Conservatio virtutis sumptæ in statu imperfecto non pendet ab aliis virtutibus, *conc. conseq.;* per unam quippe virtutem appetitus remanet debite ordinatus circa aliquam materiam particularem ; sum-

[1] S. Thom., 1 2, quæst. 65, art. 1. — [2] Epist. 28.

ptæ in statu perfecto, *nego conseq.* Quia virtus in statu perfecto dicit rectitudinem, quæ circa materiam aliquam particularem firma sit, constans et difficillime mobilis, quod non potest fieri sine omnium virtutum consortio, ut ostensum est.

OBJICIES 2. Conjugatus potest habere castitatem in statu perfecto, quamvis habere non possit virginitatem: ergo illæ virtutes non sunt necessario connexæ.

RESP. *Dist. conseq.* Non sunt necessario connexæ in subjecto incapaci illarum virtutum, *conc. conseq.;* in subjecto capaci, *nego conseq.* Porro nostra propositio debet intelligi de virtutibus moralibus quarum subjectum est capax, non vero de illis quarum est incapax; conjugatus vero qui voluptates venereas expertus est, non est capax castitatis virginalis, sed duntaxat conjugalis.

QUÆRES: *An virtutes sint inter se æquales?*

RESP. *negat. et* PROB. Virtutes specificantur ab objecto suo; atqui objecta virtutum sunt alia aliis nobiliora: ergo et virtutes. Sic inter theologicas, major est *charitas*, quæ est omnium complementum. Inter intellectuales, eminet *sapientia*, quia altissima scrutatur. Inter morales, primum tenet locum *religio*, cum magis ad Deum accedat, in quantum operatur ea quæ directe et immediate ordinantur in honorem divinum [1].

Nota. Cum tres sint virtutes Theologicæ, hunc tractatum in totidem dissertationes distribuemus; disserendo maxime de quæstionibus ethicæ. De speculavis autem desume ex tractatu competenti dogmaticæ. Ideo sit

[1] S. Thomæ 2 2, quæst. 81, art. 6.

DISSERTATIO I.

De Fide Theologica.

Nota. Multiplex est acceptio nominis *fidei* apud Scriptores sacros; ut diximus alibi [1].

1° Enim sumitur pro fidelitate in promissis: *Perseverate adhuc conservare ad nos fidem* [2].

2° Pro conscientia: *Omne quod non est ex fide, peccatum est* [3].

3° Pro fiducia postulata assequendi: *Postulet autem quis in fide nihil hæsitans* [4].

4° Pro doctrina Catholica; sic Deus Angelo Pergami dicit: *Non negasti fidem meam* [5].

5° Tandem pro assensu quem intellectus ex imperio voluntatis præbet veritatibus quibusdam propter auctoritatem dicentis, quæ si sit hominis, erit fides humana; si Dei, erit fides divina. De hac sola hic agimus exponendo: 1° ejus essentiam et divisionem; 2° objectum materiale et ejus necessitatem; 3° objectum formale; 4° vitia opposita, totidem capitibus; de aliis et de regulis fidei egimus in nostra Theologia dogmatica.

CAPUT I.

DE ESSENTIA ET DIVISIONE FIDEI.

Quæres: *Quid sit fides?*

Resp. 1. Definitur ab Apostolo [6]: *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

[1] Tract. *de regulis fidei*, Diss. II. — [2] Machab. X, 27. — [3] Rom. II. — [4] Jac. I, 6. — [5] Apoc. II, 13. — [6] Heb. XI, 1.

Dicitur 1° *substantia*, id est basis et fundamentum spei, quo sublato corrueret spes nostra.

Dicitur 2° *rerum sperandarum*, non quod sola quæ speramus credamus, cum plurima credamus, quæ spei nostræ objectum esse nequeunt; sed quia Deus, quem speramus, præcipuum est fidei nostræ objectum.

Dicitur 3° *argumentum non apparentium*, quia intellectus adeo firmiter revelatis adhæret, ac si evidentissime sibi apparerent.

Verum cum hæc Apostoli definitio magis *descriptiva* quam essentialis sit, aliam proferunt Theologi, cum quibus

Resp. 2. *Fides est virtus Theologica divinitus infusa, qua firmiter assentimur iis quæ a Deo revelata sunt, propter auctoritatem ipsius revelantis.*

Dicitur 1° *virtus Theologica*, id est quæ Deum respicit; quæ voces conveniunt etiam spei et charitati, ideoque tenent locum generis; 2° *divinitus infusa*, quia fides est donum supernaturale divinum; 3° *qua firmiter assentimur*, etc., quæ soli fidei sunt propria, ideoque tenent locum differentiæ, nam fides est assensus qui nequit cum formidine consistere; 4° *iis quæ a Deo revelata sunt;* omnia enim a Deo revelata sunt objectum fidei materiale; 5° *propter auctoritatem ipsius revelantis*, nempe Deus infallibilis, qui est formale objectum fidei.

Quod si addatur: *et per Ecclesiam nobis credenda proposita*, habetur quidquid est essentiale ad fidem theologicam, catholicam et universalem, de qua nunc est quæstio.

Quæres 2. *Quotupliciter fides theologica dividitur?*

Resp. Dividitur 1° in *actualem* et *habitualem*, prout est actus intellectus ex imperio voluntatis gratia excitatæ elicitus, vel habitus nobis Deo infusus, juxta modum in tract. *de Regulis fidei* enunciatum.

2° Dividitur in *explicitam* et *implicitam*, ratione objecti

prout hoc in se est expressum et evolutum, vel in alio tantum contentum.

3° Dividitur in *vivam* et *mortuam*, seu formatam et informem, prout habetur cum habitu charitatis, et operibus formatur, vel iisdem destituitur.

4° Dividitur in *formalem*, seu reflexam, et *virtualem* ratione actus, prout iste est actualiter elicitus, aut virtualiter tantum in mente perseverat.

CAPUT II.

DE OBJECTO FIDEI.

Quæres 1. *Quotuplex est objectum fidei ?*

Resp. Duplex est : aliud *formale*, aliud *materiale*.

Objectum *formale* fidei est immediatum motivum propter quod credimus veritatibus a Deo revelatis. Illud autem motivum est ipsa prima veritas in dicendo, sive est auctoritas summa revelantis Dei summe veracis ; non enim assentimur Deo loquenti, nisi quia verax est, nec nos fallere potest.

Ipsa vero revelatio est tantum conditio sine qua non crederemus, sive medium per quod applicatur nobis notitia eorum quæ credimus.

Objectum *materiale* fidei adæquatum de quo hic tantum agitur, est collectio omnium veritatum revelatarum.

Quæres 2. *Quomodo dividitur objectum* materiale *fidei ?*

Resp. Dividitur 1° in objectum *primarium*, seu attributionis, et *secundarium*, seu attributum.

Objectum *primarium*, est illud ad quod omnia cætera referuntur, et est ipse Deus cum suis perfectionibus.

Objectum *secundarium* est illud omne quod ad objectum primarium refertur, et sunt cætera omnia revelata. Hæc omnia docet Angelicus [1], dicens : *Fides quæ hominem di-*

1 Quæst. 14 *de Veritate*, art. 8.

vivæ cognitioni conjungit per assensum, ipsum Deum habet sicut principale objectum, alia vero sunt consequenter adjuncta.

Dividitur 2° in *articulos fidei* et in *puncta fidei.*

Articuli fidei sunt veritates primariæ explicite credendæ, qui successu temporis creverunt, non quidem secundum *substantiam,* quia non fit Ecclesiæ nova revelatio, cum omnia credenda Apostolis revelata sint, et omnes articuli implicite contineantur in aliquibus primis credibilibus; sed creverunt duntaxat secundum *majorem explicationem* per varias propositiones quas credendas fidelibus exhibuit Ecclesia.

Puncta fidei sunt veritates secundariæ, quarum fides implicita (qua nimirum generatim creditur quidquid Deus revelavit et credit Ecclesia), sufficit ad salutem consequendam. Porro, tum articuli fidei, tum puncta fidei sunt dogmata fidei.

CAPUT III.

DE NECESSITATE FIDEI.

Nota 1. Hic quæstio non movetur de habitu fidei; est enim tam necessarius ad salutem, quam gratia sanctificans, cum qua infunditur a Deo. Tota ergo difficultas est de actu fidei, idque respectu adultorum duntaxat, cum infantes non sint actuum capaces, qui tamen cum solo baptismo salvantur.

Nota 2. Actus fidei duplex est, nempe *internus,* qui est firmus mentis assensus veritatibus a Deo revelatis et ab Ecclesia propositis propter summam Dei veritatem in dicendo; credere autem *actu interno* tripliciter contigit, nimirum *credere Deo, credere Deum,* et *credere in Deum.*

Credere Deo est credere id omne quod Deus revelavit verum esse, propter infinitam ejus in dicendo veracitatem.

Credere Deum est credere Deum existere, ex eodem motivo.

Credere in Deum est credere Deum non simpliciter, sed affectu charitatis tendentis in Deum, tanquam in ultimum finem.

Credere primo et secundo modo, est commune omnibus fidelibus justis, et peccatoribus ; credere autem tertio modo, est solis justis proprium.

Actus fidei *externus* est exterior fidei professio ore vel opere, vel quolibet alio signo facta ; utriusque illius actus necessitas sequentibus articulis exponenda est.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE INTERIORIS ACTUS FIDE

Nota 1. Duplex est necessarium respectu salutis : scilicet necessarium necessitate medii, et præcepti.

Necessarium necessitate medii est illud sine quo, etiam inculpabiliter omisso, non potest obtineri salus.

Necessarium necessitate præcepti est illud sine quo, culpabiliter omisso, salus non potest obtineri, tametsi sine eo inculpabiliter omisso obtineri queat.

Nota 2. Necessarium necessitate medii iterum duplex est : scilicet *absolute* necessarium, et *hypothetice*, seu *secundum quid* necessarium.

Necessarium necessitate medii *absolute* ad salutem est illud quod totaliter necessarium est *in re*, nec proinde admittit substitutum, per quod suppleri queat ; sic gratia sanctificans est medium absolute necessarium ad salutem.

Necessarium necessitate medii *secundum quid* est illud quod est necessarium necessitate medii *in re*, vel *in voto*, ideoque admittit substitutum, per quod suppleri queat ; sic baptismus aquæ, si quando nequeat obtineri, suppleri potest per contritionem cum voto baptismi.

Nota 3. Quæstio procedit de necessitate tum medii, tum præcepti; de quibus duplici paragrapho.

§ I.

An actus fidei internus sit necessarius necessitate medii simpliciter, et quibus.

CONCLUSIO.

Actus fidei internus omnibus adultis ad obtinendam justificationem et salutem, est et semper fuit necessarius necessitate medii simpliciter.

Prob. Illud ad salutem obtinendam necessarium est necessitate medii simpliciter, sine quo in re elicito nullus adultus potest placere Deo, neo justificari; atqui nullus adultus sine actu fidei interno in re elicito potest placere Deo et justificari: ergo, etc.

Prob. *prima pars min.* Ex Apostolo[1]: *Sine fide impossibile est placere Deo;* ubi de fide actuali Apostolum loqui constat, ex eo quod immediate subjungit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit;* quod aperte sonat *actum* credendi illa duo mysteria, non autem fidem habitualem, quæ ad illa duo mysteria se non restringit, sed indifferenter ad omnia se extendit.

Prob. *secunda pars min.* Ex Trident.[2] dicente, causam instrumentalem nostræ justificationis esse *sacramentum Baptismi, quod est sacramentum fidei, sine quo nulli unquam contigit justificatio.* Porro, non loquitur de fide habituali, sed de actuali, cujus baptismus est solemnis quædam professio, quam per se, vel per patrinos faciunt quicumque baptizantur; et quæ est *humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua im-*

[1] Hebr. xi. — [2] Sess. 6, cap. 7.

possibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire [1]. Ergo fides se habet ad justificationem sicut fundamentum ad ædificium, quod sine fundamento esse non potest.

OBJICIES Allata Scripturæ et Concilii Tridentini testimonia commode explicari possunt de necessitate fidei in voto : ergo, etc.

Prob. ant. Testimonia Scripturæ et Conciliorum inculcantia necessitatem medii pro sacramentis Baptismi et Pœnitentiæ explicantur de necessitate in voto : ergo similiter, etc.

RESP. *Nego conseq.* Ratio est, 1° quia fides in voto non est vera fides, sicut sacramentum in voto non est verum sacramentum : porro verba Scripturæ et Conciliorum inculcantium necessitatem alicujus actus, privata auctoritate detorquere non licet ad sensum improprium, sed ad hoc requiritur auctoritas vel Scripturæ, vel Conciliorum, vel Patrum, quæ habetur quidem pro taliter explicandis Scripturis et Conciliis, inculcantibus necessitatem Baptismi et Pœnitentiæ, non pro inculcantibus necessitatem fidei.

2° Quia Apostolus probat Henoch habuisse veram fidem in re : *Fide Henoch translatus est*, inquit, *ne videret mortem. Ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo.* Atqui rueret argumentum Apostoli si ejus textus intelligi posset de fide in voto : ergo, etc.

3° Quia tum Apostolus, tum Concilium Tridentinum requirunt fidem, quæ est ex auditu : *Quomodo credent ei quem non audierunt?* inquit Apostolus [2]. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Concilium vero Tridentinum [3] docet, homines ad justificationem disponi, *dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ*

[1] Trident., sess. 6, cap. 8. — [2] Rom. IX. — [3] Sess. 6, cap. 6.

divinitus revelata sunt. Atqui illa fides ex auditu est fides proprie dicta in re, et non solum in voto : ergo, etc.

4° Fides in voto non est fides stricte dicta, quæ pro motivo habet auctoritatem Dei loquentis, sed est fides late dicta, quæ nihil est quam cognitio Dei fundata in solo testimonio creaturarum, quæ, tanquam Dei prænones, ipsum nuntiant nobis ut summe bonum, summeque amabilem: atqui fides late dicta non sufficit ad justificationem, prout definivit Innocentius XI in damnatione propositionis : *Fides late dicta, ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.*

Quæres 1. *Quænam mysteria fuerunt omni tempore necessaria necessitate medii credenda?*

Resp. 1. Quovis tempore fuit necessaria necessitate medii simpliciter fides explicita Dei existentis et Dei remuneratoris; *accedentem enim ad Deum*, ait Apostolus [1], *oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit.*

Ratio primi est, quia fides Dei existentis est primum omnium credendorum: ergo cum ad salutem et justificationem omni tempore fuerit necessarium necessitate medii aliquid credere, primo credendum fuit Deum esse; idque explicite, quod enim implicite creditur, in alio explicite credito creditur; sed quod primo credendum est, in se credendum est et non alio prius credito potest credi : ergo, etc.

Ratio secundi est, quia eodem modo Apostolus requirit fidem Dei remuneratoris, ac Dei existentis; sed Dei existentis requirit fidem explicitam: ergo et Dei remuneratoris; ideo Innocent. XI damnavit hanc propositionem : *Non nisi fides unius Dei necessaria est, non autem explicita remuneratoris.*

Resp. 2. Ante Evangelii promulgationem necessaria fuit necessitate medii fides implicita in Christum.

Prob. Ex Act. iv: *Non est in aliquo alio salus, neque est enim aliud nomen sub cœlo, in quo* (invocato) *oportet nos*

[1] Hebr. xi, 6.

salvos fieri. Qui textus de omni prorsus statu intelligitur, juxta illud Apostoli[1]: *Non justificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi;* atqui *quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* ait idem Apostolus[2]: ergo, ante promulgationem Evangelii, fides in Christum implicita fuit necessaria necessitate medii.

Dixi *implicita*, non autem explicita, quia, ex eodem Apostolo[3], *mysterium* (nempe Incarnationis) quod *absconditum fuit a sæculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus.* Ergo mysterium Incarnationis, ante Evangelii promulgationem, non fuit explicite et clare manifestatum: ergo non fuit necessarium illud explicite credere, alias Deus præcepisset impossibile; fuit ergo necessarium credere in Deum providum, qui medium ad salutem æternam, seu aliquem salvatorem hominibus subministraret.

QUÆRES 2. *An post Evangelium, ad justificationem et salutem necessaria sit necessitate medii fides explicita Incarnationis quoad divinitatem, humanitatem, passionem, et resurrectionem, et Sanctissimæ Trinitatis?*

RESP. Duplex est sententia. *Prima sententia* quæ S. Li gorio communior videtur et probabilior, affirmat pro utraque parte, et sic probat.

PROB. PRIMA PARS. Ex Joann. XVII: *Hæc est vita æterna*, id est, medium necessarium ad vitam æternam consequendam, *ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum;* ubi eodem modo fides in Christum dicitur necessaria ac fides in Deum; atqui sine dubio, de necessitate salutis est credere in Deum explicite: ergo et credere in Christum; unde necesse est perire eum qui in Christum non credit, juxta illud Joann. III: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super illum*; et

[1] Ad Galat. II, 16. — [2] Roman. X, 14. — [3] Coloss. I, 26.

illud Augustini [1] : *Sicut veritas loquitur, nemo liberatur a damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi, et tamen ab hac damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere se non audivisse Evangelium Christi.*

PROB. SECUNDA PARS. Mysterium Incarnationis explicite credi non potest sine fide explicita Trinitatis, quia, inquit Div. Thomas [2]: *In mysterio Incarnationis Christi continetur quod Filius Dei carnem assumpserit ... et de Spiritu Sancto conceptus fuerit :* ergo, etc.

Confirmatur utraque pars ex damnatione hujus propositionis ab Innocentio XI : *Absolutionis est capax homo, etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

Secunda sententia negat, quia 1° ad justificationem et salutem sufficit ex Apostolo [3] fides explicita Dei existentis et remuneratoris : ergo, etc.

Quia 2° Cornelius Centurio justificatus fuit absque fide explicita Christi et Trinitatis : ergo illa fides non est necessaria necessitate medii simpliciter post Evangelii promulgationem.

Quia 3° si fides explicita Christi et Trinitatis esset ad salutem necessaria necessitate medii simpliciter, salus esset impossibilis surdis et mutis a nativitate, vel etiam enutritis in sylvis, ubi nihil de Christo et Trinitate audierunt ; atqui hoc videtur nimis durum : ergo, etc.

Neque dicas : Cum Deus hominibus non desit in necessariis, nisi ipsi desint Deo, nec ipsos deserat, nisi ab ipsis deseratur ; ipsis si ope gratiæ quæ nemini deest, legem naturæ servaverint, media necessaria quibus possint ad salutem pervenire providebit vel per internam inspirationem, vel per Angelum, vel per fidei prædicatorem, prout factum est in Cornelio, Lydia et Eunucho, de quibus in Actibus Apostolorum.

[1] Lib. *de Corrept. et gratia*, cap. 7. — [2] 2 2, quæst. 2 art. 8. — [3] Hebr. XI, 6.

Resp. Enim 1° quod gratis asseritur, gratis negatur, nec entia multiplicari debent sine ratione. 2° Cornelius et alii similes consecuti sunt gratiam et virtutes per fidem Christi, vel desiderium baptismi, vel implicite vel explicite ; atqui non explicite, siquidem in illa regione nondum Evangelium perfecte prædicatum fuerat : ergo tantum implicite : ergo, etc.

Quia 4° illud est rejiciendum quod repugnare videtur bonitati et providentiæ divinæ, quodque efficeret ut potior fuisset status hominis ante, quam post incarnationem; atqui 1° repugnat bonitati et providentiæ divinæ ut damnet adultos invincibiliter ignorantes, qui tamen juxta dictamen recte rationis vivunt, cum scriptum sit : *In omni gente qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi*[1] ; 2° status hominis ante incarnationem fuisset potior, siquidem salutem æternam obtinere valebant sine fide explicita Incarnationis et Sanctissimæ Trinitatis, quæ nunc ita necessaria esset, ut licet inculpabiliter ignorent hæc mysteria, salvari nequeant : ergo, etc.

Quia 5° hoc clare docet D. Thomas [2] his verbis : *Si qui tamen salvati fuerint* (loquitur de Gentilibus) *quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Salvatoris ; quia licet non habuerint fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum liberatorem esse hominum.*

Quoad vero omnes Scripturæ et SS. Patrum testimonia quæ opponuntur, de facili explicari possunt, vel de necessitate præcepti, vel de fide implicita, vel explicita in voto. Hanc secundam sententiam S. Ligorius vocat satis probabilem, unde

Resolves 1. Non licet Confessario, extra casum necessitatis, absolvere pœnitentem qui ignorat mysteria Sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

[1] Act. x, 35. — [2] 2 2, quæst. 2, art. 7, ad 3.

Resolves 2. Repetendæ sunt confessiones factæ cum ignorantia, etiam inculpabili, prædictorum mysteriorum, cum probabiliter tantum sint validæ; nam peccatum certe commissum imponit obligationem certam confitendi; atqui certæ obligationi confitendi non satisfit per confessionem probabiliter invalidam, sed requiritur confessio certe valida [1].

§ II.

An Fides actualis interna sit necessaria necessitate præcepti.

CONCLUSIO.

Datur præceptum speciale fidei obligans omnes adultos ratione utentes.

Prob. Ex Script. [2]: *Hoc est mandatum ejus ut credamus in nomine Filii ejus;* et Marc. [3]: *Prædicate Evangelium... qui non crediderit, condemnabitur;* atqui nulla est condemnatio sine transgressione, nulla transgressio sine præcepto: ergo est fidei internæ speciale præceptum.

Hinc, Ecclesia per Alexandrum VII damnavit hanc propositionem: *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium;* et per Innocent. XI istam: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, et secundum se.*

Dices: Ut præceptum fidei impleatur, sufficit fides habitualis: ergo non datur præceptum de actu fidei interno.

Resp. *Nego ant.* Nam præcepta non dantur de habitibus virtutum, neque enim a nobis pendent cum a Deo infundantur, sed tantum de illarum actibus.

Quæres 1. *Quænam fideles tenentur credere et scire vi præcepti?*

Resp. 1. Credere debent ea omnia quæ necessaria sunt

[1] S. Ligor., lib. III, num. 2. — [2] Joann. III. — [3] Ult. cap.

necessitate medii, quia quo jure constituta est fides alicujus objecti ut medium ad salutem necessarium, eodem jure præcipitur obligatio medium illud usurpandi.

2. Credere debent omnes articulos qui Symbolo continentur, saltem quoad substantiam, ita ut fideles de singulis interrogati, respondeant. Ratio est, quia ad illos articulos præcipua fidei capita reducuntur; nec sufficit illos idiomate ignoto memoriter recitare, sed necessaria est articulorum explicita notitia, et ideo necessarium est ut rudiores memoria teneant symbolum sua lingua, alioquin non possunt habere sufficientem cognitionem articulorum.

3. Credere et scire debent Sacramenta quæ tenentur aut volunt suscipere, eorum efficaciam, et dispositiones necessarias ad ea debite et utiliter recipienda; nam sine tali cognitione non possunt illa digne suscipere; item sacrificium Missæ, quia tenentur ei reverenter et devote interesse.

4. Debent scire præcepta Dei et Ecclesiæ, item omnes obligationes quæ ad singulorum statum rite dirigendum pertinent, quia ad id sciendum tenetur homo, quod jure naturali, vel divino, vel etiam Ecclesiastico observare tenetur. Non tamen tenentur credere præcepta Ecclesiæ, quia non sunt objecta fidei, sed disciplinæ.

5. Tenetur scire Orationem Dominicam, quia præscripta est a Christo[1]: *Sic orabitis: Pater noster*, etc., quod de præcepto intelligit Ecclesia, dicens in Missa: *Præceptis salutaribus moniti, audemus dicere: Pater noster, qui es in cœlis*, etc.

6. Licet stando in jure divino sufficiat sed sub mortali, ut illa omnia sciantur quoad substantiam, tamen ab Ecclesia præceptum est sub veniale tantum, ut explicat consuetudo, ut quilibet in primo instanti morali usus rationis illa memoriter addiscat; quibus ex consuetudine vim legis

[1] Matth. VI, 9.

habente addi debent Salutatio Angelica et modus efformandæ Crucis.

Quæres 2. *Quandonam divinum actus fidei præceptum obliget?* Ante responsionem

Nota. Duplex est fidei præceptum, *negativum* scilicet, prohibens dissentiri mysteriis fidei vel de eorum veritate dubitare; et *affirmativum*, præcipiens assentiri eisdem fidei veritatibus.

Certum est 1° Præceptum fidei negativum semper et pro semper obligare; nam dissentire uni veritati, vel minimæ, sufficienter propositæ ut a Deo revelatæ, aut de illa deliberate dubitare est gravissima in Deum injuria, quasi in aliqua re falli aut fallere possit.

Certum est 2° Præceptum fidei affirmativum aliquando obligare, sed quo præcise tempore, controversia est, quæ ut dirimatur,

Resp. *Præceptum fidei affirmativum sæpius obligat in vita, tum per se*, id est, ratione sui, quatenus est speciale præceptum; *tum per accidens*, id est, cum urget aliud præceptum, ad cujus observationem fides est necessaria.

Prob. Tum quia præceptum de re gravis momenti, quæ vitæ Christianæ basis est et fundamentum, non pro aliquibus vicibus tantum a Deo sancitum est; tum etiam quia, ex Apostolo [1], *justus ex fide vivit:* id est, vita justi fidei actibus nutritur et conservatur: ergo quemadmodum præceptum naturale de vita conservanda obligat ad sumendum sæpius cibum, ita etiam præceptum divinum fidei obligat ad sæpius eliciendos actus fidei. Unde merito hæc propositio **17**: *Sufficit mysteria illa semel credidisse, et satis est actum fidei semel in vita elicere*, proscripta est ab Innocentio XI.

Quæres 3. *In quibus casibus actus fidei potissimum obligat, tum per se, tum per accidens?*

Resp. 1. Obligare *per se*, 1° infideles et hæreticos, cum

[1] Ad Gal. III, 11.

fidei eis sufficienter est proposita; quia, ex Trident., fides est *radix et initium justificationis*.

2° Fideles saltem semel in anno, cui præcepto tamen satisfaciunt per exercitium aliarum virtutum, aut per susceptionem Sacramentorum [1].

3° Obligat pueros fidelium, ubi primum rationis usum sunt adepti, si sufficienter sint instructi; quia fides est fundamentum totius vitæ Christianæ, quam baptizatus quisque incipere tenetur, cum primum rationis usum adipiscitur et ad obligationem advertit.

4° In probabili periculo mortis, quia tunc quisque tenetur omnem quam potest adhibere curam ut suæ saluti certo consulat, superando diabolum et mundum: *Hæc est autem victoria quæ vincit mundum, fides nostra* [2].

5° Obligat quoties lapsus est quis in hæresim; tenetur quippe injuriam primæ veritati illatam, per actum contrarium resarcire.

6° Quoties gravis urget contra fidem tentatio, quæ aliter propelli non potest; contraria enim contrariis debent repelli, unde tunc dicendum: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* [3].

Resp. 2. Obligat *per accidens*, 1° dum nos ad justificationem præparamus, quia *sine fide* actuali explicita, *nulli unquam contingit justificatio*, ait Tridentinum [4].

2° Dum ad aliquod Sacramentum, maxime Eucharistiæ, quæ est Sacramentum fidei, accedimus.

3° Dum occurrit occasio fidem externe profitendi, quod utique fieri rite nequit absque actu interiori fidei.

Nota. Quidam docent, dum præcipua anni festa et dies Dominica celebrantur, actum fidei obligare, quia illa ad Dei cultum specialiter sunt instituta; atqui, ex Div. Augustino [5], *Fide, Spe et Charitate Deus est colendus*: ergo. At horum opiniones passim rejiciuntur. — Ex his

[1] S. Ligor., lib. III, num. 7, ex Suarez et aliis. — [2] I Joann. v, 4. — [3] Marci IX, 24. — [4] Sess. 6, cap. 7. — [5] *Enchirid.*, cap. 3,

Resolves 1. Excusantur a peccato ignorantiæ eorum quæ tenentur scire ex præcepto, ii quibus defuit doctor, aut nunquam venit in mentem obligatio similia discendi, aut nimis sunt rudes, ita ut ea comprehendere non possint, aut retinere. Tunc sufficit ut habeant de iis fidem implicitam.

Resolves 2. Confessarius præsumens pœnitentem ignorare ex doctrina christiana quæ scire tenetur (quod non est præsumendum de litteratis aut sæpe confitentibus), debet eum interrogare de negligentia in his addiscendis.

Resolves 3. Ignorantes ea quæ sub mortali scire tenentur, absolvi possunt, si de negligentia dolent cum proposito discendi, nisi prius admoniti neglexerint addiscere.

Resolves 4. Parentes suos liberos et Parochus suas oves tenentur sub mortali per se, vel per alium docere ea saltem quæ sub mortali scire debent.

Resolves 5. Hæreticus non tenetur credere, quamdiu suam sectam judicat probabiliorem vel æque probabilem, quia fides nondum est ei sufficienter manifestata ageretque imprudenter. Secus vero, si illam haberet ut minus probabilem, ex proposit. 4 damnata ab Innocent. XI, quæ dicit: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* Ratio, quia non licet sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, cum periculo gravis damni quod vitare non pendet ab opinionis probabilitate.

Resolves 6. Hæretici bona fide existimantes nos esse falsos prophetas et deceptores fugiendos, non possunt, stante hac persuasione, salva conscientia nos audire, laborantque ignorantia invincibili. Si vero talibus oriatur dubium de sua secta, tenentur ulterius inquirere, et a Deo postulare lumen; quod si detrectent facere, peccant, quia non adhibent media ad implendum præceptum fidei. Ita communiter.

ARTICULUS II.

DE ACTUS EXTERNI, SEU CONFESSIONIS FIDEI NECESSITATE

Nota. Duplex est circa Confessionem fidei præceptum: aliud *affirmativum*, quo jubemur aliquando fidem exterius profiteri; aliud *negativum*, quo prohibemur fidem negare, sive *expresse* per verba, sive *implicite* per signa, nutus, æquivocationes, simulationes, etc. De utroque quæstio procedit.

CONCLUSIO I.

Extat præceptum aliquando fidem exterius confitendi.

PROB. Quod est ad salutem necessarium, cadit sub præceptum; atqui exterior fidei confessio est necessaria ad salutem, ex Apostolo [1] dicente: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, salvus eris: corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Unde Div. Augustinus [2] ait: *Quoniam... fides a nobis exigit officium et cordis et linguæ, juxta illud Apostoli:* Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem, *oportet nos justitiæ esse memores et salutis:* ergo, etc.

QUÆRES: *Quandonam obligat præceptum affirmativum confitendi fidem?*

RESP. Cum Div. Thoma [3]: *Confiteri fidem non semper neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo tempore,* et duplici in casu, *quando, scilicet, per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, aut etiam utilitas proximis impendenda.*

Ratio est, quia confessio fidei tunc cadit sub præceptum, cum necessaria est ad finem præcepti, qui, ex Apos-

[1] Rom. x, 9. — [2] Lib. *de Fide et Symbolo*, cap. 1. — [3] 2 2, quæst. 3, art. 2.

tolo [1], *est charitas de corde puro;* atqui in prædictis casibus confessio fidei est necessaria ad charitatem Dei quem toto corde, et proximi quem sicut nos ipsos diligere tenemur : ergo, etc.

Resolves ex primo capite, Catholicum teneri clare et ingenue confiteri fidem et religionem, etiam sub periculo vitæ :

1° Quando auctoritate publica, sive privatim, sive publice, de sua fide interrogatur; quia id exigit Dei et religionis honor propriæ vitæ præferendus : tuncque tacere, esset erubescere Christum, qui [2] ait: *Qui me erubuerit et sermones meos, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua.* Unde merito Innocent. XI hanc damnavit propositionem : *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri ut Deo et fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum per se non damno.*

Dixi *auctoritate publica;* nam a privato sine auctoritate interrogatus potest tacere, aut confessionem eludere, nisi eam requirat salus proximi aut magnum fidei emolumentum; quia tunc nihil aliud est quam contemptus et interrogationis et stulte interrogantis.

2° Quando videt fidem ab infideli aut hæretico injuriis affici, aut sacras imagines conculcari coram aliis, sive fidelibus, sive infidelibus; tunc enim debet fidem confiteri ipsis, etiam cum periculo vitæ, contradicendo, et fidem prudenter propugnando; modo tamen non judicetur contradictionem impiis fore occasionem gravius fidem lacessendi, quia si nemo tenetur ad actum inutilem, multo minus tenetur ad actum fidei periculosum; ea de causa Catholici non tenentur Gentiles diis immolantes, aut Hæreticos suæ sectæ ritibus incumbentes, palam arguere.

Resolves ex secundo capite, quemlibet teneri, etiam cum mortis periculo, fidem clare confiteri, quoties confessio

[1] I ad Tim. I, 5. — [2] Lucæ IX, 26.

est necessaria ad fidem in aliis promovendam, vel confirmandam, quod contingit :

1° Quando prudenter judicatur proximum qui in fide vacillat, aperta fidei confessione in fide confirmatum iri.

2° Quando adest certitudo moralis, aut etiam dubium prudens, quod hæreticus aut infidelis publica fidei confessione commotus, fidem Catholicam amplexurus sit, alias in falsa religione permansurus.

3° Quando ex suppressione confessionis futurum est, ut alii in falsa religione confirmentur.

Ratio horum omnium est, quia ordo charitatis exigit ut æternam fratrum salutem temporali nostræ saluti præferamus juxta illud [1] : *Debemus pro fratribus animas ponere ;* ad quod strictius tenentur Pastores, qui non solum titulo charitatis, sed et justitiæ debito animas suas pro ovibus sibi commissis tradere debent, dicente Christo [2] : *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.*

Nota. Extra duos illos casus cavendam esse confessionem imprudentem, quæ talis censetur :

1° Dum, sine ulla necessitate divini honoris, vel utilitate proximorum, temere quis se exponit periculo tormentorum, quæ forte tolerare non poterit, sicque exponit se periculo negandæ fidei; ideo in tali casu potest fugere et occultare fidem, juxta illud Christi [3] : *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam ;* sicque fugiens, fidem non negat, imo quodammodo profitetur ; non enim fugeret, si fidem non retineret.

2° Dum, absque utilitate fidei vel fidelium, confessit perturbationem in infidelibus causat, unde Christus [4] dicit : *Nolite Sanctum dare canibus, neque margaritas vestras spargite ante porcos, ne forte ... conversi dirumpant vos.*

Ad professionem autem fidei externam, jure ecclesiastico tenentur, et quidem sub mortali, ex Tridentino, cum jura-

[1] Joan. III, 16 — [2] Joan. X, 11. — [3] Matth. X, 23. — [4] Matth. VII, 6.

mento obediendi Ecclesiæ Romanæ, sequentes personæ, et quidem per se, non per procuratorem [1].

1° Primates, Archiepiscopi et Episcopi in prima Synodo provinciali cui intererunt [2].

2° Curati beneficiati, intra duos menses a die possessionis, coram Episcopo vel ejus vicario generali, aut officiali [3], secus non faciunt fructus suos.

3° Provisi de canonicatu, vel dignitate in ecclesia cathedrali, non autem collegiata, coram Episcopo aut vicario generali et capitulo, secus non faciunt fructus suos.

4° Omnes Prælati Religionum, ex Pio IV, item omnes promovendi in Doctores, Magistros, Regentes et Professores, ubi viget decretum Pii V hac de re.

5° Hæretici ad Ecclesiam redeuntes.

6° Omnes qui de jure Synodi diœcesano intersunt.

CONCLUSIO II.

Nullo unquam casu licet fidem exterius negare sive ex animo, sive ex simulatione.

Nota. Fidem negat *ex simulatione*, qui fidem interius retentam negat exterius; vel qui factis aut dictis simulat falsam religionem.

Prob. prima pars. Ex Scriptura [4]: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete qui et animam et corpus perdere potest in gehennam:* et hinc Christus concludit: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo.* Ex quo sermonis contextu communis sanctorum Martyrum et Doctorum sensus semper fuit, Christum loqui in casu etiam gravissimæ persecutionis, ita ut ne tunc quidem liceat Christum negare.

Hinc Catholicus peccat graviter contra fidem:

[1] Vid. Bened. XIV, notif. 60. — [2] Trident., sess. 25, cap. 22 *de Reform.* — [3] Trident., sess. 24, cap. 12, *de Reform.* — [4] Matth. x.

1° Qui interrogatus an sit Christianus, id negat, quia se veram Christi fidem tenere negat.

2° Qui interrogatus ab Hæreticis an sit Catholicus, Papista, etc., id negat, quia negat se esse fidei Romanæ sectatorem; secus dicendum de eo qui interrogatus an sit Sacerdos, Monachus, etc., id negat, quia cum sint multi Catholici qui non sunt Sacerdotes aut Monachi, ejus negatio non censetur negatio Catholicismi.

3° Qui interrogatus cujus sit religionis, respondet esse Turcam, Calvinistam, etc., quia non solum negat Catholicismum, ac proinde fidem Christi, verum etiam profitetur sectam Catholicismo contrariam.

PROB. SECUNDA PARS. Quod est intrinsece malum, nullo unquam casu, etiam mortis acerbissimæ, licitum esse potest; atqui fidem corde retentam, ore vel facto negare est intrinsece malum: ergo, etc. *Prob. min.* Mendacium est intrinsece malum; atqui fidem corde retentam, ore vel facto negare, est mendacium detestabile et valde perniciosum, utpote Dei maxime inhonorativum: ergo, etc. Unde Christus ait: *Qui me erubuerit coram hominibus, hunc et Filius hominis erubescet.*

OBJICIES 1. Eliseus Naaman principi militiæ regis Syriæ [1] concessit ut, rege adorante in templo Remmon, et ipse cum eo adoraret; atqui Naaman in eo casu falsam religionem simulabat, promiserat enim Eliseo se ultra non adoraturum nisi Deum verum: ergo licet in aliquo casu falsam religionem simulare.

RESP. *Nego min.* Ratio est, quia adorationis nomen eo loco sumitur late pro nuda nimirum corporis incurvatione, regis coram idolo genuflectentis sustinendi causa; non autem stricte pro religionis actu; siquidem et ipsimet Naaman et omnibus Syris quibus notum erat Naaman Judæorum religionem palam profiteri, persuasum erat incurvationem illam corporis esse obsequium mere civile

[1] IV. Reg. v, 19.

quod ex officio suæ politicæ dignitati annexo exhibebat regi, non solum in templo, sed etiam in omnibus aliis locis in quibus rex solemniter aliquam cæremoniam peragebat ; unde genuflexio Naaman non magis faciebat ad adorationem idoli, quam ad eam facit delatio caudæ qua famulus obsequitur dominæ suæ eunti ad templum idoli

Objicies 2. Jehu [1] simulavit se velle sacrificare idolo Baal ut ejus cultores agnosceret et deleret : ergo licet aliquando simulare falsam religionem. *Prob. conseq.* Jehu propter suam hanc actionem laudatus fuit a Domino : ergo, etc.

Resp *Nego conseq.* Ad probationem, *dist.* Laudatus fuit eo quod juxta voluntatem Dei delevisset cultores Baal, *conc. ant. ;* eo quod ad eos delendos hanc adhibuerit simulationem, *nego ant.* · nam Div. Augustinus [2] hanc simulationem vocat, *mendacium impium et sacrilegum sacrificium.*

Objicies 3. Sanctus Paulus circumcidit Timotheum [3] et purificavit se ritu Mosaico [4] ; atqui hæc fieri non potuerunt sine simulatione legis Mosaicæ, quæ jam tunc rejecta erat : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Quia quo tempore Apostoli legalia usurparunt, Lex erat mortua quidem , sed nondum mortifera, et ideo justas ob causas absque ulla simulatione ab Apostolis, utpote Judæis, licite observari potuerunt, non ut jam amplius significantia Christi mortem ut futuram, sed ut præteritam.

Resolves : Catholicum infidelitate reum esse :

1° Qui coram idolo genuflectit, thurificat, in his circumstantiis in quibus hæc actio ad falsæ religionis professionem determinatur, quamvis idolum interius despiciat ; imo quamvis thurificatio illa externa non ad idolum, sed ad Deum verum vel ad latentem crucifixum dirigatur [5].

[1] IV, *Reg.* x, 19. — [2] Lib. II *Contra mendacium*, cap. 2. — [3] Act. xvi, 3. — [4] Act. xxii, 26. — [5] *Ita declaravit Sancta Congregatio de propag. Fide Innocent, X. approbante* 12 *sept.* 1645.

2° Qui usurpat cæremonias et ritus ex natura sua, vel ex usu, vel ex instituto hominum significantes cultum falsæ religionis, cujusmodi sunt cœnam Calvinisticam cum solemnitate solita sumere, cum hæreticis Psalmos cancre, coram hæretico Ministro in templo hæreticorum matrimonia celebrare, etc.; hoc est enim profiteri se hæreticum.

3° Qui utitur vestibus vel signis per legem vel consuetudinem institutis ad designandum professorem falsæ religionis, saltem si advertat circumstantes accepturos ejusmodi vestes vel signa tanquam significativa professionis falsæ sectæ; ratio est, quia facto veram fidem negat.

4° Qui obedit Principi hæretico qui, ut suam promoveat vel honoret religionem, præcipit Catholicis ut Hæreticorum templa adeant, concionibus eorum et precibus adsturi, etiamsi rex verbis protestaretur se nolle cogere quemquam ad religionem mutandam, sicut præcepit rex Angliæ tempore Pauli V [1], qui super hoc consultus, respondit: *Non licet vobis hæc facere, sine detrimento divini cultus ac vestræ salutis;* quia, scilicet, edictum tale non est pure politicum, sed tendit in promotionem falsæ sectæ, perniciemque fidei Catholicæ.

Non peccat tamen qui, extra hanc regii edicti circumstantiam, ex mera curiositate templa hæretica ingreditur, ibi concionibus interest, etc., modo absit periculum subversionis aut scandali, quia tunc non simulatur falsæ religionis cultus. Item assistere Baptismo pro patrino, quia id non est nisi se obligare ad puerum olim educandum in fide catholica; secus vero assistere Baptismo, quia cæremonia religiosa est.

5° Qui idolotytis *formaliter* sumptis, id est quatenus sunt in cultum idoli, aut in his circumstantiis in quibus prudenter judicatur esum hunc in cultum idoli referri, quia esset usurpare falsæ religionis cultum, quod nullo unquam casu licet. Secus si idolotytis uteretur *materiali-*

[1] Anno 1606.

ter tantum sumptis ad famem in necessitate sedandam absque scandalo, ut constat ex Apostolo [1]. Ratio est, quia in necessitate licitum est vesci cibo de se indifferenti ; idolothytum autem est cibus de se indifferens : ergo, etc.

QUÆRES : *An Catholicis inter Hæreticos degentibus licitus sit esus carnium diebus ab Ecclesia vetitis, ne agnoscantur ab Hæreticis, et aguiti morte vel gravi pœna plectantur ?*

RESP. *affirm.* Nam neque peccant contra legem Ecclesiæ utpote non obligantem in tali necessitate; neque contra legem divinam de non neganda fide vera, nec profitenda falsa, quia esus carnium die prohibito neque ex natura sua, neque ex Hæreticorum lege ut suppono, est signum professionis falsæ religionis, Catholicique multi vel ex dispensatione, vel ex gula, vel ex ignota infirmitate carnes edunt diebus vetitis.

CAPUT IV.

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

Nota. Duo sunt præcipua vitia fidei opposita : nempe *infidelitas*, quæ actui interno fidei, et *blasphemia*, quæ fidei professioni opponuntur. De utraque sequentibus articulis.

ARTICULUS I.

DE INFIDELITATE.

Nota 1. Infidelitas est *carentia fidei in subjecto apto*, et triplex est, scilicet *pure negativa*, *privativa*, et *positiva*.

Infidelitas *pure negativa* est carentia fidei in eo cui fides nullo modo, vel certe non sufficienter est annuntiata.

[1] 1 Cor. x.

Infidelitas *privativa* est carentia fidei in eo cui fides sufficienter est annuntiata ut credere possit et debeat, qui tamen omittit credere, tametsi nullo contra fidem errore positivo laboret.

Infidelitas *positiva* seu *contraria* est carentia fidei in eo qui fidei sufficienter propositæ dissentit, vel negando veritatem fidei, vel errorem fidei contrarium asserendo.

Nota 2. Infidelitatis positivæ tres assignantur species a S. Thoma [1], scilicet Paganismus, Judaismus et Hæresis.

Paganismus est infidelitas qua doctrina fidei totaliter rejicitur : ad hunc reducitur *Atheismus* et *Mahumetismus*.

Judaismus est infidelitas qua doctrina fidei in Novo Testamento rejicitur, sed Vetus Testamentum admittitur, Messiasque venturus expectatur, venisse negatur.

Hæresis est infidelitas qua, admisso utroque Testamento, aliqua veritas fidei in illis contenta et ab Ecclesia ut talis sufficienter proposita, negatur. Ad hanc revocatur *Apostasia*, quæ est infidelitas eorum qui a Christianismo totaque ejus professione discedunt, transeuntque sive ad Paganismum, sive ad Judaismum, sive ad Mahumetismum.

Certum est 1° Infidelitatem pure negativam non esse peccatum ; dicit enim Christus [2] : *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent*, scilicet *illud peccatum quo non crediderunt in eum*, ait Div. Augustinus [3].

Ratio est, quia omne peccatum est voluntarium, vel in se, vel in alio ; atqui hæc infidelitas non est voluntaria, nec in se utpote incognita, nec in alio, quia nihil faciunt infideles illi unde cognoscere possint se sequi infidelitatem illam : ergo, etc. Hinc Pius V et Gregorius XIII hanc Baii propositionem damnarunt : *Infidelitas pure negativa, in his quibus non est prædicatus Christus, peccatum est.*

Certum est 2° Infidelitatem privativam esse peccatum mortale ex genere suo : qui enim voluntarie omittit cre-

1 2 2, quæst. 10, art. 5. — 2 Joan. xv, 22. — 3 Tract. 89 et 91 *in Joan.*

dere dum potest et debet, sine dubio peccat; atqui talis est qui infidelitate privativa laborat: ergo, etc.; de eo dicitur [1]: *Qui non credit, jam judicatus est.*

Certum est 3° Infidelitatem positivam esse peccatum ex genere suo mortale, et quidem gravissimum, quodque ex sola indeliberatione, non vero ex levitate materiæ a mortali excusari potest; quia directe pugnat contra divinitatem, de cujus veracitate dubitare, vel eam negare in re vel minima est gravissimus Dei contemptus, maximaque irreverentia. His notatis,

QUÆRES 1. *An Principes Christiani possint licite permittere Paganos et Judæos inter Christianos commorari, et suos ritus peragere, seu libertatem conscientiæ donare?*

RESP.. Per se loquendo *negative*, nisi ex gravissima et justa causa. Ratio *prima*, quia Principes Christiani non possunt permittere minora vitia, alias munus suum non implerent: ergo a fortiori nequeunt permittere majora, qualia sunt Judaismus, Paganismus, Mahumetismus, etc.; *secunda*, quia sæpe Scriptura sacra reprehendit Principes, qui excelsa, id est fana, etc., in Jerusalem non destruxerunt, seu permiserunt; et e contra laudantur apud Div. Augustinum [2], Principes Christiani qui templa idolorum claudi, postea dirui fecerunt. Ergo illicitum est per se inter Catholicos illa permittere.

Dixi *nisi ex gravissima et justa causa*, v. gr. si aliquod majus bonum inde proveniat, vel aliquod majus malum vitetur, tunc licitum est Principibus prædicta permittere, seu potius tolerare.

Ratio *prima*, quia videmus Deum permittentem aliqua mala fieri in universo mundo ad vitanda majora.

Secunda, quia sic nos docuit Christus [3], permittendo zizania inter triticum, cum dixit: *Sinite utrumque crescere, ... ne forte eradicantes zizania, eradicetis simul et triticum.*

At prædicta sicut et hæreticos, non solum tolerare vel

[1] Joan. III, 18. — [2] *De Civitate Dei*, lib. XVIII. — [3] Matth. XIII.

permittere, sed promovere, fovere atque Catholicis illos in omnibus coæquare, non solum est gravissimum peccatum, sed est veritatis cum errore confusio, et veræ religionis societatisque civilis destructivum, ut invicte probant Doctores et homines politici vere christiani.

Quæres 2. *Quænam est justa causa ad hanc libertatem conscientiæ tolerandam?*

Resp. Hæc tolerari potest ob commune Catholicæ religionis bonum, non autem ad conservandum regna vel provincias.

Prob. Bona inferioris ordinis ad tuenda bona Religionis sunt exponenda cuicumque periculo; atqui regna et provinciæ sunt bona inferioris ordinis: ergo, ad conservandum bonum religionis Catholicæ, illa periculo exponenda sunt. Sic Paulus V nunquam adduci potuit ad permittendam libertatem conscientiæ, licet ex tali denegatione bellum in provinciis catholicis ingruere non dubitaret[1].

Nota quod, cæteris paribus, difficilius hæreticis libertas conscientiæ quam Judæis, Paganis et Mahumetanis permitti potest, propter majus Catholicorum perversionis periculum[1].

Quæres 3. *An Ecclesia, vel per se vel per Principes Christianos, possit compellere Paganos, Judæos ad fidem amplectendam seu profitendam?*

Nota 1. Quæstio non procedit de hæreticis vel apostatis qui directe spiritualiter Ecclesiæ subditi sunt, et sic possunt compelli, tam armis spiritualibus, quam temporalibus, ut impleant fidem in Baptismo susceptam, et teneant quod semel susceperunt[2], quia sicut vovere est voluntatis, reddere autem necessitatis, ita accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam acceptam est necessitatis.

Nota 2. Distinguendum est. 1° Vel infideles Ecclesiæ, vel Principibus Christianis temporaliter subditi sunt, vel non. 2° Si infideles Ecclesiæ vel principibus Christianis non

[1] Vid. Salm., tract. 21, cap. 2, part. 1. — [2] S. Thom., 2 2, quæst. 10, art. 8.

sunt subditi, sed principibus paganis, vel isti sunt impedientes persecutione, blasphemiis, Evangelii prædicatores, vel non. Quibus notatis,

Resp. 1. Si infideles non sunt temporaliter subditi Ecclesiæ, nec per se nec per Principes Christianos compellere potest illos ad fidem audiendam et amplectendam. 1° *Quia credere voluntatis est;* atqui Ecclesia non potest cogere voluntates ad credendum, nec consequenter ad fidem audiendam, cum hoc sit via ad credendum : ergo, etc.

2° Compulsio supponit jurisdictionem ; atqui Ecclesia nullam habet jurisdictionem in infideles sibi non subditos : ergo, etc.

3° Christus ejusque Discipuli fidem prædicarunt, et ad eam credendam mundum adduxerunt, non vi et armis, sed mansuetudine, patientia et vi miraculorum, juxta illud Matth. x : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum ;* unde, ex S. August.[1], canit Ecclesia: *Domuit orbem non ferro, sed ligno :* ergo, etc.

Dices : Ecclesia habet a Christo potestatem prædicandi Evangelium omnibus gentibus : ergo potest cogere eos ad audiendum illud.

Resp. *Nego ant.* Nam Christus Ecclesiæ concedendo potestatem fidem omnibus prædicandi, non concessit jus ad homines obligandos illam audiendam vel profitendam, sed non ad impediendam ejus prædicationem : ergo, etc.

Resp. 2. Si infideles sunt temporaliter subditi, potest Ecclesia eos compellere ad fidem audiendam, non vero profitendam, ut patet : 1° quia talis est praxis Ecclesiæ ; nam Papa compellebat olim Judæos Romæ commorantes ad semel in hebdomada fidem Catholicam et prædicationem Evangelii audiendam.

2° Quia princeps sæcularis potest cogere subditos ad audiendum medicum præscribentem medicinas ad sanita-

[1] *In Psalm.* v, 1.

tem corporis : ergo ad audiendum prædicatorem animæ medicamenta docentem.

3° Quia principes sæculares possunt præcipere quidquid est in ordine naturali rectum, honestum et valde conducens ad bonum subditorum; atqui actio audiendi verbum Dei est aliquid naturale, rectum, honestum et valde conducens ad bonum subditorum: ergo Summus Pontifex, ut sæcularis princeps, et consequenter alii principes possunt, etc.

RESP. 3. Si principes infideles impediant prædicationem Evangelii persecutione, blasphemiis vel malis artibus, potest Ecclesia per se, vel per Principes Catholicos eos compellere ad evangelicos præcones admittendos, et a suis malis artibus in suos subditos Christianos vel fieri paratos, cessare.

PROB. 1. Ex S. Thoma [1], qui postquam dixerit infideles non esse compellendos ad credendum, subjungit : *Sunt tamen compellendi a fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediant, vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus. Et propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent, non quidem ut eos ad credendum cogant* (*quia si eos vicissent, et captivos haberent, in eorum libertate relinquerent, an credere vellent*), *sed propter hoc ut eos compellant ne fidem Christi impediant.*

PROB. 2. Cui conceditur jurisdictio aliqua, conceduntur omnia ad eam necessaria; atqui Christus, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra, Ecclesiæ concedit plenissimam jurisdictionem, seu potestatem, ad ubique terrarum prædicandum Evangelium, cum dixit Apostolis : *Euntes, docete omnes gentes... prædicate Evangelium omni creaturæ* [2] : ergo Christus Ecclesiæ concessit omnia ad illam prædicationem necessaria; *subsumo:* atqui jus ad prædi-

[1] 2 2, quæst. 10, art. 8. — [2] Matth. XXVIII.

catores ab injuriis tuendos est necessarium ad hanc prædicationem peragendam, ut patet : ergo, etc.

Prob. 3. Quilibet habet jus propulsandi injurias sibi illatas; sed qui impedit prædicationem Evangelii, injuriam infert juri quod Ecclesia habet prædicandi : ergo, etc.

Prob. 4. Supremus princeps potest protegere innocentes contra tyrannos; atqui cum aliquis rex impedit prædicationem veritatis divinæ, facit injuriam subditis, et, ut innocentes opprimit, èst tyrannus, cum viam salutis æternæ illis obstruat : ergo [1], etc.

Nota. Per se loquendo, non est licitum mittere præcones Evangelii militibus stipatos, nam Apostoli prædicarunt verbum Dei, *in multa patientia... in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ* [2]. Dixi *per se,* quia hoc licitum esset ubi propter barbariem et natura effrenatos homines, nisi terrore militum comprimerentur, impossibile esset inter infideles Evangelium disseminare.

Quæres 4. *Quid sit hæresis formalis?*

Resp. *Est error voluntarius et pertinax contra aliquam fidei Catholicæ veritatem, in eo qui se Christianum profitetur.* Unde ad hæresim formalem tria requiruntur.

Primum est *professio Christianismi* ex parte subjecti, quia hæresis est fidei jam susceptæ ejuratio.

Secundum est *error* ex parte intellectus, id est judicium erroneum contra aliquem fidei Catholicæ articulum, quem vel judicat esse falsum, vel *positive* dubitat utrum sit verus; quia ex jure [3], *dubius in fide infidelis est*, quia virtualiter negat Ecclesiam esse infallibilem fidei regulam, quod est aperte hæreticum. Unde

Inferes 1. Eum qui metu mortis negat exterius fidem absque interno mentis assensu, quo verum credat quod ore profert, graviter quidem peccare contra præceptum

[1] Ita Suarez, Lugo, Sotus, Palaus, Cajet., Salmant., et communiter. — [2] II Cor. VI. — [3] Cap. I *de Hæreticis.*

confitendi fidem, proprie tamen hæreticum non esse, nec incurrere pœnas contra hæreticos latas, quia *Ecclesia non judicat de occultis* [1]; nihilominus talis censeretur *hæreticus* in foro externo, et ut talis merito puniretur.

INFERES 2. Eum qui *negative* tantum de veritate fidei dubitat, id est qui judicium suum suspendit quia Ecclesiæ definitio non est ipsi sufficienter proposita, non esse hæreticum formaliter; quia, ut quis teneatur aliquam veritatem credere fide divina, debet illi esse ab Ecclesia sufficienter proposita.

INFERES 3. Non esse hæreticos, nec peccare contra fidem qui, vel scrupulis vel tentationibus velut obruti, sic negative dubitant, seu judicium suspendunt, ut tamen tentationibus illis non consentiant, sed mori mallent quam Ecclesiæ definitionem voluntarie in dubium revocare; isti enim non agunt, sed patiuntur quamdam veluti dubitationem, seu potius tentationem contra fidem.

Tertium est *pertinacia* ex parte voluntatis [2] quæ non consistit in hoc quod quis suum errorem acriter et quasi mordicus defendat ac retineat; sed in hoc quod sciens et volens repugnet Catholicæ fidei sibi sufficienter propositæ ab Ecclesia, *quæ est columna et firmamentum veritatis* [3]; quam ob causam scriptum est: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* Unde

INFERES 1. Neminem esse *formaliter* hæreticum, quamdiu paratus est judicium suum erroneum submittere judicio Ecclesiæ.

INFERES 2. Eum non esse *formaliter* hæreticum, tametsi mortaliter peccet, qui errat in fide, ex ignorantia mortaliter culpabili crassa ac etiam affectata, si illa affectatic ignorantiæ procedat ex solo addiscendi tædio, cum qua stet voluntas ea credendi quæ Ecclesia credit, cum ipsi

[1] Cap. *Sicut tuis, de Simonia.* — [2] Can. *dixit Apostolus, Caus.* 24, quæst. 3. — [3] I Tim. III, 15.

sufficienter proposita fuerint. Ratio est, quia licet voluntarie erret, non tamen errat cum pertinacia.

Dixi *si affectatio ignorantiæ procedat ex solo addiscendi tædio;* quia si ex affectu liberius errandi, et errori suo adhærendi, Ecclesiæ definitionem ignorare affectaret, esset *formaliter* hæreticus; tunc enim Ecclesiæ judicio adhærere non est paratus, vereque est pertinax, cum positive nolit illud cognoscere, ut ei non adhæreat.

INFERES 3. Eum *formaliter* esse hæreticum qui existimans aliquid esse ab Ecclesia definitum, quod non est definitum, contrarium interim pertinaciter tenet. Ratio est, quia Ecclesiam fallibilem esse credit.

QUÆRES 5. *Quot et quænam sint hæreticorum pœnæ?* Ante responsionem

Nota 1. Hæresis formalis alia est interna, alia externa. *Interna,* est ea quæ in mente retinetur; *externa*, est ea quæ, interne vigens, verbis vel facto aliquo externo sufficienter exterius exprimitur.

Externa dividitur in *occultam*, quæ vel nemine, vel uno alterove solummodo præsente et audiente profertur, et *publicam* seu *notoriam,* quæ palam et coram pluribus exterius manifestatur.

Nota 2. Pœnæ hæreticorum aliæ sunt temporales, aliæ spirituales; circa quas

RESP. 1. Hæresis interna occulta nullas habet pœnas annexas; quia *Ecclesia non judicat de occultis* [1], et *cogitationis pœnam nemo patitur* [2].

RESP. 2. Hæresis externa occulta excommunicationem habet Papæ reservatam. Hæresis vero notoria pœnæ

Prima est *infamia juris*, et inde sequens inhabilitas ad omnes actus civiles [3].

Secunda est *intestabilitas,* tam activa quam passiva [4].

[1] Can. *Sicut, de Simon.*—[2] Can. *Cogitationis, de Pœnit.*, dist. I. —[3] Cap. XIII, § *Credentes, de Hæret.*, et leg. final., cod. *de Hæreticis.* —[4] Leg. *Iisdem.*

Tertia est *privatio patriæ potestatis in filios* [1].

Quarta est *amissio dotis* respectu mulieris hæreticæ [2].

Quinta est *confiscatio* omnium bonorum [3].

Sexta est *pœna carceris perpetui* pro hæreticis pœnitentibus non relapsis [4], quæ pœna potest mitigari [5], et exilii perpetui, aut etiam mortis pro hæreticis impœnitentibus [6].

Septima respicit filios hæreticorum, qui 1° privantur hæreditate paterna [7]; 2° sunt infames [8].

Resp. 3. Pœnæ spirituales hæresi notoriæ annexæ, sunt :

1° Excommunicatio major Papæ reservata [9] quæ pœna extenditur ad *credentes* Hæreticis, et eorumdem *receptatores, defensores et fautores* [10].

2° Est *inhabilitas* ad officia, dignitates et beneficia ecclesiastica, quæ extenditur ad *credentes, receptatores, defensores et fautores eorum, ipsorumque filios usque ad secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum duntaxat* [11].

3° Est privatio beneficiorum prius rite obtentorum [12].

4° Est privatio sepulturæ ecclesiasticæ [13].

Porro pleræque illæ pœnæ, maxime temporales, in diversis locis locum non habent ; sed solum excommunicatio major cum omnibus inhabilitatibus et privationibus ipsam consequentibus.

Quæres 6. *Quinam possunt absolvere ab excommunicatione propter hæresim contracta ?*

Resp. Cum hæresis non reservetur nisi propter excommunicationem, ideo

[1] Cap *Quicumque*, § final. *de Hæret.*, in 6. — [2] § *Item privilegium*, cod. *de Hæret.* — [3] Cap. *Cum secundum*, *de Hæret.*, in 6, et leg. *Gazaros*, cod. *de Hæret.* — [4] Cap. XV *de Hæret.* — [5] Cap. XII *de Hæret.*, in 6. — [6] Cap. XIII *de Hæret.*, et leg. *Ariani*, cod. eod.— [7] Cap. X *de Hæret.*, et authentica Gazaros, *de Hæret.* — [8] Ex Bullis Innoc. IV, Alex. IV, Clem. IV, quæ omnes incipiunt *Ad extirpanda*. Item ex 2 constit. Friderici Imperatoris, id expresse statuentibus. — [9] Cap. VIII, IX et XIII *de Hæret.* — [10] Cap. XIII, eodem. — [11] Cap. XV *de Hæret.*, in 6. — [12] Cap. XII *de Hæret.*, in 6. — [13] Cap. VIII, eod. tit.

DISTINGUO : Vel hæresis formalis et externa non est deducta in forum externum, vel deducta est ; si non fuerit deducta, solus Papa, ex Bulla *Cœnæ*, vel ejus delegatus, potest absolvere. Papa enim in pluribus locis dat Nuntio apostolico et Episcopis specialem facultatem aliis communicabilem ad casus Bullæ *Cœnæ ;* item et missionarii apostolici, ex ejusdem delegatione. Nec obstant verba Tridentini [1], ubi potestas absolvendi ab hæresi conceditur Episcopis. Nam per dictam Bullam hæc facultas ipsis adempta fuit, ita ut hodie, *prætextu facultatum quarumcumque*, non liceat illis absolvere in foro interno ab hæresi occulta.

Si vero formalis et externa hæresis sit in forum externum Episcopi vel Inquisitoris quomodocumque deducta, v. gr. si ibi fuerit probata, saltem per unum testem, vel si ipse hæreticus sponte conveniat, potest Episcopus vel Inquisitor ab ea absolvere ; nam qui res cognoscere potest, poterit etiam eas terminare. Quinimo uterque potest pœnitentem hæreticum, postquam suos ejuraverit errores, ad simplicem Confessarium remittere, ut ab eo absolvatur, ex Benedicto XIV [2].

QUÆRES 7. *An prohibita sit cum Hæreticis communicatio ?*

RESP. Quamvis olim communicatio cum quovis hæretico, utpote excommunicato, fuerit prohibita, tamen hodie licitum est communicare cum omnibus specialiter et nominatim non excommunicatis, prout statuit Martinus V [3], modo tamen absit scandalum et perversionis periculum ; quod si alterutrum interveniat in communicatione cum hæreticis, etsi alias licita, vitari debet *jure naturali*, juxta illud Scripturæ : *Qui amat periculum, peribit in illo.*

QUÆRES 8. *An prohibita sit cum Hæreticis disputatio ?*

RESP. 1. Jure Ecclesiastico, prohibita est omnibus Laicis sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ [4].

[1] Sess. 25, cap. 6 *de Reform.* — [2] *De Syn. Diœc.*, lib. XIX, c. 4. — [3] Constit. *Ad evitanda*, edita in Concilio Constantiensi. — [4] Cap. II *de Hæret.*, in 6.

Ratio prohibitionis est, quia in tali disputatione plerumque majus periculum timendum, ne Catholicus pervertatur, vel hæretici in sua falsa religione firmentur, quam sperandum ut convertantur.

Notant tamen multi apud Beccanum [1] hanc legem in locis in quibus hæretici cum Catholicis permixti vivunt, contraria consuetudine esse abrogatam, scientibus et non contradicentibus Ecclesiæ Prælatis; quia subinde talis disputatio necessaria est ad compescendos hæreticos fidei insultantes.

Resp. 2. Nulla lege prohibita est Clericis disputatio sive publica, sive privata cum hæreticis, si debitæ adsint circumstantiæ, quarum prima est ut disputantes sint docti, alias fidem periculo contemptus exponerent. Secunda, ut non disputent coram Catholicis indoctis et simplicioribus, qui auditis hæreticorum argumentis, possent perturbari et in fide vacillare.

Quæres 9. *An prohibita sit librorum hæreticorum lectio?*

Resp. 1. Jure naturali est prohibita iis omnibus quibus ex tali lectione imminet perversionis, vel gravium contra fidem tentationum periculum, etiamsi docti sint, et ipsis concessa sit illius lectionis dispensatio. Ratio est, quia quilibet, ex charitate Dei et sui, tenetur periculum peccati vitare.

Resp. 2. Jure Ecclesiastico duplex extat generalis prohibitio librorum.

Prima continetur in Bulla *Cœnæ*, in qua sub excommunicatione ipso facto incurrenda, Papæque reservata, prohibetur voluntaria *lectio*, *retentio*, *impressio* et *defensio* librorum ab auctore hæretico compositorum, hæresim continentium, vel de religione tractantium.

Secunda continetur in *Indice* librorum prohibitorum, auctoritate Pii IV erecto, et postea per successores conti-

[1] Cap. 15, quæst. 7.

nuato, confirmato et aucto, in quo varii libri in tres classes distincti prohibentur : et quidem,

In *prima classe* ponuntur omnes libri Hæresiarcharum et hæreticorum, qui in odium auctoris sunt damnati.

In *secunda classe* ponuntur *certorum auctorum libri prohibiti*, non propter ipsum libri auctorem, sed propter non sanam, suspectam, aut fidei, moribus et castitati repugnantem, quam continent, doctrinam.

In *tertia classe* ponuntur *incertorum auctorum libri prohibiti*, ob doctrinam quam continent malam, sive in genere *moris*, sive in genere *religionis* aut *fidei*.

Quæres 10. *Sub qua pœna prohibentur libri in Indice ?*

Resp. Omnes libri in *prima classe* damnati, item omnes libri in *secunda* aut *tertia classe* damnati *ob hæresim* quam continent, aut *ob falsi dogmatis suspicionem*, prohibentur sub excommunicatione ipso facto incurrenda, Papæ tamen non reservata. Libri vero *secundæ et tertiæ classis* qui non ob hæresim, aut ob falsi dogmatis suspicionem, sed ex alio capite, v. gr. ob doctrinam Christianis moribus et castitati contrariam, damnantur, prohibiti sunt sub gravi quidem peccato mortali, gravique Episcopi arbitrio imponenda pœna, non tamen sub excommunicatione. Tota hæc resolutio continetur in *Regula decima Indicis*.

Quæres 11. *An in lectione libri hæretici detur parvitas materiæ excusans a mortali et censura?*

Nota. Multi affirmant, sed in assignando parvitatis hujus gradu, plurimum inter se dissident; dum enim Suarez pro parvitate materiæ assignat *duas aut tres lineas*, Sayrus assignat *decem lineas ;* Azorius *unum aut alterum versiculum ;* Arriaga, *unum parvum folium ;* Sanchez vero, cæteris liberalior, *unum magnum folium* concedit; ego vero sentio cum Ethica amoris [1], et

Resp. *negat.* Ratio est, quia libri hæretici præcipue et

[1] Lib. II, pag. 141, num. 284.

communiter prohibentur ob periculum subversionis, a quo nullus, nisi stultus ac superbus, se alienum præsumit in materia tam lubrica, in qua Ecclesia ne ipsis quidem Episcopis et Cardinalibus fidit, sed eorum lectionem omnibus generaliter prohibet; atqui periculum illud in qualibet hæretici libri parte rationabiliter timeri potest et debet, cum quilibet ignoret in qua pagina et periodo respectu sui lateat istud periculum, eo quod in una linea contineri possit antecedens plurimas inferens consequentias perniciosissimas, quæ tentationem gravissimam, et inde grave periculum excitare possunt: ergo, etc.

QUÆRES 12. *An Bulla* Cœnæ *et* Index *librorum prohibitorum vigeant in Gallia?*

Respondent incaute omnes fere Gallicani Theologi, Jurisconsulti et Canonistæ, *negative*, quia, inquiunt, in Gallia nec *leæ Indicis*, nec *Bulla Cœnæ* promulgatæ sunt, nec usu receptæ; sed docent communiter Canonistæ et Theologi leges Pontificias, si Romæ sint promulgatæ, hoc ipso, obligare totum orbem Ecclesiæ subjectum, nisi Papa disponat aliter, ut disposuit circa legem irritantem matrimonium clandestinum, latam in Concil. Trident. [1]; et quoad acceptationem legis a populo, vide propositionem 28 damnatam ab Alexandro VII.

QUÆRES 13. *Quomodo Romæ proceditur in prohibitione librorum?*

Nota. Duplex est congregatio ad quam pertinet examen et proscriptio librorum, nempe Congregatio *Universalis Inquisitionis*, vel *Sancti Officii*, vel *suprema* nuncupata, et Congregatio *Indicis*. Prima constat S. R. E. Cardinalibus a Summo Pontifice delectis, quibus adjungitur unus ex Romanæ Curiæ præsulibus, quem *Assessorem* vocant. Item unum *Commissarium*, et numerus *Consultorum* indeterminatus. Alios tandem sibi consociat congregatio viros insignes pietate et doctrina, qui *Qualificatorum* vocabulo

[1] Sess. 24, cap. 1 *de Reform.*

designantur. Congregatio autem *Indicis* pariter conflatur a compluribus Cardinalibus a Papa delectis, aliisque viris doctrina præstantissimis, quorum unus *Præfectus*, unus *Assistens*, nempe S. Palatii Magister, et unus *Secretarius* constituitur. His notatis,

Resp. S. Congregatio *Sancti Officii* sic procedit. 1° Liber examinandus traditur uni ex *Qualificatoribus* vel *Censoribus* ab ipsa Congregatione designando ; qui, post attente librum lectum matureque perpensum, censuram suam scripto consignat, indicatis locis et paginis ubi putat errorem contineri. 2° Liber sic notatus mittitur ad Consultores singulos, ut in congregatione adunati judicium de libro ejusque censura collective feratur. 3° Quamvis conveniat hoc secundum judicium cum primo, liber iterum remittitur notatus a primo censore ad alium revisorem, suppresso duntaxat *Censoris* nomine prioris, ut liberius valeat judicium suum exprimere. 4° Vel hic revisor cum priori convenit, vel dessentit : si *primum*, liber traditur Cardinalibus, ut quod justum est dicernant ; si *secundum*, tertius adhibetur revisor, cujus voto accepto, iterum Consultores congregantur, qui suffragium collective ferunt, quo peracto, restat Cardinalibus *peremptorium*, ut dicitur, judicium proferre. 5° Accessor denique acta omnia defert ad Summun Pontificem, ut ejus oraculo res tota absolvatur.

Cum vero libri examen ad S. Congregationem *Indicis* defertur, sic proceditur : 1° Secretarius ejusdem Congregationis recipit denunciationem, et a denunciatore diligenter inquirit quas ob causas librum denunciet ejusque prohibitionem postulet. 2° Cum prævia dispensatione Summi Pontificis vel Cardinalis Præfecti, duobus assumptis Consultoribus, librum attente pervolvit. 3° Si, collato horum judicio, liber censura dignus existimatur, eligitur relator qui judicium scriptis mandet. 4° Hoc judicium defertur ad privatam Consultorum congregationem, quæ nunc *præpa-*

ratoria, olim vero *parva*, appellatur, eique semper interesse debet S. Palatii Magister cum sex aliis de numero Consultorum. 5° Demum ad Congregationem generalem omnia deferuntur, quæ, servatis iisdem regulis pro Congregatione Sancti Officii præscriptis, ad ultimam rei compositionem venit, facta tamen, ante publicationem, per Secretarium relatione ad Summum Pontificem, pro ejusdem scilicet confirmatione. Vides quantæ cautelæ, quot præcautiones, ut bonum a malo, verum a falso secernatur!

Excipiuntur tamen casus in quibus causa brevius expeditur: 1° quando liber denunciatur hominis hæretici, in quo auctor consulto et aperte docet contra Catholicum dogma; 2° cum agitur de libro bonis moribus repugnante. Imo quandoque, maxime si de hæresi agatur, Romanus Pontifex per se Brevi speciali et dogmatica Constitutione librum immediate perstringit.

QUÆRES 14. *An ante prohibitionem auctor libri sit audiendus, si cognoscatur?*

RESP. *negat.* Per se loquendo; nam non agitur de fide vel moribus auctoris libri, sed de ipsomet libro rebusque in eo contentis.

Dixi *per se loquendo;* nam optat Sancta Sedes ut auctor vel per se, vel per aliquem Consultorem, si causam suam tueri velit, audiatur, modo tamen 1° auctor sit Catholicus et aliqua nominis et meritorum fama insignis; 2° ejus opus tale per se existimetur quod demptis demendis, in publicum fructuose venire possit, quod sane soli Congregationi competere nemo negabit.

QUÆRES 15. *An Episcopus possit in propria Diœcesi libros noxios prohibere?*

RESP. *affirm.* Imo et debet: etenim Episcopus jure divino populum sibi commissum debet sana doctrina instruere et adversarios repercutere; atqui libri noxii facile possunt simplicium fidem et corda pervertere: ergo. Unde

S. Ligorius dicit : *Prohibere libros per totum orbem spectat ad Pontificem, et pro ipso ad S. Congregationem ; Episcopi autem et Inquisitores possunt libros prohibere in territorio proprio* [1]. Hinc Leo Magnus : *Si quis Episcoporum.... apocrypha haberi per domos non prohibuerit... hæreticum se noverit judicandum ; quoniam qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat* [2].

Non potest tamen Episcopus damnare librum propter propositiones, maxime circa doctrinam, in eo contentas non damnatas ab Ecclesia, ne videatur condere articulum fidei, quod a Summo Pontifice debet solum definiri. Per se autem claret a solo Romano Pontifice vel a Sacra Congregatione Sancti Officii aut Indicis licentiam legendi libros prohibitos esse impetrandam, nam illius est permittere, cujus est vetare.

QUÆRES 16. *An pro fidei nostræ dilatatione omnes solliciti esse debeamus ?*

RESP. *affirm. Prob.* 1° Ex Matth. [3], ubi Christus dicit : *Rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam ;* atqui messis Dei sunt omnes populi, etiam illi qui nunquam cognoverunt eum : ergo, etc.

2° Ex S. Paulo [4] : *De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur sicut apud vos ;* atqui sermo Dei currit cum fides dilatatur.

3° Ex S. Sedis oraculis, quæ societatem pro fidei dilatatione institutam quamplurimum commendat, tot tantisque spiritualibus beneficiis cumulavit.

4° Ratione. *Quisquis enim*, inquit Stapf [5], *præsentem hominis conditionem atque absolutam Religionis christianæ necessitatem perspectam tenet, profecto nihil magis in votis habere potest quam regnum Dei , quo veritas dilatetur.* Hinc, juxta spiritualis vitæ Magistros, signum et effectus amoris Dei, zelus est pro salute animarum. Præterea cha-

[1] Lib. VII, num. 290. — [2] Epist. XV, a. 93, *ad Turribium*, cap. 15. — [3] IX, 38. — [4] II Thess. III. — [5] § 166.

ritas fraterna obligat ut periclitantibus opem feramus; atqui vere periclitantur qui longe errant a fide: ergo, etc.

Dixi *omnes*, sed præcipue studium dilatandæ Religionis Ecclesiasticis, et maxime Episcopis incumbit; nam ipsis in persona Apostolorum Dominus præceptum dedit *prædicandi Evangelium omni creaturæ;* unde S. Chrysostomus ait: *Quasi pater totius orbis sacerdos est; dignum igitur est ut omnium curam agat, sicut Deus cujus fungitur vice*[1].

Resolves 1. Ille quem Deus vocat ad prædicandam fidem gentibus, tenetur omnia postponere ut vocationi divinæ fidelem se præbeat; hinc Apostolus[2]: *Cum vocavit me per gratiam suam... ut evangelizarem illum gentibus, continuo non acquievi carni et sanguini.*

Resolves 2. Superiorum est tales vocationes non solum non impedire, sed et omnibus modis adjuvare. Reddent enim rationem animarum infidelium, si prohibuerint illos per quos salvæ factæ fuissent.

ARTICULUS II.

DE BLASPHEMIA.

Quæres 1. *Quid sit blasphemia?*

Resp. Est *contumeliosa in Deum locutio.*

Dicitur 1° *contumeliosa,* quia cum Deus sit ubique præsens, omnis in eum maledictio est vera contumelia.

Dicitur 2° *locutio* interna vel externa: unde si Deus injuria afficiatur non verbo, sed facto, v. gr. flagellatione, non erit stricte blasphemia, sed contumelia specialiter.

Dicitur 3° *in Deum,* sive immediate in se, sive mediate in creaturis, quatenus in eis aliquod Dei attributum relucet, ut sunt Sancti, cœlum, etc.

Quæres 2. *Quotuplex est blasphemia?*

[1] Homil. *in Epist. I ad Tim.*, cap. II. — [2] Galat. I, 16.

RESP. Triplex, scilicet *hæreticalis, imprecativa*, et *mere dehonestativa*.

Blasphemia *hæreticalis* est ea *qua Deo tribuitur aliquis defectus*, v. gr. quod sit injustus, crudelis, etc.; *vel negatur aliqua perfectio*, v. gr. quod sit omnipotens, omniscius, etc.; *vel tribuitur creaturæ quod soli Deo convenit*, v. gr. divinitas, omnipotentia. Quisquis enim vel negat aliquid quod Deo convenit, vel asserit de eo quod ei non convenit, vel attribuit id quod est Dei proprium, alicui creaturæ, repugnat confessioni fidei.

Blasphemia *imprecativa* est ea *qua quis Deo malum imprecatur*, v. gr. maledictus Deus, pereat Deus, denego Deum, etc.

Blasphemia *mere dehonestativa* est ea *qua aliquid Deo conveniens profertur cum irreverentia* : qualis est blasphemia eorum qui indignabundi et irrisorie nominant Christi caput, viscera, sanguinem, ventrem, etc.

QUÆRES 3. *Quale sit peccatum blasphemia?*

RESP. Omnis blasphemia est per se peccatum mortale, nec ullam admittit parvitatem materiæ. Ratio est, quia quælibet Dei contumelia vel maledictio, utpote Dei majestatem positive deprimens, gravem Deo injuriam infert: ergo est peccatum gravissimum : *Nihil horribilius blasphemia*, inquit Div. Hieronymus [1], *quæ ponit in excelsum os suum*. Et ideo in Lege veteri morte puniebatur [2] : *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte morietur*.

Porro, ad mortalem blasphemiam non requiritur formalis intentio Deum inhonorandi, sed sufficit virtualis; cum quis, v. gr. ex ira aut indignatione, imo etiam ex joco ea profert, quæ ex communi intelligendi modo, aut ex circumstantiis Dei inhonorationem continet, et blasphemans id avertere potest et debet. In confessione tamen explicandum est, si quis (quod raro contingit), directe, et

[1] Lib. VII *in Isaiæ* cap. XVIII. — [2] Levit. XXIV.

formaliter Deum inhonorare intenderit, et ei formaliter iratus fuerit. Unde

Resolves 1. Blasphemat qui dicit *dæmonem sanctum, omnipotentem*, non vero si nominatur *potens, sapiens*, etc., ut revera est secundum suam naturam.

Resolves 2. Nec est blasphemia quando verbum mutatum aut diminutum pronunciatur, ut, *Nego Di, Jarni Di, Santo Di*, etc.

Resolves 3. Neque si dicas : *Renego Deum si te non percussero ;* vel : *Tam est verum, quam verum est Deum existere. Ratio*, inquit S. Ligorius [1], *quia tunc hæc verba proferens, in primo casu non habet animum negandi Deum, casu quo non percusseris, sed quia certe vis percutere*, dicis : *Sicut certum est quod Deum non negabo, ita certum est quod te percutiam ;* in secundo casu, quia non vis æquiparare veritatem certam cum incerta, sed solum inducere similitudinem quamdam mixtam cum aliqua hyperbole. Neque si dicas : *Hoc erat a fato destinatum ;* neque si alleras verba Scripturæ ad dicendam facetiam, modo non sit turpis, vel contemptum sapiat ; neque jurare per membra Christi honesta, modo non jures irrisorie, neque si maledicas diabolo, quia vere maledictionibus est dignus ut auctor malorum et Dei inimicus.

Nota. Quamvis forte plerumque rustici non peccent mortaliter ratione blasphemiæ, talia et similia verba blasphematoria proferentes impetu naturali, tamen qui talium verborum consuetudinem habent, tenentur sub peccato mortali serio conare eam tollere. Vix enim fieri potest ut hæc verba sine omnimoda advertentia proferantur ; nam *ira, aut habitus*, inquit S. Ligorius [2], *ordinarie non ita intellectum obtenebrat, ut penitus ad malitiam blasphemiæ non advertatur, licet ipsa reflexe non cognoscatur.*

Cæterum, communiter dicunt auctores : 1° quod in dubio an aliqua sit, velne, blasphemia, minime ut blasphe-

[1] Lib. IV, num. 124. — [2] Lib. IV, num. 128.

mia sumenda sit; 2° quod si pœnitens neget affectum indignationis suæ erga Deum directe se extendisse, sed solum ad hominem cui iratus fuerit, tunc attendendum est ad verba ; si enim secundum se divini honoris diminutionem nullam exprimant, non censenda est blasphemia, atque peccatum mortale. Ita Layman, Viva, Pal., Bonacina, S. Ligor., etc.

QUÆRES 4. *An species blasphemiæ debeat exprimi in Confessione?*

RESP. *affirm.* 1° Quia blasphemiæ *hæreticalis* et *imprecativa* duplicem habent malitiam *specie* diversam : *hæreticalis* quidem pugnat contra religionem et fidem, si de Deo interne sentitur quod ei verbis attribuitur; *imprecativa* vero, præter malitiam irreligiositatis, continet malitiam odii Dei contra charitatem. 2° Quia blasphemia quæ est immediate in Deum, est gravior ea quæ in eum est tantum mediate; et ideo omnia illa distingui debent in Confessione.

Notat hic P. Antoine [1], post Habert [2], appellationem nominis Dei vel Jesu frequenter ex quadam animi levitate, et sæpe ex impatientia prolatam his exclamationibus *Jesu! Deus bone!* etc., licet non sit blasphemia, esse tamen vanam usurpationem nominis Dei, et culpam venialem contra religionem. Ratio est, quia nomen Dei sanctum et terribile sine ullo religionis sensu usurpare, ut aliquid commune et profanum, vera est irreverentia. Unde prohibetur Eccl. XXIII : *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis*, id est, a peccato irreverentiæ contra eos.

[1] Tract. *de Religione*, cap. I, art. 2. — [2] Ibid.

DISSERTATIO II.

De spe theologica.

Nota. Multiplex est acceptio spei in Scriptura :

1° Enim sumitur pro objecto spei; sic *Rom.* VIII : *Spes quæ videtur, non est spes.*

2° Sumitur pro eo a quo speratur tale bonum, Psal. XC: *Tu es, Domine, spes mea.*

3° Pro eo per cujus intercessionem speramus vitam æternam ; sic Ecclesia de B. V. Maria canit : *Spes nostra, salve.*

4° Sumitur pro habitu vel actu sperandi; de spe sic sumpta exponenda sunt : 1° essentia et divisio ; 2° objectum; 3° ejus distinctio a fide et charitate ; 4° subjectum; 5° proprietates; 6° vitia opposita ; de timore autem qui est effectus spei, utilius loquemur in dissertatione de Sacramento pœnitentiæ, ubi de attritione.

CAPUT I.

DE ESSENTIA ET DIVISIONE SPEI.

QUÆRES 1. *Quid sit spes?*

RESP. Spes est *virtus theologica, per quam certa cum fiducia beatitudinem æternam et media illius consequendæ a Deo expectamus.*

Dicitur 1° *virtus*, quia de se inclinat ad bonum, nempe ad expectationem Dei tanquam finis nostri ultimi, quod certe bonum est ; si enim bonum est Deo ut fine ultimo perfrui, utique bonum est Deum ut finem ultimum exoptare, et in eum toto mentis conatu ferri.

Dicitur 2° *theologica*, quia versatur immediate circa Deum supernaturaliter possidendum.

Dicitur 3° *per quam certa cum fiducia*, quia spes animam teniat bonibus et proce is hujus vitæ agitatam, firmat in promissis Dei; sed de certitudine spei postea.

Dicitur 4° *a Deo*, quia beatitudo supernaturalis, solis naturæ viribus non potest comparari.

Dicitur 5° *expectamus beatitudinem æternam, et media illius consequendæ*, per quod denotatur objectum spei, tum primarium, tum secundarium; de quo infra dicemus.

Quæres 2. *Quotupliciter spes theologica dividatur?*

Resp. Dividitur 1° in *habitualem* et *actualem*.

Spes *habitualis* est habitus nobis a Deo infusus, actuum spei elicitivus, cum auxilio gratiæ actualis.

Spes *actualis* est actus quo voluntas per gratiam excitata, certa cum fiducia expectat æternam beatitudinem.

2° Dividitur in *formatam* et *informem*.

Spes *formata* est ea quæ in subjecto conjuncta est cum charitate.

Spes *informis* est ea quæ reperitur in homine per peccatum charitate destituto; diciturque *informis*, non quod careat forma spei, per quam est vera virtus, sed quod careat charitate, quæ est forma extrinseca virtutum, per quam habent ut sint Deo gratæ et meritoriæ.

Dices: Divisio spei in formatam et informem non est legitima: ergo. *Prob. ant.* Spes informis non est vera spes theologica: ergo, etc.

Resp. *Nego ant. et ejus prob.* Nam illi non sunt vera spe theologica destituti, qui in spem eriguntur, quique confidunt Deum sibi propitium fore; atqui ex Concil. Trident. peccatores *ad considerandam Dei misericordiam s convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore*[1]: ergo, etc.

[1] Trident., sess. 5, cap. 6.

CAPUT II.

DE OBJECTO SPEI.

Nota. Quæstio procedit de objecto tum materiali, tum formali : ideo

ARTICULUS I.

DE OBJECTO MATERIALI SPEI.

Nota. Certum est objectum materiale spei esse æternam beatitudinem, juxta illud [1] : *Quærite primum regnum Dei ;* sed cum beatitudo sit duplex, *objectiva* scilicet, et *formalis,* ideo sunt tres circa præsentem difficultatem opiniones.

Prima docet beatitudinem formalem esse objectum materiale spei , ac proinde spem non attingere Deum immediate, sed visionem Dei [2].

Secunda docet beatitudinem objectivam esse objectum spei immediatum, visionem vero Dei esse tantum conditionem, quæ repræsentat illud objectum [3].

Tertia constituit objectum spei in utraque beatitudine, cum qua sit

CONCLUSIO I.

Objectum materiale primarium spei est Deus et possessio Dei, sive est Deus possidendus.

Prob. Illud est objectum spei primarium, quod primo et per se expectatur, et cætera propter illud; atqui Deus possidendus primo et per se a spe expectatur, et cætera media salutis non nisi propter Deum possidendum expectan-

[1] Matth. VI, 33. — [2] Ita Durand., in 3, dist. 26, quæst. 2. — [3] Ita Paludanus, Major et alii apud Vasq., in 2, distinct. 15, cap. 2 et 3.

tur: ergo, etc.; *major* est definitio; *min. prob.* quia rem aliquam non desideramus, nisi quatenus est nobis bona et conveniens, nisi quatenus sit nostra per possessionem, ut constat exemplo avari cui pecunia non est bona sine ejus possessione, nec possessio sine pecunia: ergo Deus possidendus primo et per se a spe expectatur etc.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Cum Durando: objectum primarium spei non est Deus, sed sola possessio Dei: ergo, etc.

Prob. ant. Quidquid speramus, illud amamus amore concupiscentiæ; atqui solam visionem Dei, non vero Deum ipsum, possumus amare amore concupiscentiæ.

Prob. min. Quod amamus amore concupiscentiæ, amamus propter nos; atqui non possumus Deum amare propter nos, Deus enim est finis ultimus ad quem omnia debent referri: ergo, etc.

RESP. *Nego maj.* Quia amor concupiscentiæ non consistit in eo quod amemus Deum propter nos tanquam propter finem; amor enim ille esset inordinatus, sed quod amemus Deum nobis, id est in nostrum commodum et utilitatem, quod utique recte et ordinate fieri potest.

INST. 1. Objectum spei est aliquod bonum absens et arduum; atqui Deus, utpote ubique præsens, non est bonum absens, sed ejus visio; nec est bonum arduum in se, sed ejus consecutio: ergo objectum spei non est Deus ipse, sed visio Dei.

RESP. *Dist. maj.* Objectum spei est bonum absens et arduum quoad sui assecutionem et possessionem, *conc. maj.*; quoad sui existentiam, *nego maj.*; atqui Deus non est bonum absens et arduum, quoad sui existentiam, *conc. min.*; quoad sui consecutionem, *nego min.* Deum autem speramus, non simpliciter qualenus est existens, sed quatenus est per intuitivam visionem possidendus; qua ratione est

absens, atque etiam arduus, quia solis naturæ viribus adipisci non potest.

Inst. 2. Qui desiderat scientiam, non desiderat rem quæ scitur : ergo a pari qui desiderat Dei fruitionem, non desiderat Deum.

Resp. *Dist. ant.* Qui desiderat scientiam, non desiderat rem quæ scitur, prout est in se, *conc. ant.;* prout est scita, *nego ant.* Ergo a pari qui desiderat Dei fruitionem, non desiderat Deum prout est in se, *conc. conseq.;* prout est possidendus, *nego conseq.* Desiderat enim Deum possidere : ergo tum Deum, tum possessionem Dei desiderat.

Objicies 2. Cum auctoribus secundæ opinionis : Objectum spei primarium est illud circa quod spes immediate versatur; atqui spes immediate versatur circa Deum tantum, alias non esset virtus theologica, sicut nec religio quæ versatur immediate circa cultum Dei : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Nam spes versatur immediate circa Deum possidendum, nam ex Deo et ejus possessione constituitur integrum objectum quod immediate per actum spei attingitur ; alia est ratio de religione, quia ex cultu Dei, in ipso Deo non constituitur adæquatum religionis objectum, sed religio immediate versatur circa solum cultum, et non nisi mediate circa Deum.

Inst. Objectum primarium spei, est merces bonorum operum; atqui talis merces est Deus solus [1]: *Ego ero merces tua magna nimis:* ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Merces bonorum operum est Deus solus in se sumptus, *nego min.;* est Deus possidendus, *conc. min.;* neque enim Deus est merces nostra nisi quatenus est bonum nostrum, nec est bonum nostrum nisi quatenus a nobis possidetur sive in re, sive in spe.

[1] Gen. xv, 1.

CONCLUSIO II.

Objectum secundarium spei, sunt omnia media ad Deum possidendum necessaria.

Prob. Illud ad quod virtus inclinat et movet in ordine ad objectum virtutis primarium, est ejus objectum secundarium; atqui spes inclinat et movet ad omnia salutis media in ordine ad finem primarium, qui est Deus possidendus, nam eodem actu quo finis efficaciter appetitur, media etiam saltem implicite appetuntur : ergo, etc.

ARTICULUS II.

DE OBJECTO FORMALI SPEI, SEU DE IMMEDIATO MOTIVO, PROPTER QUOD SPERAMUS.

Nota 1. Cum objectum materiæ spei sit bonum futurum, arduum et possibile per virtutem Dei auxiliatricem, nobis a Deo promissum, quærunt Theologi quodnam ex illis sit objectum spei formalis, an arduitas, an bonitas relativa, an omnipotentia Dei auxiliatrix?

Nota 2. Spes est quidam amor importans actum prosecutionis; unde in actu spei duo occurrunt, scilicet, 1° desiderium efficax, seu amor Dei, ut summi boni nostri; et 2° tendentia in illud bonum, fundata in auxiliatrice Dei omnipotentia, misericordia, in promissis, fidelitate et meritis Salvatoris. His positis,

CONCLUSIO.

Objectum formale spei spectatæ prout est amor seu desiderium beatitudinis nostræ, est bonitas Dei relative ad nos; spectatæ vero ut est tendentia in beatitudinem, est omni-

potentia Dei auxiliatrix nobis propter merita Christi promissa.

PROB. PRIMA PARS. Illud est objectum formale spei, prout est amor beatitudinis, quo movemur et excitamur ad amandum Deum amore concupiscentiæ; atqui bonitas Dei relative ad nos, est id quo movemur et excitamur ad amandum Deum amore concupiscentiæ; sperans enim amat Deum quatenus est suum bonum, finisque suus ultimus: ergo. Hinc Div. Thomas [1], postquam distinxit duplicem amorem, unum *perfectum, quo aliquid secundum se amatur*, alterum *imperfectum, quo quis amat aliquid non secundum ipsum, sed ut illud bonum sibi proveniat, sicut homo amat rem quam concupiscit*, addit: *primus amor pertinet ad charitatem qua inhæret Deo secundum se ipsum; sed spes pertinet ad secundum amorem, quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit.* Quæ postrema verba continent hanc nostram propositionem.

PROB. SECUNDA PARS. Illud est objectum formale spei spectatæ ut est tendentia, seu prosecutio beatitudinis nostræ, quo movemur et excitamur ad Deum ut summum bonum nostrum, supremamque felicitatem nostram certa cum fiducia expectandam; atqui omnipotentia Dei auxiliatrix nobis propter merita Christi promissa, est id quo movemur et excitamur ad Deum ut summum nostrum bonum, certa cum fiducia expectandum: ergo, etc. Ideo enim certa cum fiducia summi boni nostri possessionem expectamus, quia Deus in mediis salutis ditissimus, in nos misericors, in promissis fidelis, eam propter Christi merita promisit servantibus mandata perseveranter usque ad mortem. Quæ omnia belle expressit Div. Thomas [2] his verbis: *Objectum formale spei est auxilium divinæ pietatis et potestatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quæ sunt materiale objectum spei.* Ergo *triplex* immediatum

[1] 2 2, quæst. 17, art. 8 *in corp.* — [2] In *Quæst. disputatis*, quæst. 1, art. 5.

motivum constituit objectum *formale* spei, nempe misericordia, omnipotentia et promissio divina nos salvandi per merita Christi. Sublato primo, Deus non moveretur ad salvandum; sublato secundo, non posset salvare; sublato tertio, non valeremus salutem cum certa fiducia sperare.

Objicies 1. Ejusdem virtutis non potest esse duplex objectum formale et motivum: ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Non potest esse duplex objectum formale ejusdem virtutis, cujus actus sit unicus, *conc. ant.;* cujus actus sit saltem æquivalenter duplex, *nego ant.* Atqui, ut notavimus, actus spei est æquivalenter duplex: ergo spei est duplex objectum formale partiale, ex quibus unum totale constituitur.

Objicies 2. Arduitas objecti sperati est objectum formale spei: ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Quia objectum formale spei debet esse tale, ut voluntas moveatur per illud ad aliquid volendum ac amandum; spes enim est quidam amor prosecutivus; atqui *arduitas* quatenus significat difficultatem assequendi bonum, non movet voluntatem ad prosequendum, quin potius illam retrahat a prosecutione, ut sæpe docet experientia: ergo, etc.

CAPUT III.

DE DISTINCTIONE SPEI A FIDE ET CHARITATE

Nota. Hic erraverunt, 1° Lutherani, qui existimarunt veram fidem nihil aliud esse quam certam fiduciam in promissis Dei, sicque spem divinam a fide divina non distinxerunt.

2° Janseniani, qui amorem spei ab amore charitatis non distinguunt, nisi penes absentiam vel præsentiam objecti: *Amor spei est ab amore charitatis distinctus*, ait

auctor *Ethicæ amoris* [1], *quod amoris charitatis objectum esse non debet absens, uti objectum amoris desiderantis possessionem Dei;* unde concludit [2], *amorem spei esse verum amorem charitatis quatenus hæc definitur:* virtus qua Deus diligitur propter se, et proximus propter Deum; *verum*, inquit, *amorem filialem, non mercenarium; perfectum, non imperfectum, purum, non impurum; gratuitum, non interessatum;* sicque putat facile conciliari posse *Theologos super divini amoris necessitatem ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ, cum* (*exceptis paucis rigidis Molinistis*), inquit [3], *cæteri fere conveniunt saltem amorem spei, sive Dei quatenus summi boni et ultimi finis nostri, ad eam necessarium esse, qui si gratuitus sit, verusque amor charitatis, saltem generaliter dictæ, in re conveniunt cum Augustini et Aquinatis discipulis:* contra hos spei Christianæ inimicos

CONCLUSIO.

Spes est realiter a Fide et Charitate distincta.

Prob. *prop. generaliter.* 1. Ex Apost. [4] dicente: *Nunc autem manent fides, spes, et charitas, tria hæc; major autem horum est charitas.* Tres illæ virtutes constituunt numerum ex his verbis, *tria hæc:* ergo sunt distinctæ a se invicem. Præterea, ubi est majus et minus, ibi est distinctio; atqui inter illas virtutes major est charitas: ergo datur distinctio inter illas.

Prob. 2. Illæ virtutes sunt realiter ab invicem distinctæ, quæ habent diversa objecta formalia realiter distincta; atqui fides, spes et charitas habent diversa objecta formalia realiter distincta: ergo, etc.; nam objectum formale fidei est veritas in dicendo; charitatis est divina bonitas absoluta et secundum se; spei vero est di-

[1] Lib. v, cap. 2, num. 7. — [2] Ibid., num. 9. — [3] Num. 10. — [4] I Cor. XIII.

vina bonitas relativa, seu æterna beatitudo quatenus est summum bonum nostrum divino auxilio obtinendum

PROB. *specialiter contra Lutheranos spem realiter distingui a fide.* Nam ea quorum unum potest esse sine alio, distinguuntur realiter : atqui fides theologica potest esse sine spe ; tum quia fides est prior spe, cum, ex Trident.[1], spes oriatur a fide ; tum quia Christianus retinens habitum fidei, potest amittere habitum spei, desperando de sua propria salute : ergo, etc. Hinc Concil. Trident.[2] anathematizat eos qui dixerint *fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum.*

PROB. *specialiter contra Jansenianos, spem realiter distingui a charitate ;* tum quia ex citato Apostolo, charitas *major* est spe ; nihil autem seipso majus est ; tum quia spes remanet in peccatore non desperante, non autem charitas ; item charitas remanet in patria, non autem spes : ergo, etc.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES 1. *cum Lutheranis:* Expectare vitam futuri sæculi, est proprie actus fidei divinæ, juxta Symbolum : *Expecto vitam futuri sæculi ;* atqui ipsum *expectare, est sperare ;* ergo actus fidei est idem cum actu spei; ac proinde habit s fidei et spei non distinguuntur realiter.

RESP. *Dist. maj.* Expectare est actus fidei præsuppositive, *conc. maj. ;* formaliter, *nego maj.* Atqui expectare *formaliter*, est sperare, *conc. min. ;* expectare *præsuppositive,* est sperare, *nego min.*

Itaque in Symbolo, *expecto* ponitur pro *credo.* quia, licet expectare non sit credere *formaliter,* est tamen credere *præsuppositive*, cum actus sperandi fundetur in fide rei venturæ ; ex quo fit ut fides nonnunquam sumatur pro spe, et contra ; non quod fides sit indistincta a spe, sed

[1] Sess. 6, cap. 6. — [2] Sess. 6, can. 12.

quod aliquando causa ponatur pro effectu, et effectus pro causa.

OBJICIES 2. *cum Jansenianis:* Habitus spei non distinguitur ab habitu charitatis : ergo, etc.

Prob. ant. Idem specie actus non potest produci a distinctis specie habitibus; atqui actus sperandi producitur a charitate juxta, illud [1] : *Charitas omnia sperat.* Ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Ad prob. *dist.* Charitas omnia sperat elective, *nego;* imperative, *conc.* Charitas quidem imperat actus omnium aliarum virtutum, nam *patiens est, benigna est,* etc. Verum actus imperati non producuntur a virtute imperante, sed ab alia quæ ad imperium ejus elicit proprium suum actum.

INST. 1. Amor quo Deum ut nobis summe bonum prosequimur, est amor quo tendimus in Deum ut finem ultimum; atqui amor quo tendimus in Deum ut finem ultimum, pertinet ad charitatem stricte sumptam : ergo amor, quo diligimus Deum ut nobis bonum, est amor charitatis.

RESP. *Nego min.* Ille enim solus amor pertinet ad charitatem, quo Deus diligitur propter se solum, seu propter absolutam sui bonitatem; atqui Deus non diligitur propter se solum per amorem quo in eum, ut in finem ultimum, nostrum tendimus, alioqui et *gratis* et simul *mercenarie* diligeremus : ergo aliud est operari propter Deum propter se dilectum, et aliud operari propter Deum tanquam ultimum finem.

INST. 2. Ex *Ethica amoris* [2], amor qui præcipitur hoc mandato [3]: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* est amor perfectæ, imo et perfectissimæ dilectionis; atqui illa Dei dilectio non præcipitur absque respectu Dei ad creaturas, imo cum eo respectu : ergo amor quo tendimus in Deum, ut finem ultimum, pertinet ad charitatem stricte dictam.

[1] I Cor. XIII, 6. — [2] Lib. III, cap. 2, § 1, num. 12. — [3] Matth. XXI, 37.

Resp. *Dist. maj.* Amor qui præcipitur hoc mandato est amor perfectissimæ dilectionis, sive charitatis, sive spei, *conc. maj.;* solius charitatis, *nego maj.* Atqui illa dilectio non præcipitur absque respectu Dei ad creaturas, in amore concupiscentiæ, *conc. min.;* in amore charitatis, *nego min.* Itaque hoc Christi mandato : *Diliges Dominum Deum tuum*, præcipitur dilectio Dei in genere, quæ si habeat pro objecto Deum propter se dilectum, est amor charitatis ; si habeat pro objecto eum ut nobis bonus est, est amor spei ; perfectio ergo illius dilectionis ex motivo magis vel minus perfecto pendet.

Inst. 3. Verba illa : *Diliges Dominum Deum tuum*, reddunt hunc sensum : *Quia ipse est Dominus Deus tuus ; ideo Deus tuus, quia primum principium tuum, et ultimus finis tuus, et omne bonum tuum.* Ergo nullus amor illo textu præceptus, est mere gratuitus.

Resp. *Transeat ant. nego conseq.* Quia, ex consideratione Dei tanquam benefactoris et Domini, homo potest accendi ad amorem Dei gratuitum ; nihilque æquitati magis consentaneum.

Dixi *transeat*, quia ista verba, *Diliges Dominum tuum*, magis reddunt hunc sensum : *Diliges Dominum qui est Deus tuus* quam hunc, *Diliges Dominum, quia est Deus tuus.*

Inst. 4. Div. August. [1] dicit præceptum diligendi seipsum includi in primo illo maximoque mandato quo jubemur diligere Deum : ergo dilectio Dei ex charitate non est absque ullo ad nos respectu.

Resp *Nego conseq.* Quia cum nos ipsos et proximos nostros diligimus propter Deum ut in se absolute bonum, nos ipsos diligimus virtute primi illius maximique mandati, et hoc absque ullo ad nos respectu, cum simus tantum in objecto materiali, non vero in objecto formali divini amoris, ex quo solo specificatur dilectio ; alias sibi

[1] Ep. 52, *ad Macedontum.*

contradiceret Div. August., qui [1] ait : *Si hominem te hortatur amicitiæ regula, ut gratis diligas; quam gratis amandus est Deus, qui jubet ut hominem diligas?* Ergo, juxta Div. Augustinum, amor charitatis ita tendit in Deum propter se, ut Deum diligat gratis. Inde illustrissimus Bossuet [2] ait : *Pars multo maxima Theologorum tradit id omni actui charitatis intrinsecum esse, ut anima Deum diligeret, etiamsi nullam ab eo speraret beatitudinem.*

Inst. 5. Ideo Spurii Mystici, Quietistæ, damnati sunt, quod assererent hominem in hac vita diu stare posse in eo gradu, in quo diligat Deum non jam propter se, sed propter ipsum: ergo in hac vita non potest esse amor pure gratuitus.

Resp. *Nego ant.* Non enim damnati sunt quia dixerunt [3] : *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii interesse :* hoc enim est conforme doctrinæ omnium Catholicorum et Div. Bernardi [4], qui de eo qui spe impellitur, sic scribit : *Diligit itaque in secundo gradu Deum, sed propter se, non propter ipsum; at vero cum ipsum cœperit, occasione propriæ necessitatis, colere et frequentare... transit ad tertium gradum, ut diligat Deum non jam propter se, sed propter ipsum. Sane in hoc gradu diu statur;* sed quia, ulterius progressi, dixerunt : *Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.* Quod merito fuit damnatum, ut infra expendemus.

[1] Serm. 385, cap. 3, num. 4, et hom. 38, num. 50. — [2] In lib. cui titulus : *Mystici in tuto*, p. 99. — [3] Prop. damnata ab Innoc. XII. — [4] Lib. *de Diligendo Deo*, cap. 15.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO SPEI.

Nota. Per subjectum spei, intelligimus creaturas in quibus spes reperitur tam secundum actum quam secundum habitum, circa quod

Certum est 1. quod spes non remaneat *in damnatis*, quia certi sunt de æternitate suæ damnationis: ergo non possunt apprehendere beatitudinem ut bonum sibi futurum et possibile; unde, *mortuo homine impio, nulla erit ultra spes*[1].

Neque *in beatis*, quia gloriam essentialem possident. *Spes* autem *quæ videtur, non est spes*, ait Apostolus[2]; et licet nondum possideant gloriam corporis accidentalem, ipsis tamen non est ardua, nec difficulter adipiscibilis; et ideo sicut fides, sic et spes evacuatur in patria, tam quoad habitum quam quoad actum.

Neque *in hæreticis*, quia, sublato spei fundamento, spes non subsistit; atqui fides, quæ est spei fundamentum, juxta illud: *Fides sperandarum substantia rerum*, etc., non remanet in hæreticis: ergo, etc. Unde spes quam hæreticus habere sibi videtur, humana est et naturalis, non divina et supernaturalis.

Certum est 2. quod spes remaneat, 1° *in animabus Purgatorii*: tum quia fides est spei fundamentum in eis remanens; tum quia spes non evacuatur per securitatem quam habent de gloria in futurum adipiscenda, eo quod illa sit absens, et ita ardua, ut non nisi per graves cruciatus obtineri possit.

2° *In omnibus Catholicis etiam impiis* (dummodo eam non amiserint per peccatum desperationis, vel præsumptionis). Ratio est, quia quodlibet peccatum non opponitur

[1] Prov. xi, 7. — [2] Rom. viii, 24.

spei : ergo non amittitur per quodlibet peccatum; unde a Concil. Trident. [1], spes requiritur tanquam dispositio ad justificationem peccatoris.

Restat ergo resolvendum, utrum in præsenti vita possit dari status in quo mens Deum tam pure diligat, ut jam nec pœnarum metu, nec mercedis spe et desiderio moveatur, absolutamque habeat pro omni omnino re indifferentiam, etiam pro actibus virtutum, etiam pro actibus fidei explicitæ, imo pro æterna etiam salute sua et damnatione; qua indifferentia semel stabilita, preces omnes, seu postulationes, salutisque et perfectionis propriæ desideria tanquam imperfecta et propriæ voluntatis actus, abjicienda sint, laxandæque omni tentationum generi habenæ, nec eis nisi negative, nulla adhibita industria resistendum, ita ut si natura commoveatur, oporteat sinere, quia natura est.

Ita docuit Michael Molinos, Hispanus Presbyter, qui cum sua doctrina fuit damnatus ab Innoc. XI, cujus doctrinam, quatenus spem e perfectorum statu excludit, renovavit Illustr. D. *de Fénelon*, Archiepiscopus, Dux Cameracensis, in libro cui titulus : *Explication des Maximes des Saints*, et quæ fuit ab Innocent. XII profligata. Discipuli de Molinos, *Quietistæ*, et discipuli Archiepiscopi Cameracensis, *Semi-Quietistæ*, dicti sunt. Contra quos sit

CONCLUSIO.

Virtus et actus spei reperiuntur in omnibus justis viatoribus, quantumcumque perfecta charitate præditi supponantur : unde fictitius est status in quo mens Deum tam pure diligat, ut jam nec pœnarum metu, nec mercedis desiderio moveatur.

Prob. 1. In Oratione Dominica jubemur sic orare : *Adveniat regnum tuum;* quæ oratio non debet fieri a solis

[1] Sess. 6, cap. 6.

imperfectis, prout impius Molinos asserere ausus est, sed a quibuscumque perfectissimis hominibus; atqui hæc verba spem necessario involvunt, et ad proprium hominis commodum referuntur: per ea enim, inquit S. Cyprian.[1]: *Desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, ut nobis veniat, atque in eo regnare mereamur:* ergo, etc.

Prob. 2. Spes est fiducialis expectatio possidendi Deum tanquam beatitudinem nostram et bonorum operum mercedem; atqui desiderium illud, expectatio illa, tum quoad actum, tum quoad habitum, reperitur in omnibus justis viatoribus, quantacumque perfecta charitate prædíti sint: ergo, etc.

Prob. min. 1° Ex Concil. Trident.[2] dicente: *Justificatis hominibus* (qui termini cum sint indefiniti, debent intelligi de omnibus justificatis), *sive acceptam justitiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba*[3]: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim injustus est Deus ut obliviscatur operis vestri[4]. *Et:* Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. *Atque ideo bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda:* ergo, etc.

Prob. min. 2° Exemplo eorum quos nobis Scriptura sacra proponit velut perfectos Dei amatores, Abraham, nempe, Davidis, Moysis et Pauli Apostoli. Atqui non fuerunt sine spe; Abraham enim[5] *expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus;* Moyses[6] *aspiciebat in remunerationem;* David, *Psal.* CXVIII, de seipso dicit: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Div. Paulus

[1] Lib. *de Orat. Dominica.* — [2] Sess. 6, cap. 16 *de Reform.* — [3] I Corinth. XV, 58. — [4] Hebr. X, 58. — [5] Hebr. XI, 10. — [6] Ibid., 26.

qui raptus est usque ad tertium cœlum, de se ipso et de perfectissimis Christianis dicit [1]: *Nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum expectantes... Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus :* ergo, etc.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. Ille actus non elicitur a justis perfectis, qui illorum statui repugnat; atqui actus quo expectatur beatitudo, et merces qua talis, repugnat statui justorum perfectorum : ergo, etc. Resp. *Nego min.*

Prob. min. Actus qui repugnat puritati charitatis, repugnat statui justorum perfectorum ; atqui actus de quo agitur repugnat puritati charitatis : ergo. Resp. *Nego min.*

Prob. min. Puritas charitatis posita est in immunitate a mixtione proprii creaturæ interesse ; atqui illi immunitati repugnat actus de quo est quæstio, cum in eo reperiatur proprium creaturæ interesse : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Puritas charitatis posita est in immunitate a mixtione proprii creaturæ interesse, quod ad Dei gloriam ultimo non referatur, *conc. maj.* Ordo enim charitatis exigit ut creatura seipsa non fruatur, sed ut fruatur solo Deo, et consequenter ut in ejus gloriam, et suum interesse, et suum commodum ultimo referat; quod ad Dei gloriam ultimo referatur, *nego maj. ;* hoc enim est conforme ordini charitatis, quæ jubet ut proprium interesse velimus, ultimo tamen ad Dei gloriam relatum.

Objicies 2. Actus spei importat amorem *concupiscentiæ,* quo Deum prosequimur ut summum nostri bonum ; atqui amor concupiscentiæ repugnat statui justorum perfectorum : ergo, etc. Resp. *Nego min.*

Prob. min. Amor vitiosus pugnat statui perfectorum; atqui amor concupiscentiæ est vitiosus : ergo amor concupiscentiæ, etc.

[1] Rom. VIII, 23.

Resp. *Nego min.* Quæ repugnat 1° definitioni Tridentinæ[1] : *Si quis dixerit justificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit;* 2° harum propositionum damnationi ab Alexandro VIII: *Quisquis, etiam æternæ mercedis intuitu, Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu scilicet beatitudinis operatur*; et : *Intentio qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est bona, nec Deo placens.*

Prob. min. Amor proprius est amor vitiosus; atqui amor concupiscentiæ est mor proprius : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Amor proprius, quo bona sensibilia nobis inordinate concupiscimus, est vitiosus, *conc. maj.;* amor proprius sumptus pro amore quo Deum ut nostri summe perfectivum nobis uniri desideramus, est vitiosus, *nego maj.;* amor enim ille nedum vitiosus est, sed est supernaturalis, a vitiis nos retrahens, atque in id unum tendens ut nos Deo conjungat.

Inst. 1. Ille amor est vitiosus, per quem homo Deum ad se refert; atqui per amorem concupiscentiæ homo Deum ad se refert : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Ille amor est vitiosus, per quem homo Deum ad se refert, ut ad finem ultimum, *conc. maj.;* ut ad subjectum cui tantum bonum optat, *nego maj.* Atqui per amorem concupiscentiæ homo Deum ad se refert, ut ad subjectum cui Deus possessionem optat, *conc. min.;* ut ad finem ultimum, *nego min.;* homo enim dum Deo frui desiderat, refert se ad Deum ut ad finem suum ultimum, quo obtento, nihil amplius desiderat.

Inst. 2. Per illum amorem homo Deum ad se refert ut ad finem ultimum, per quem homo utitur Deo; atqui per amorem concupiscentiæ homo utitur Deo in suum commodum : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Usus enim proprie versatur circa me-

[1] Sess. 6, can. 31.

dia ; atqui amor concupiscentiæ non respicit Deum ut medium ; nam tendit in Deum ut finem ultimum amantis, ipsi per actus beatificos conjungendum ; unde per amorem concupiscentiæ homo non utitur, sed fruitur Deo : *Quod aliquis velit frui Deo, pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore concupiscentiæ*, ait Div. Thomas [1]. Porro velle frui Deo, multoties præcipitur in Scripturis.

CAPUT V.

DE PROPRIETATIBUS SPEI.

Nota. Inter præcipuas spei proprietates numerantur ejus *certitudo* et *necessitas* : de quibus agemus duplici articulo.

ARTICULUS I.

DE CERTITUDINE SPEI.

CONCLUSIO.

Spes est certa ex parte Dei, incerta vero ex parte nostri.

PROB. PRIMA PARS. Ex Scriptura, Eccl. II : *Scitote quia nullus speravit in Domino et confusus est.* Ex Hebr. VI Apostolus vocat spem, *anchoram animæ tutam et firmam ;* unde, ex Concil. Trident. [2] *in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent.*

Ratio hujus certitudinis est auxiliatrix Dei omnipotentia, misericordia et fidelitas in promissis servandis, nam, Psal. CXLV : *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, quibus saltem pollicitus est perseverantibus usque in finem in observantia mandatorum ipsius.

[1] 2 2, quæst. 26, art. 3, ad 3. — [2] Sess. 6, cap. 13.

Prob. secunda pars. Illud non est certum absolute ex parte nostri, quod pendet ex conditione, de qua certi non sumus; atqui spes pendet ex conditione custodiæ mandatorum Dei usque in finem; de qua nec sumus certi, nec certi esse possumus, absque Dei revelatione speciali : ergo spes est incerta respectu nostri ; et ideo scriptum est [1] : *Qui stat, videat ne cadat;* et[2] : *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.*

Resolves. Certitudinem spei Christianæ non tribuere omnimodam salutis securitatem, uti placet pseudo reformatis ; neminem proinde credere posse, citra Dei revelationem, se esse ex prædestinatorum numero ; quia, licet justus diffidere nunquam debeat de Dei auxilio, diffidere debet de se ipso, et pietatis operibus sedulo invigilare, juxta illud [3] : *Qui timet Deum, nihil negligit.*

ARTICULUS II.

DE NECESSITATE SPEI.

Nota. Recole quæ diximus supra [4] de modo quo unum ad alterius consecutionem potest esse necessarium.

CONCLUSIO I.

Actus spei est necessarius necessitate medii ad justificationem.

Prob. Illud est necessarium necessitate medii ad justificationem, sine quo justificatio non potest obtineri; atqui sine spe justificatio non potest obtineri, juxta illud [5] : *Spe salvi facti sumus :* ergo. Hinc Concil. Trident. [6] inter actus ad justificationem adultorum simpliciter et necessario prærequisitos, actum spei recenset, quo *Deum sibi, propter Christum, propitium fore*, fidant.

[1] I Cor. x, 12. — [2] Philip. II, 12. — [3] Eccl. VII, 19. — [4] Quæst. 5 *de Necessit. fidei.* — [5] Rom. VIII, 14. — [6] Sess. 6 cap. 8

CONCLUSIO II.

Actus spei necessarius est adultis necessitate præcepti tum naturalis, tum divini.

PROB. PRIMA PARS. Quia, ut jam pluries diximus, quidquid est necessarium necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti naturalis; recta enim ratio exigit ut media ad salutem necessaria assumamus; atqui, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Ex variis Scripturæ testimoniis, quibus in Deo sperare jubemur: Psal. IV, *Sperate in Domino;* et I ad Tim. VI: *Præcipe.... neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* Unde Augustinus[1]: *De fide nobis quam multa mandata sunt, quam multa de spe.* Merito igitur Alexand. VII damnavit hanc propositionem: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

QUÆRES: *Quandonam præceptum spei obliget?*

RESP. 1. Præceptum spei negativum obligat semper, et pro semper, unde nunquam est desperandum, nunquam præsumendum.

RESP. 2. Præceptum spei affirmativum obligat per se:

1° Cum moraliter loquendo infans usum rationis attigit, satisque est instructus de beatitudine sua, et advertit ad obligationem.

2° Cum quis versatur in periculo desperationis, nisi spei actu titubantem animum confirmet.

3° Cum quis in desperationem aut præsumptionem lapsus est.

4° Cum quis versatur in probabili periculo mortis.

5° Obligat sæpius in decursu vitæ, ut homo semper sit bene dispositus et corroboratus ad bonum faciendum, et malum vitandum.

[1] Tract. 83, *in Joan.*

Resp. 3. Obligat per accidens :

1° Dum nos ad justificationem præparamus ; est enim ad eam conditio absolute necessaria.

2° Quoties Sacramenta suscipimus, utpote quæ canales sunt promissæ nobis gratiæ, pignoraque salutis nostræ.

Hæc omnia patent ex iis quæ diximus de necessitate actus fidei.

CAPUT VI.

DE VITIIS OPPOSITIS SPEI.

Nota. Duo sunt vitia spei opposita : nimirum *desperatio* per defectum, et *præsumptio* per excessum ; non quod quis possit nimis sperare in Deo, sed quod possit in eo sperare per media inordinata, de quibus nonnullæ solvendæ sunt quæstiones.

Quæres 1. *Quid sit desperatio?*

Resp. Est *voluntaria diffidentia assequendi beatitudinem, et obtinendi media ad illam necessaria.*

Dicitur 1° *voluntaria diffidentia*, ut a desperatione excludantur diffidentiæ illæ involuntariæ, quas etiam sanctissimi plerumque ex dæmonis tentatione patiuntur.

Dicitur 2° *assequendi beatitudinem*, ut denotetur objectum primarium desperationis ; *et obtinendi media ad beatitudinem assequendam necessaria*, per quod exprimitur objectum desperationis secundarium : non minus ergo spem amittit qui desperat de obtinenda peccatorum remissione, quam qui desperat de assequenda beatitudine.

Quæres 2. *Quid sit præsumptio?*

Resp. Est *temeraria beatitudinis et mediorum ad eam assequendam necessariorum expectatio*, vel est *sperare veniam sine pœnitentia, vel gloriam sine meritis* [1]. Quod tripliciter evenire potest.

[1] S. Thom., 2 2, quæst. 21, art. 4.

1° Dum quis per solas naturæ vires præsumit se beatitudinem aut media salutis consecuturum; et hæc est præsumptio Pelagiana.

2° Dum quis gloriam per solam fidem absque pœnitentia expectat; hæc est præsumptio Lutherana.

3° Dum quis, sub inani spe misericordiæ Dei, peccat. vel auget peccata, prætextu quia Deus tam facile ignoscit decem quam quinque peccatis; hæc est præsumptio malorum Christianorum. Utrum vero pœnitentiam differre ad finem vitæ, sperans fore ut se pœniteat ad finem vitæ, sit peccatum præsumptionis, S. Thomas [1] respondet: *Quod peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniæ, sit præsumptio, et augeat peccatum; peccare autem sub spe veniæ quandoque percipiendæ, cum proposito abstinendi a peccato, et pœnitendi de peccato, non sit præsumptio, et minuat peccatum; quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum.*

QUÆRES 3. *Qualia sunt peccata desperatio et præsumptio?*

RESP. Sunt mortalia *ex genere suo;* nam quod avertit a Deo, est mortale ex genere suo; atqui peccata virtutibus theologicis opposita avertunt a Deo: ergo, etc. Unde Div. Augustinus ait [2]: *Ista duo occidunt animas: aut desperatio, aut perversa spes,* id est præsumptio.

Dixi *ex genere suo;* a mortali quippe excusare possunt non tantum indeliberatio, subreptio aut consensus imperfectio, sed et levitas materiæ, ut multi contra multos probabilius asserunt; non videtur enim peccare mortaliter, et amittere habitum spei, eum qui aliquem virtutis actum omittit, desperans se eum, ut par est, exequi posse.

DICES: Peccatum contra fidem non admittit levitatem materiæ: ergo nec peccatum contra spem.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quod in peccato contra fidem (utpote cum contumacia admissum) semper repe-

[1] 2 2, quæst. 21, art. 1. — [2] Serm. 87, *de Verbis Evang.*

riatur Dei revelantis et Ecclesiæ proponentis contemptus, qui semper est gravissimus; at levis præsumptio, aut diffidentia circa aliquod medium ad salutem necessarium, potest esse sine contemptu, sed ex mera infirmitate, ac proinde non perimit habitum spei, sicut nec levis offensa contra charitatem proximo debitam, destruit habitum charitatis.

Porro, diligenter Confessarii a pœnitentibus inquirere debent quam ob causam desperaverint, vel præsumpserint; quia illa peccata plerumque habent adjunctum peccatum contra fidem; cum nempe ex judicio speculative falso oriuntur; v. gr. cum quis desperat se veniam peccatorum consecuturum, quia credit cum Novatianis Ecclesiæ non esse concessam potestatem remittendi graviora peccata post Baptismum commissa; item cum quis præsumit eo quod credat cum Novatoribus, quod fide sola sine bonis operibus justificandus sit et salvandus.

Quæres 4. *Quare desperatio et præsumptio dicuntur peccata in Spiritum Sanctum?*

Resp. Quia specialiter impugnant Dei bonitatem et dona ejus, quibus revocamur a malo, et ideo lamentatur Jeremias, cap. xviii: *Desperavimus... et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.* Ex quo

Resolves. Desperationem et præsumptionem esse peccata, etsi non graviora, tamen periculosiora, *quia*, ait Div. Thomas [1], *per spem revocamur a malis, et inducimur ad bona prosequenda, et ideo, sublata spe, irrefrenate homines labuntur in vitia, et a bonis operibus retrahuntur, et sic desperatio est periculosior.*

Quæres 5. *Quænam sint desperationis et præsumptionis causæ et remedia?*

Resp. 1. Causa desperationis est *accidia*, hoc est bonorum spiritualium fastidium, quo voluntas reputans ipsum *bene vivere* esse nimis laboriosum, refugit bonorum ope-

[1] 2 2, quæst. 20, art. 6.

rum exercitium; remedium vero acediæ, est cœlestium gustus, qui ipsi est substituendus, exonerando se terrenis, et ea *quæ sursum sunt* quærendo et sapiendo, juxta præceptum Apostolicum.

Resp. 2. Causa præsumptionis est *superbia*, ut docet Div. Thomas; intolerandæ enim superbiæ est quod quis vel propriis viribus, vel sine bonis operibus, præsumat se gloriam consecuturum, vel pœnitentiam facturum cum volet et ubi volet; atqui ita se gerit præsumptuosus: ergo, etc.

Remedium autem præsumptionis est *humilitas*, humilitatisque comes profunda justitiæ Dei, ejusque judiciorum meditatio, et cætera hujusmodi

DISSERTATIO III.

De Charitate.

Nota. Hoc nomen *Charitas* vari. accipitur ab auctoribus Sacris; namque

1° Sumitur pro objecto circa quod versatur: *Deus Charitas est* [1].

2° Pro Dei in homines dilectione: *Charitate perpetua dilexi te* [2].

3° Pro quocumque amore boni, aut qualibet bona voluntate; sic accipitur ab Augustino variis locis [3]: *Quid est boni cup ditas, nisi charitas;* et in Psal. CXXXVI: *Ipsa est charitas, quæ dicitur et bona voluntas.*

4° Pro amore supernaturali, quo Deum proximumque actu vel habitu diligimus; cujus inquirimus, 1° essentiam et divisionem; 2° objectum tum materiale, tum formale; 3° proprietates; 4° officia charitatis seu opera miseri-

[1] Joan. IV, 8. — [2] Jer. XXXI, 3. — [3] Lib. II *contra duas Epistolas Pelagian.*, cap. 9.

cordiæ ; 5° tandem vitia charitati opposita, totidem capitibus.

CAPUT I.

DE ESSENTIA ET DIVISIONE CHARITATIS.

Nota. Charitas est species amoris benevolentiæ ; cum autem notitia speciei haberi non possit quin probe cognoscatur illius genus, ideo

QUÆRES 1. *Quid sit amor benevolentiæ?*

RESP. Est *volitio efficax boni in commodum personæ amatæ*, quæ si redamet amantem, dicitur *amor amicitiæ*, qui proinde non differt ab amore *benevolentiæ* nisi extrinsece et connotative.

Dicitur 1° *volitio boni ;* quia amare est velle bonum.

Dicitur 2° *efficax*, quia ad amorem benevolentiæ non sufficit ut velimus alicui bonum, sed insuper requiritur ut ipsi bonum faciamus quantum in nobis est : *Non diligamus verbo, neque lingua*, ait Div. Joan. [1] ; *sed opere et veritate:* ergo, concludit Habert, Deum non diligit amore benevolentiæ, nisi verbo tenus, qui ita in orationibus ingeminat : *Sanctificetur nomen tuum*, ut non tangatur cum læditur ejus honor, indifferenterque audiat linguam detrahentem, impudicam, etc.

Dicitur 3° *in commodum personæ amatæ ;* ut exprimatur differentia inter amorem benevolentiæ qui omnia vult et facit in gratiam amati et amorem concupiscentiæ, qui omnia vult et facit in gratiam amantis.

QUÆRES 2. *Quid sit charitas?*

RESP. Charitas est *virtus theologica infusa, qua Deus super omnia diligitur propter se, et proximus sicut nos propter Deum.*

Dicitur 1° *virtus :* et quidem ex Apostolo perfectior om-

[1] Cap. IV, 18.

nium virtutum; quia facit hominem simpliciter et ex omni parte bonum, utpote quæ excludat omne peccatum, saltem grave, hominem Deo conjungat, illumque ad omnes virtutes moveat tanquam eorum forma et vita, sine qua dicuntur informes, imperfectæ et mortuæ; cæteræ vero virtutes non faciunt hominem bonum nisi secundum quid, et in suo tantum genere.

Dicitur 2° *theologica;* quia habet Deum pro suo objecto primario et immediato, ut infra dicetur.

Dicitur 3° *infusa;* nam ex Apostolo [1]: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ex quo patet sententiam Magistri [2] docentis charitatem esse ipsammet personam Spiritus Sancti, esse minus probabilem, quamvis plures ac graves auctores illam amplectentur.

Dicitur 4° *qua Deus diligitur propter se;* quia charitas est amor benevolentiæ, *nam ex una eademque charitate, Deum proximumque diligimus,* ait Div. August. [3], *sed proximum propter Deum.*

Dicitur 5° *super omnia;* id est amore summo, non quidem intensive, ita ut voluntas summo ardore et conatu in Deum tendat; licet enim talis conatus esset optimus et optandus, non est tamen absolute necessarius; quia sine eo Deum super omnia diligere possumus, ex quo fit ut major vel minor illa intensio sit perfectio charitatis accidentalis, et consequenter non præcepta; sed amor charitatis debet esse summus 1° *objective*, ita ut majus bonum Deo velimus quam ulli creaturæ; 2° *appretiative*, ita ut homo Deum rebus omnibus anteponat, paratus creaturarum potius omnium, quam Dei jacturam per peccatum facere, dicente Christo [4]: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Unde præceptum diligendi

[1] Rom. v, 5. — [2] 1 part., dist. 17. — [3] Lib. VIII *de Trinit.*, cap. 8. — [4] Matth. x, 37.

Deum *ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine*, intelligi debet de totalitate appretiationis, non intensionis; sed de his plura in Tractatu *de Pœnitentia*.

Dicitur 6° *et proximum;* quo nomine nos ipsi comprehendimur, quia *proximus quisque sibi* comprehenditur, et quicumque nobiscum capax est gratiæ et gloriæ; alia autem amari non possunt nisi amore concupiscentiæ.

Dicitur 7° *sicut nos;* quod non ita est intelligendum, ut particula *sicut* denotet æqualitatem dilectionis, sed similitudinem, *et hoc tripliciter*, ait Div. Thom. [1]. 1° *Quidem ex parte finis, ut scilicet aliquis diligat proximum propter Deum, sicut se ipsum propter Deum debet diligere, ut sic sit dilectio proximi sancta.* 2° *Ex parte regulæ dilectionis*, seu ex parte rerum quas volumus proximo; *ut, scilicet, aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis, sicut et suæ voluntati satisfacere debet homo solum in bonis, ut sic sit dilectio proximi justa.* 3° *Ex parte rationis dilectionis, ut scilicet non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem vel delectationem, sed ea ratione quod velit proximo bonum, sicut vult bonum sibi ipsi, ut sic dilectio proximi sit vera; nam si quis diligit proximum, propter suam utilitatem, non vere diligit proximum, sed se ipsum.*

Dicitur 8° *propter Deum;* hoc est quia ad Deum pertinet ut imago ejus, ita ut Deus in proximo ametur; *ille* enim *veraciter amat amicum*, ait Div. August., *qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo.*

Quæres 3. *Quotuplex sit charitas?*

Resp. *Duplex*, scilicet *habitualis*, quam mox definivimus, et *actualis*, quæ est *actus amoris benevolentiæ, quo Deus super omnia diligitur propter se, et proximus sicut nos propter Deum.* Per se patet, sed

Quæres 4. *An charitas illa actualis quæ est amor benevolentiæ, sit simul amor amicitiæ?*

[1] 2 2, quæst. 44, art. 7 *in corp.*

RESP. *affirm.* Nam charitati perfectissime conveniunt omnes conditiones ad veram amicitiam requisitæ: ergo. *Prob. ant.* Ad veram amicitiam requiruntur quatuor conditiones: *prima*, ut sit amor benevolentiæ; *secunda*, ut sit amor mutuus; *tertia*, ut amor ille sit utrique cognitus; *quarta*, ut sit fundatus in communione bonorum, quia inter amicos omnia sunt communia; atqui quatuor illæ conditiones apprime conveniunt charitati, tum qua Deus hominem, tum qua homo Deum prosequitur: ergo, etc. Namque

1° Charitas est amor benevolentiæ, ut constat ex dictis.

2° Est amor mutuus: *Qui autem diligit me*, ait Christus [1], *diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.*

3° Notus est tum Deo qui illum infundit, tum homini justo qui novit non quidem certitudine metaphysica aut physica, sed morali, quod a Deo diligatur, dicente Apostolo [2]: *Ipse enim spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei.*

4° Demum fundatur in communione bonorum; nam Deus [3] *benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Homo quoque quidquid accepit a Deo, hoc in Deum refundit: *Tua sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi* [4].

DICES 1. Deus non potest amare hominem amore benevolentiæ: ergo non est vera amicitia inter Deum et hominem.

RESP. *Nego ant.* Nam Deus amat hominem ut illi beneficium præstet, unde non propriam, sed hominis intendit utilitatem.

Prob. ant. Deus omne bonum quod homini vult, refert ad gloriam suam: ergo non amat hominem amore benevolentiæ.

RESP. *Dist. conseq.* Refert in gloriam suam tanquam in finem ultimum rerum omnium, *conc. conseq.*; tanquam in

[1] Joan. XIV, 21. — [2] Rom. I, 16. — [3] Ephes. I, 3. — [4] Paralip. XXIX, 14.

proprium suum commodum, *nego conseq.* Porro honesta amicitia non impedit quominus omnia bona in finem ultimum referantur, cum amicitia aliter non esset ordinata.

Dices 2. Amicitia, ex Aristotele [1], non est nisi inter æquales ; sed quilibet homo etiam justus, et quatenus justus, est inæqualis Deo : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Amicitia æqualitatis, *conc. maj. ;* amicitia excellentiæ, *nego maj. ;* et sic ad consequens. Itaque, juxta Aristotelem, duplex est amicitia : una *æqualitatis*, quæ est inter personas omnino æquales ; altera *excellentiæ*, quæ reperitur inter personas in diverso gradu et dignitate constitutas, v. gr. inter Principem et subditum, patrem et filium, etc. ; inter quas personas ut sibi invicem amicas non servatur absoluta æqualitas, sed tantum proportionalis, quia scilicet unaquæque per istam amicitiam alteri tribuit illud amoris vel beneficii quod ei pro sua conditione competit ; et hæc est amicitia quæ Deum inter et homines reperitur.

CAPUT II.

DE OBJECTO MATERIALI ET FORMALI CHARITATIS.

CONCLUSIO.

Objectum materiale adæquatum charitatis est Deus, nos ipsi et proximus.

Prob. Ex Div. August., qui [2] ait : *Cum ergo quatuor sint diligenda, unum quod supra nos est, alterum quod nos sumus, tertium quod juxta nos est, quartum quod infra nos est.* Atqui objectum quod supra nos est, est solus Deus ; quod nos ipsi sumus, est anima nostra ; quod est juxta nos, est anima proximi ; tandem quod est infra nos, est corpus nostrum et proximi : ergo Deus, nos ipsi, et proxi-

[1] Ethic., cap. 8 et 9. — [2] Lib. I *de Doctr. Christ.*, cap. 23.

mus, tria hæc sunt objectum adæquatum charitatis; ita tamen ut Deus sit objectum primarium, nos ipsi et proximus simus tantum secundarium, cum charitas primario et per se versetur circa Deum et ad illum, tanquam ad finem ultimum, cætera omnia referat.

OBJICIES 1. Homo non potest se ipsum charitate diligere: ergo, etc. *Prob. ant.* Juxta Div. Greg. [1], charitas non nisi inter duos esse potest: ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Ad prob. *dist.* Charitas sumpta ut est amor amicitiæ non nisi inter duos esse potest, *conc. ant.;* sumpta ut est amor benevolentiæ, *nego ant.* Porro non est essentiale charitati, ut sit amor amicitiæ et connotet redamantem.

OBJICIES 2. Peccatores sunt Dei inimici, illique invisi: ergo non sunt ex charitate diligendi.

RESP. *Dist. ant.* Peccatores considerati quatenus peccatores et ratione malitiæ, *conc. ant.;* considerati secundum naturam, *nego ant.;* dilexit enim nos cum adhuc essemus peccatores, qui dixit [2]: *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viiiis suis et vivat?* Hinc, licet debeamus odisse peccatoris malitiam et iniquitatem exemplo Davidis [3]: *Iniquos odio habui*, debemus tamen ejus personam diligere, ut docet Div. August. [4]: *Iniquus homo, in quantum iniquus, odio habendus est; in quantum autem homo est, diligendus est.*

INST. 1. Excommunicati abscissi sunt a corpore Christi et a communione fidelium ita separati, ut non liceat pro eis orare: ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* E contra illa excommunicati pœna est a charitate imperata, cum sit ordinata ad ejus salutem: traditur enim *satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.*

INST. 2. Inimici non possunt ex charitate diligi, dicente

[1] Hom. 17 *in Evang.* — [2] Ezech. XVIII, 23. — [3] Psal. CXVIII. — [4] Lib. XIX *contra Faust.*, cap. 14.

Christo [1]: *Audistis quia dictum est antiquis : Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum.*

Resp. *Nego ant.* et *dist. textum :* Dictum est antiquis, a Scribis et Pharisæis legem sinistre interpretantibus, *conc. ant.;* a lege, *nego ant.* Quandoquidem Deus [2] Judæis præcipit : *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum ; si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo ;* et : *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ* [3].

CONCLUSIO II.

Objectum formale charitatis est Deus, quatenus in se summe bonus et infinite amabilis, ita ut propter illum cætera omnia sint amabilia.

Prob. Objectum formale virtutis, est motivum propter quod virtus tendit in suum objectum materiale ; atqui motivum propter quod charitas tendit in suum objectum materiale, est infinita Dei bonitas et amabilitas : ergo, etc.

Objicies 1. Non tantum amamus Deum quia bonus est, sed etiam quia sapiens, quia justus, etc.: ergo ejus bonitas infinita non est sola objectum formale charitatis.

Resp. *Nego conseq.* Quia bonitas quæ est objectum formale charitatis non est attributalis, sed essentialis, continens quamlibet perfectionem in omni genere excellentiæ ; unde quando Deus amatur ut sapiens, justus, etc., amatur propter ejus infinitam bonitatem in illis attributis imbibitam.

Objicies 2. Amare non possumus proximum propter Deum : ergo bonitas Dei infinita non est objectum formale charitatis erga proximum.

Prob. ant. Nullus amatur propter bonitatem sibi ex-

[1] Matth. v. — [2] Exod. xxiii, 4. — [3] Lev. xix, 18.

trinsecam; atqui infinita Dei bonitas est extrinseca proximo : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Nullus amatur propter bonitatem sibi extrinsecam, si nullum ordinem ad illam habeat, *conc. maj.;* si habeat, *nego maj.;* proximus autem multis titulis ad Deum refertur, ex quo concludendum est unam et eamdem esse charitatem, qua Deus et proximus diliguntur, cum unum et idem sit utriusque dilectionis motivum.

CAPUT III.

DE PROPRIETATIBUS CHARITATIS.

Nota. Non omnes hic exponemus charitatis proprietates, sed duas duntaxat, quæ principem inter eas locum tenent, nimirum necessitatem ejus et ordinem, distinctis quæstionibus.

QUÆSTIO I.

DE NECESSITATE CHARITATIS.

Nota. Certum est 1° Charitatem habitualem necessariam esse necessitate medii omnibus, tum adultis, tum parvulis, cum sine ejus infusione non remittatur peccatum, nec salus obtineri possit.

Certum est 2° Charitatem actualem parvulis non esse necessariam, cum ejus sint incapaces, et possint per baptismum et gratiam salutem consequi.

Certum est 3° Præceptum charitatis negativum obligare omni tempore, cum nihil unquam agere liceat, quod Dei proximive charitati adversetur.

Quæstio ergo est tantum de actu charitatis tum erga Deum, tum erga proximum.

ARTICULUS I.

DE PRÆCEPTO CHARITATIS ERGA DEUM.

Nota. Aliqui recentiores Casuistæ docere non erubuerunt præceptum charitatis erga Deum non esse speciale et ab aliis distinctum : ex quo falso principio concluserunt, hominem qui nullum unquam internum charitatis actum erga Deum elicuerit, non peccare. Alii docuerunt illud præceptum obligare, sed raro, vel etiam semel tantum in vita. Alii tandem docuerunt præceptum illud, quatenus affirmativum, obligare semper et pro semper, ita ut peccaminosa sit actio omnis quæ, virtualiter saltem, ad Deum non refertur ex motivo charitatis sive perfectæ, sive imperfectæ; ita Jansenius [1], Quesnellus [2], Æthica amoris [3] : contra quos omnes sit

CONCLUSIO I.

Actus interni charitatis erga Deum extat speciale præceptum, et ab aliis distinctum.

Prob. Illud præceptum est speciale et a cæteris distinctum, quod aliorum respectu est primum et maximum, et a quo omnia alia pendent (neque enim aliquid potest respectu sui ipsius esse primum aut a se ipso pendere) ; atqui præceptum charitatis erga Deum, 1° est respectu aliorum primum et maximum : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo..... hoc est maximum et primum mandatum* [4] ; 2° ab eo cætera omnia pendent : *In his duobus præceptis*, de dilectione Dei et proximi, *universa lex pendet et Prophetæ* [5] ; ergo, etc.

Hinc ista propositio : *Sufficit ut actus moralis tendat in*

[1] Lib. III *de Statu naturæ lapsæ*, cap. 17, et alibi passim. — [2] Propos. 45. — [3] Tom. I, lib. VIII. — [4] Matt. XXII, 36. — [5] Ibid., 40.

finem ultimum interpretative: tunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis, damnata est ab Alexand. VIII, et postea a Clero Gallicano, anno 1700, qui hanc etiam damnavit: *Præceptum affirmativum amoris Dei et proximi non est speciale, sed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisfit.*

Objicies 1. Præceptum charitatis Dei per aliorum observationem impletur : ergo non est speciale.

Prob. ant. Ex illo Christi [1] : *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me :* ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Neque enim id dixit Christus quod præceptum charitatis per aliorum observationem impleatur, sed 1° quia illa aliorum mandatorum observatio est signum dilectionis Dei, juxta illud : *Probatio dilectionis, exhibitio est operis ;* 2° quia dilectio est causa movens ad aliorum præceptorum observationem, juxta Joan. xiv : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.... Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Unde charitas imperat omnium virtutum actus, sed non elicit.

Objicies 2. Div. Thom. [2] ait : *Qui in vita hoc præceptum* (de dilectione) *non implet, nihil contra dilectionem agens, non peccat mortaliter :* ergo dilectio non est specialiter præcepta.

Resp. *Nego conseq.* Ibi enim Div. Thomas solum vult non peccare mortaliter eum qui primum mandatum in vita perfecte non implet, sicut impletur in patria, quod verissimum est. Alias Div. Thomas sibi contrarius esset cum [3] dicit : *Actus charitatis considerari potest secundum quod est quidam actus per se, et hoc modo cadit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter datur, scilicet :* Diliges Dominum Deum tuum, etc.

[1] Joan. xiv, 21. — [2] 2 2, quæst. 44, art. 6, ad 2. — [3] 1 2, quæst. 109, art. 10 in *corp.*

CONCLUSIO II.

Præceptum charitatis affirmativum non obligat semper et pro semper, ita ut teneamur omnia prorsus opera nostra in Deum ex motivo veræ charitatis referre.

Prob. 1. Ex SS. Augustino et Thoma, quos suos dicere non erubescunt Jansenistæ.

1° Div. August. [1] ait: *Charitas alia est divina, alia est humana; alia est licita, alia illicita... prius ergo loquor de humana licita, quæ non reprehenditur.* Atqui reprehenderetur, si omnes nostræ actiones deberent fieri ex motivo charitatis, prout voluit P. Quesnel, qui renovavit propositionem 48 Baii, quæ latine reddita sic habet: Proposit. 44: Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, et omnes actiones nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, et amor quo nos ipsos et mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus.

2° Div. Thomas hanc sibi proponit quæstionem [2], *utrum modus charitatis cadat sub præcepto divinæ legis?* cui S. Doctor respondet negative: *Qui enim*, inquit [3], *præceptum non servat, peccat mortaliter: si igitur modus charitatis cadat sub præcepto, sequitur quod quicumque operatur aliquid, et non ex charitate, peccet mortaliter; sed quicumque non habet charitatem, operatur non ex charitate: ergo sequitur quod quicumque non habet charitatem, peccet mortaliter in omni opere quod facit, quantumcumque sit de genere bonorum; quod est inconveniens:* ergo, etc.

Prob. 2. Si tenerentur omnes omnino actiones nostræ in Deum, ex motivo charitatis proprie dictæ, referre, omnes nostræ actiones, quæ non sic ad Deum referrentur, essent peccata; atqui falsum consequens: ergo, etc.

[1] Serm. 50 *de Tempore*, cap. 1. — [2] 1 2, quæst. 100, art. 10. — [3] In argumento *Sed contra est.*

Prob. min. Tum ex Concil. Trident.[1] definiente : *Si quis dixerit justificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit;* tum ex Alexand. VIII, qui has duas propositiones damnavit : 1ª *Intentio qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.* 2ª *Quisque etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur :* ergo omnis actio, quæ non refertur ad Deum, ex motivo charitatis proprie dictæ, non est peccatum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. Mandato primo : *Diliges Dominum*, etc., præcipitur ut Deum omni momento vitæ nostræ rationalis, actu vel virtute, propter se diligamus : ergo tenemur omnes actus nostros ad Deum ex motivo charitatis referre.

Resp. *Nego ant.* Nam præceptum illud est affirmativum ; atqui præcepta affirmativa non obligant semper et pro semper : ergo, etc.

Prob. ant. Ex Div. Thom.[2] dicente : *Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum, et ideo præceptum charitatis adimplere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum :* ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Ex textu enim sequitur præceptum dilectionis non posse impleri pro tempore quo obligat, nisi homo tunc omnia sua in Deum propter se dilectum, referat ; sed non inde sequitur, hominem debere omni tempore suas omnes actiones ex motivo charitatis in Deum referre, ut constat ex contextu, quem de industria et mala fide omittunt Jansenistæ : *Si ergo,* prosequitur Div. Thomas, *qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare,*

[1] Sess. 6, canon. 31. — [2] 1 2, quæst. 10, art. 100, ad 2.

non ex vi hujus præcepti, quod est Honora parentes; *sed ex vi hujus præcepti,* Honora Dominum ex toto corde tuo, *et cum ista sint duo præcepta affirmativa non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare: et ita potest contingere quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis.*

Objicies 2. Illud Apost. [1]: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quæ verba continere præceptum docent omnes ferme Theologi cum Div. Thoma; atqui illud præceptum non potest impleri quin omnes hominis actus deliberati ad Deum referantur ex proprio charitatis motivo: ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Præceptum enim de diligendo Deo non debet confundi cum præcepto de omnibus ad Deum referendis actionibus; quia præceptum dilectionis cum sit affirmativum et sine universalitate, non obligat pro semper; præceptum vero de referendis omnibus actionibus ad Deum, licet sit affirmativum, quia tamen continet universalitatem actionum, obligat pro omni tempore, quo aliquid deliberate operamur.

Inst. 1. Tenemur omnes actus nostros ad Deum referre ex præcepto charitatis: ergo et ex charitatis motivo.

Resp. *Nego conseq.* Nam ex præcepto charitatis tenemur per actus fidei et spei nos disponere ad charitatem, nec tamen tenemur hosce actus elicere ex motivo charitatis. Sufficit ergo ut actus nostros referamus ad Deum ex fine honesto et rationabili, quod, ut ait Div. Thom. [2], *sit ex natura sua referibile ad charitatem.*

Hinc, qui fidem servat, aut rem alienam restituit ex motivo justitiæ aut honestatis, mediate actionem suam in Deum refert, ipsumque implicite diligit, tum quia in hoc voluntatem suam divinæ conformat voluntati; tum quia honestatem et justitiam diligendo, ipsummet Deum, qui

[1] I Cor. x, 31. — [2] 2 2, quæst. 19, art. 6 *corp.*

summa est justitia et fons totius honestatis, quodammodo diligit.

INST. 2. Homo debet operari propter Deum tanquam finem suum ultimum : ergo et propter Deum propter se dilectum.

RESP. *Nego conseq.* Illa enim duo sunt omnino distincta : nam actus spei tendit in Deum ut finem ultimum, nec tamen tendit in Deum propter se, id est propter absolutam ejus bonitatem, ut vidimus agendo de spe.

INST. 3. Apostolus dicit [1] : *Omnia vestra in charitate fiant :* ergo, etc.

RESP. *Nego conseq.* Ibi enim non est sermo de charitate, qua Deus propter se diligitur, sed de charitate, qua sic Deus diligitur, ut nihil ei præponatur aut æquetur, quod fit cum omnia referuntur in finem charitatis qui Deus est, licet nondum fiant ex motivo charitatis proprie dictæ ; ita sese explicat Apostolus dicens [2] : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant.*

OBJICIES 3. Sancti Patres docent illud omne esse vitiosum, quod a charitate non profluit ; sic Div. Chrysost. [3] : *Nihil est boni et honesti, quin ortum ex charitate ducat.* Et Div. August. [4] : *Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit :* ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Illud juxta Patres est vitiosum quod fit sine charitate late sumpta, nimirum pro amore boni honesti, et tendentia in debitum finem, *conc. ant. ;* quod fit sine charitate stricte sumpta, *subdist. ;* vitiosum est quatenus nec meretur de condigno, nec ad æternæ vitæ comparationem sufficere potest, *conc. ant. ;* quatenus est peccatum, *nego ant. et conseq.*

Itaque nihil ex voce charitatis, qua usi sunt SS. Patres, potest contra nos colligi, cum plerumque in eorum operibus usurpetur ad exprimendum quemcumque animi af-

[1] 1 Cor. XVI, 32. — [2] I Cor. XIV, 40. — [3] Serm. *de Charit.* — [4] Lib. *de Spiritu et Litt.*, cap. 14.

fectum, in bonum etiam naturalem. Sic Div. August.[1], de charitate ait: *Charitas alia est divina, alia est humana, alia humana licita, alia illicita... licita est humana charitas qua uxor diligitur; illicita qua meretrix vel uxor aliena... licitam ergo charitatem habere, humana est, sed, ut dixi, licita.* Unde cum dixit[2]: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas,* sumit τὸ *charitas* pro amore boni et honesti.

Inst. 1. Ex Div. Leone[3]: *Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates... aut Dei amator est* (homo), *aut mundi.* Atqui amor mundi semper malus est, et amo Dei semper bonus: ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Amor mundi semper malus est, dum in eo finis ultimus statuitur, *conc. min.*; secus, *nego min.*; unde SS. Patres per illos duos amores intelligunt duos fines ultimos nostrorum actuum.

Inst. 2. SS. Patres docent nullam esse veram virtutem sine charitate: ergo, etc.

Resp. 1. *Retorq. argument.* SS. Patres docent nullum esse opus bonum sine castitate, *nec opus bonum est aliquod sine castitate,* ait Div. Gregorius: ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Nulla est vera virtus sine charitate defectu formæ extrinsecæ, *conc. ant.*: defectu formæ intrinsecæ, *nego ant.* Charitas itaque est forma extrinseca virtutum, sine qua non possunt esse perfectæ, completæ, et meritoriæ vitæ æternæ; nihilominus sunt veræ virtutes, quatenus, sua propria forma informatæ, versantur circa suum proprium objectum materiale et formale.

[1] Serm. 349. — [2] *Enchiridii*, cap. CXVII. — [3] Serm. 5 *de Jejunio*

CONCLUSIO III.

Præceptum affirmativum charitatis Deo debitæ obligat sæpissime.

PROB. Ex Deuter. VI: *Diliges Dominum Deum tuum... eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens,* etc.; unde sic argumentor: frustra aliquod præceptum esset crebro meditandum, nocte scilicet et die, in domo, in itinere, etc., nisi crebro esset implendum; atqui ex textu allato præceptum dilectionis Dei est meditandum nocte et die, in domo et itinere: ergo crebro est implendum.

Confirmatur. Quia si hoc præceptum raro obligaret, sequeretur hominem fere nunquam teneri merita ad salutem assequendam necessaria sibi comparare; cum nullum meritum salutare possit habere nisi ex charitatis impulsu. Hinc jure merito Alexander VII et Innocentius XI has propositiones damnarunt:

1. *Præceptum amoris Dei per se tantum obligat in articulo mortis.*

2. *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.*

3. *Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis, per se obligare præceptum charitatis in Deum.*

4. *Tunc solum obligat quando tenemur justificari, et non habemus etiam viam, qua justificari possimus.* Ex quarum propositionum damnatione clarescit veritas nostræ assertionis. Sed

QUÆRES. *Quandonam præceptum charitatis obliget?*

RESP. 1. Obligat *per se*: 1° ubi primum, moraliter loquendo, infans usum rationis attingit, satisque ipsi proposita est divina bonitas super omnia propter se amabilis; ita docent

Div. Thomas [1] et S. Franciscus Salesius [2], quia rationem accepit homo ut deliberet de fine suo ultimo, ad quem se debet super omnia convertere quamprimum potest; hoc enim est negotium negotiorum, cui per totam vitam debet præ cæteris se applicare, est enim *primum et maximum mandatum*.

Unde, quidam recte docent quemlibet in dubio an huic officio satisfecerit in infantia, expedire hoc omissionis peccatum confiteri, sub dubio si præceptum istud violaverit.

2° Obligat cum quis versatur in probabili mortis periculo *etiamsi Sacramenta suscepta sint*, ait P. Antoine; ratio est, quia homo tunc magis ultimo fini suo se per amorem conjungere debet, quo fini illi magis appropinquat: *Sive vivimus, Domino vivimus*, ait Apostol. [3]; *sive morimur, Domino morimur*.

3° Cum actus charitatis necessarius judicatur ad vitandum peccati mortalis periculum, vel ad vincendam gravem, quæ ingruit, tentationem: nam ex charitate Dei tenemur ejus offensam vitare per media ad hoc necessaria.

4° Sæpissime in decursu vitæ, ut mox probatum est: quoties autem intra annum per se obliget, non potest facile determinari. Hoc solum dici potest, quod sicut corpus sæpe sæpius indiget manducare ad vitam servandam, ita sæpe actus charitatis quæ est animæ vita, sunt exercendi, ne mors spiritualis illam invadat.

Resp. 2. Obligat *per accidens*: 1° quando quis culpæ mortalis conscius, nec habens copiam Confessarii, tenetur celebrare, vel Sacramentum quodvis conficere aut suscipere, nam tunc obligatur ad actum contritionis perfectæ, quæ includit charitatem.

2° Quoties Deum blasphemiis impeti, vel grandi aliquo scelere offendi videmus, exemplo Davidis, qui de se ipso

[1] 2, quæst. 89, art. 6, ad 3. — [2] Lib. x *de Amore Dei*, cap. 6. — [3] Rom. xiv, 8.

dicebat [1]: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei;* zelus autem ille sine amore esse non potest.

3° Addit Habert, Orationem Dominicam vel mendaciter recitare, vel non recitari sine aliquo charitatis actu; quid enim lingua nostra exprimit dicendo: *Sanctificetur nomen tuum*, nisi nos ante omnia expetere Dei gloriam? Quid sonant illa verba: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra?* Respondet Div. Cyprian. [2]: *Voluntas Dei est, quam Christus et docuit et fecit... Deum toto corde diligere... charitati ejus inseparabiliter adhærere*, etc.; ne ergo simus ex illis de quibus scriptum est [3]: *Dilexerunt eum in ore suo, de lingua sua mentiti sunt ei*, necesse est, ut lingua exprimente amorem, cor eliciat amorem.

Nota. Desiderium possidendi Deum, tendens in illum tanquam in nostrum ultimum finem, est proprius charitatis actus, imo perfectior aliis, nam possessio Dei est charitas consummata, quia *cum homo Deum possidet*, inquit S. Bernardus, *sui obliviscitur, et eum totis viribus diligit.* Hinc perfectum charitatis actum emisit Apostolus, cum dixit: *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo* [4].

ARTICULUS II.

DE PRÆCEPTO CHARITATIS ERGA PROXIMUM

Nota. Qui primo non pepercerunt mandato, secundum ita labefactarunt, ut dicerent: 1° *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali;* 2° *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Verum duas hasce propositiones, tota plaudente Ecclesia, damnavit Innocent. XI. Unde sit

[1] Psal. CXVIII, 39. — [2] Lib. *de Orat. Domin.* — [3] Psal. LXXVII, 36. — [4] Philip. I, 23.

CONCLUSIO.

Datur præceptum speciale diligendi proximum non tantum actu externo, sed formali et interno benevolentiæ actu.

Prob. Ex Matth. xxii: *Secundum autem* (mandatum) *simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum;* et Joan. xiii, Salvator ait: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Atqui haud dubie nos ipsos affectu interno diligimus, et Salvator noster affectu interno et formali nos dilexit, quod pressius Div. Petrus declarat[1] dicens: *In fraternitatis amore simplici ex corde invicem diligite:* ergo, etc.

Quæres 1. *Quandonam teneamur ad actum internum dilectionis proximi?*

Resp. 1. Ad talem actum sæpius tenemur; nam præceptum dilectionis fraternæ simile est præcepto dilectionis Dei; atqui præceptum dilectionis Dei sæpius obligat: ergo, etc.

Resp. 2. Certo non potest determinari tempus quo præceptum dilectionis proximi *per se* obligat, sed cum sæpius obliget, monendi sunt fideles, ut attente Orationem Dominicam sæpius recitent; per hanc siquidem perfectissime elici possunt actus dilectionis erga proximum, quia ea quæ in illa postulantur, non pro postulante duntaxat, sed et pro omnibus postulantur.

Resp. 3. Actus internus dilectionis proximi obligat *per accidens.*

1° Dum gravis urget odii tentatio, quæ absque actu dilectionis superari non potest.

2° Dum videmus proximum gravi injuria affici in bonis sive corporis, sive animi, sive fortunæ; quia debemus diligere proximum sicut nos.

3° Quoties ex præcepto charitatis debemus proximo suc-

[1] I Epist. i, 22.

currere, vel onera ejus portare, toties internum illum affectum elicere nos oportet, quia vera dilectio sine actu inferiori non potest impleri; ex quo

Resolves: Hominem debere esse animo ita præparato, ut continuo charitatem exerceat erga proximum, juxta illud Div. Petri [1]: *Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes;* ratio quam assignat Card. Bona [2], *ante omnia* est quia *tot sunt hominum miseriæ, tam spirituales, quam corporales, ut vix gressum movere possimus, vel oculos vertere, quin multi occurrant ope nostra vel supportatione indigentes.*

Quæres 2. *An præceptum charitatis proximi sese extendat ad inimicos?*

Resp. *affirm.* Dixit enim Christus [3]: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Quo loco Christus rectum tradit sensum hujus legis: *Diliges proximum tuum,* quem Pharisæi corruperant, a ratione proximi excludentes inimicos et extraneos; quam pseudo-interpretationem corrigit Christus, docetque 1° inimicos interno charitatis affectu esse diligendos; 2° ipsis præstanda esse exteriora dilectionis officia, ipsis benefaciendo, pro ipsis orando, ut ipsis proficui simus, quibus bene velle debemus.

Quæres 3. *Quid exigat a nobis præceptum dilectionis inimicorum?*

Resp. *Exigit* 1° ut inimicis ex corde remittamus offensam, atque ita omnem odii ac vindictæ deponamus affectum, ut sincero corde parati simus ipsis exhibere debita internæ dilectionis signa; ratio est, quia præcepta est interna dilectio: ergo nunquam licet in animo, vel ad momentum, fovere quidquid internæ dilectioni est contrarium.

[1] I Epist. IV 8 — [2] In *Principiis vitæ Christ.*, pag. 2, § 43. — [3] Matth. V.

Exigit 2° ut inimicis ex interno affectu exhibeamus *communia* dilectionis signa, quæ aliis communiter hominibus ejusdem conditionis exhibere solemus; *si enim* illa *non exhiberemus inimicis,* ait Div. Thomas [1], *hoc pertineret ad livorem vindictæ.*

Resolves: Eum graviter peccare, qui inimicum excludit a communibus orationibus, vel ab eleemosynis quæ certis hebdomadæ diebus fiunt omnibus pauperibus pro eis ad januam sese offerentibus; vel a resalutatione; vel ad interrogata responsione; vel a mercium expositarum venditione, etc.

Dixi *communia signa;* specialia quippe benevolentiæ signa, qualia sunt visitare, familiariter colloqui, ad convivium invitare, etc., *regulariter loquendo,* non tenemur inimicis exhibere, extra casum necessitatis.

Dixi *regulariter loquendo;* quia in duobus casibus specialia illa dilectionis signa inimico, quamvis prior offenderit, præstare tenemur, 1° cum per ea spes probabilis affulget Deo lucrandi, sibique reconciliandi proximum, alias in odio et inimicitia perstiturum, vel etiam magis exarsurum; quia ex charitate tenemur grave damnum proximi, præsertim spirituale, licet ex ejus culpa obveniens, impedire vel tollere cum possumus, saltem sine nostro notabili detrimento; 2° si inimicos ante injuriam solebamus salutare, ad conversationem admittere, etc., eadem benevolentiæ specialia signa post injuriam illatam, tenemur præstare, *nisi circumstantiæ speciales aliud postulent, vel ab eo excusent.* Quia istorum signorum denegatio extra circumstantias speciales, censetur communiter signum odii, vindictæ, vel contemptus, ac proinde odii fomitem subministrat, populumque scandalizat, quod charitati maxime adversatur.

Dixi *nisi circumstantiæ speciales aliud postulent,* prout postulare videntur, 1° si prudenter existimetur quod ini-

[1] 2 2, quæst. 35, art. 9.

mico profutura non sit specialis illa benignitas nostra, imo potius obfutura, eo quod ea sit abusurus ut pejor fiat; 2° si inimicus prævideatur ad meliorem mentem potius reducendus, a novisque injuriis revocandus signorum illorum specialium omissione, quia tunc charitatis est illa omittere.

Exigit 3° ut inimicis in necessitate constitutis opitulemur, et damnum ipsis alias imminens in honore, fama, corpore et bonis fortunæ, impediamus, dum sine nostro gravi damno possumus; sic enim nobis fieri vellemus, et sic præcipit Christus [1]: *Benefacite his qui oderunt vos.*

Exigit 4° ut inimico veniam petenti, diutius post acceptam injuriam, exteriora benevolentiæ et condonationis signa, privatus quisque non moretur exhibere; tunc enim horum protractio reputatur quoddam odii signum, vindicta, et scandali causa ad majus odium provocans inimicum.

Dixi 1° *diutius non moretur post acceptam injuriam;* sic enim præcipit Christus cum dicit [2]: *Si septies in die peccaverit in te* (frater tuus), *et septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi.* Porro longas damnat moras qui vult septies in die dimitti; hinc August. [3] ait: *Quando inimicus veniam petit, continuo dimittatis;* non statim tamen postquam offensio est illata, eo quod sit res violenta, et supra fragilitatem humanam, ut probabiliter sentiunt multi. Unde exspectandum est tempus opportunum, et interea sufficit quod offensus deponat odium.

Dixi 2° *privatus quisque.* Quia quivis superior offensus, aliquando, correptionis et aliorum exempli causa, potest externa condonationis signa differre; modo in corde dimittat et charitatem servet exemplo Davidis, qui [4] facici suæ conspectum Absaloni denegavit, etiam post remissam ipsi offensam. Ratio est, quia id amoris potius signum est

[1] Matth. IV, 44. — [2] Luc. XVII, 3. — [3] Serm. 52. — [4] II Reg. XIV, 24.

quam odii, utpote tendens in bonum subditi vel communitatis. Multa tamen prudentia in eo requiritur, ne plus æquo subditus exacerbetur.

Quæres 4. *An veniam petenti teneamur remittere injuriarum actionem et satisfactionem pro injuria in bonis famæ vel fortunæ, vel Reipublicæ et justitiæ?*

Resp. *negat.* per se loquendo. Quia solus vindictæ appetitus, non ordo justitiæ repugnat charitati, ac proinde præceptum charitatis non infringit qui dictam satisfactionem coram legitimo judice, servato juris ordine, absque livore vindictæ et ex animo illatam sibi injuriam remittens, exposcit.

Dixi *per se loquendo*, quia cum agitur de bono communi vel de justitiæ conservatione, hoc magis speculative quam practice verum est, vel saltem rarissime, quia difficile est ut offensus diligat vindictam publicam propter amorem communis boni vel justitiæ, disjunctive ab amore propriæ vindictæ [1].

Quæres 5. *An pars læsa æquam ad prudentum arbitrium satisfactionem ab inimico oblatam, teneatur acceptare?*

Resp. Ordinarie tenetur ex præcepto charitatis, quæ vetat ne quis alteri faciat quod sibi rationabiliter fieri non vult.

Dixi *ordinarie*, quia quandoque necesse est satisfactionem injuriarum prosequi apud judicem, et hoc : 1° si reus sit Reipublicæ noxius ob continuas quas excitat rixas, et hac correctione indigeat ut alios similiter injuriare desinat; 2° si ita gravis esset offensa, ut infamia, quæ in totam recidit familiam, non posset absque hac juridica satisfactione deleri.

Quæres 6. *Quis ordo in reconciliatione inunda sit servandus?*

Resp. Hunc esse servandum :

1° Qui gravem injuriam proximo intulit, veniam aut

[1] Vid. S. Ligor., lib. III, num. 29, et Hom., Ap. tract. IV, num. 17.

excusationem petere, aut saltem, si læso valde dignior sit, convenientia reconciliationis media adhibere tenetur.

2° Si duo inter se rixam habuerint, qui prior aggressus est, is prior, *cæteris paribus*, veniam petere, aut viam ad pacem aperire debet, id enim exigit justitiæ ratio.

Dixi *cæteris paribus*, quia si is qui in offendendo est posterior gravius et notabilius offendit, debet alium prævenire, ut recta dictat ratio.

Porro, filius et subditus, etsi a patre et superiore gravius læsi fuerint, nunquam tamen possunt ab ipsis salutationis vel allocutionis officium subtrahere, utpote ipsis ex quarto Decalogi præcepto strictissime debitum. Idem dic de Religiosis ejusdem ordinis, quia, licet salutatio et allocutio sint signa specialia respective ad extraneos, tamen generalia et communia reputantur respective ad Religiosos ejusdem ordinis: ergo ipsis debita sunt etiam post acceptam injuriam ; ex quo

Resolves: Peccare mortaliter Religiosos, qui rixæ causa intra septa domestica sese non salutant, nec alloquuntur, si antea se invicem salutare et alloqui solebant ; istorum enim denegatio est signum odii, causaque scandali, atque multorum sacrilegiorum in iis qui, livorem vindictæ foventes, Sacramenta non verentur administrare ac suscipere velut merum sui status exercitium ; proh dolor!...

Quæres 7. *Qui sit sensus horum Christi verborum* [1] : Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo ; et tunc veniens offeres munus tuum?

Resp. Verbis vere aureis Div. August. [2] : *Si in mentem venerit quod aliquid habeat adversum nos frater, id est, si nos eum in aliquo læsimus, tunc enim ipse habet adversum nos ; nam nos adversus illum habemus, si ille nos læsit, ubi non opus est* (nobis) *pergere ad reconciliationem ; non enim*

[1] Matth. v. 23. — [2] Lib. I *de Serm. Domini in monte*, cap. 10.

veniam postulabis ab eo qui tibi fecit injuriam, sed tantum dimittes... Pergendum est ergo ad reconciliationem, cum in mentem venerit, quod nos forte fratrem in aliquo læsimus: pergendum autem non pedibus corporis si longius absit, sed motibus animi, ut te humili affectu prosternas fratri, ad quem cara cogitatione cucurreris, in conspectu ejus cui munus oblaturus es. Ita enim, etiamsi præsens sit, poteris cum non simulato animo lenire, atque in gratiam revocare, veniam postulando; si hoc prius coram Deo feceris, pergens ad eum, non pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu, atque inde veniens, id est intentionem revocans ad id quod agere cœperis, offeres munus tuum. Itaque si frater longius absit, sufficiet protestari Deo, qui corda et renes scrutatur, te velle congruam satisfactionem fratri læso præstare, etiam veniæ petitione si necesse fuerit, donec opportunitas se obtulerit id reipsa præstandi. Quod si frater læsus non absit longius, pro reconciliatione adeundus est quamprimum moraliter fieri potest, id est statim ac *prudentiæ ratio, tempus et locus permittunt*, ut explicat Jansenius hic. Atque hæc obligatio tam arcta est, ut qui proximum graviter læsit, absolvi non debeat, nec ad Eucharistiæ participationem admitti, nisi prævia reconciliatione, saltem rationabiliter oblata, ut plura definierunt Concilia [1].

QUÆSTIO II.

DE ORDINE CHARITATIS.

Nota 1. Constat apud omnes ordinem quemdam in charitatis exercitio servandum esse, unde Ecclesia Deum laudat quod in illa charitatem ordinaverit: *Ordinavit in me*, inquit [2], *charitatem*. Ratio est, quia ad amorem rectum

[1] Carthag. IV, can. 93; Arelat. II, can. 50; August., can. 31; Tolet. IX, can. 4; Nannetens, can. 1. — [2] Cant. II, 14.

non sufficit objectum bonum, sed necessarium est quod objectum bonum bene ametur, quod non fit nisi custodito amoris ordine, juxta illud Div. August. : *Bene amatur quando amatur ordine custodito, male autem, ordine perturbato.*

Nota 2. In exercitio charitatis duplex est ordo servandus, *dilectionis* nimirum, et *subventionis* seu *beneficii*, juxta illud Div. August. [1] : *Charitas quæ tanquam nutrix fovet filios suos, non ordine amandi, sed ordine subveniendi, infirmiores fortioribus anteponit :* sic Pastor evangelicus ordine dilectionis prætulit nonaginta novem oves, quas in deserto reliquerat, ovi centesimæ quæ erraverat ; sed centesimam illam errantem ordine subventionis prætulit aliis nonaginta novem ; has enim a sua cura dimisit, cum e contra totum se dederit in centesima quærenda, et ad ovile reducenda.

Nota 3. Aliunde ordo dilectionis petitur quam ordo beneficii ; ordo quippe *dilectionis* petitur ex dignitate objecti ; ordo vero *subventionis* et *beneficii* petitur ex indigentia personæ cui subvenitur, habita tamen ratione conjunctionis, qua persona indigens conjungitur nobiscum, ita ut inter indigentes, cæteris paribus, præferendi sint conjunctiores, ad quorum adjutorium magis nati sumus.

Restat ergo ut exponamus : 1° quis ordo *dilectionis* in exercitio charitatis servandus sit ; 2° quis ordo *beneficii* servandus sit inter diligentem et dilectum ; 3° quis ordo *beneficii* servandus sit erga diligibiles proximos : circa quæ sit

[1] Epist. 43.

CONCLUSIO I.

In exercitio charitatis talis debet esse ordo dilectionis, *qualis est ordo rerum quoad bonitatem.*

Prob. Ordo *dilectionis* petitur ex dignitate objecti amabilis: ergo talis debet esse ordo *dilectionis,* qualis est ordo rerum quoad bonitatem; et consequenter meliora magis amari debent, utpote magis amabilia.

Resolves 1. Deum super omnia amandum, quia est summum et summe amabile bonum.

Resolves 2. Creaturas, quæ cæteris sunt sanctiores, præ cæteris amari debere, quia sunt Deo conjunctiores, et secundum se amabiliores. Creaturas vero quæ sunt æque sanctæ, æqualiter amari debere, quia sunt æque Deo conjunctæ, et æque secundum se amabiles.

Resolves 3. Animam diligi debere magis quam corpus; illa enim est dignior corpore, eo quod possit perfrui Deo, non autem corpus, quia, ut ait August.[1]: *Corpus per animam vivit, qua fruimur Deo.*

Resolves 4. Quando justorum justitiæ et sanctitatis gradus non cognoscimus, *omnes*, ait ibidem Augustinus, *æque, ordine dilectionis, diligendi sunt.*

CONCLUSIO II.

Ordine beneficii *unusquisque tenetur se ipsum magis diligere quam proximum, in eodem bonorum genere.*

Prob. Ex ipso dilectionis præcepto[2]: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ubi dilectio sui proponitur uti regula et exemplar amoris proximi; atqui regula est prior et potior regulato: ergo ordo postulat ut nos ipsos magis diligamus, quam proximum; unde axioma est ab ipsamet

[1] lib. *de Doctr. Christ.*, cap. 27. — [2] Matth. XXII, 39.

natura dictatum : *Charitas bene ordinata incipit a se ipso.* Hinc,

Resolves 1. Ordine beneficii magis diligere tenemur animam nostram, quam animam proximi; unde non licet, etiam pro totius mundi salute, venialiter peccare, et peccati proximo periculo sese committere, ut constat ex damnatione hujus propositionis ab Innocent. XI : *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.*

Nec dicas : Magis placet Deo ut unum fiat veniale peccatum, quam ut totus mundus ob peccatum mortale damnetur : ergo licet ad vitandam totius mundi damnationem peccare venialiter.

Resp. *Dist. ant.* Magis Deo placet in genere, quia nempe Deus generatim mavult leviter offendi quam graviter. *conc. ant.;* magis placet in particulari, hoc sensu quod Deus velit me venialiter peccare ut mortalem aliorum offensam, et ei annexam damnationem removeam, *nego ant.;* imo contrarium vult, qui vult ut me plus amem quam proximum.

Resolves 2. Tenemur magis vitam nostram corporalem quam proximi conservare, *nisi commune bonum aliud exigat,* juxta illud August.[1] : *Si quis pro alterius temporali vita vitam suam temporalem perdit, non est jam diligere illum sicut se ipsum, sed plus diligere quam seipsum, quod sanæ doctrinæ regulam excedit,* juxta quam homo, utpote sibi ipsi magis conjunctus quam proximo, se magis diligere debet quam proximum... Dixi *nisi commune bonum aliud exigeret :* prout exigit ut privatus vitam suam exponat pro conservanda vita principis sui, vel alterius personæ ad Rempublicam servandam necessariæ, si eam morte sua servare possit. Debet enim quodlibet membrum periculo exponi, imo abscindi, dum id necesse est pro conservatione totius.

[1] Lib. *de Mendacio,* cap. 6.

Dixi in assertione, *in eodem bonorum genere:* quod ut clarius explicetur,

Quæres: *Utrum quilibet teneatur propriam vitam corporalem exponere pro æterna proximi salute?* Ante responsionem

Nota: Proximus potest esse constitutus in triplici necessitate salutis æternæ, vel in *extrema*, vel in *gravi*, vel in *communi*.

Extrema est ea in qua, nisi hic et nunc juvetur, æternum est periturus; in tali necessitate est infans sine Baptismo moriturus, nisi te exponas periculo, ut ipsi per Baptismum subvenias.

Gravis est ea in qua proximus salvari quidem potest absque alterius ope, sed valde difficile; in tali necessitate est consuetudinarius peste infectus, copiam Confessarii non habens, qui equidem saluti suæ absolute providere potest per actum perfectæ contritionis; sed quia valde difficilis est ejusmodi actus; censetur esse in gravi salutis æternæ necessitate.

Communis est ea in qua proximus sine alterius ope facile salvari potest; in ea est qui in communi peccandi occasione est constitutus. Hæc est plane voluntaria in proximo, et ideo pro eo nullus tenetur, nedum propriam vitam, sed nec bona temporalia exponere. His notatis,

Resp. Tenetur, si proximus sit positus in extrema salutis necessitate, et si alius non adsit qui possit et velit illi succurrere; si vero in gravi tantum necessitate sit constitutus, probabilius non tenetur, nisi sit pastor animarum, vel ex alio speciali motivo.

Prob. prima pars. Quia dicit Christus [1]: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos;* atqui Christus sic nos dilexit, ut vitam suam pro salute nostra tradiderit: ergo, concludit Div. Joan.[2], *et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quæ Christi lex vel nunquam,

[1] Joan. xv, 12. — [2] I Epist. iii, 16.

vel saltem in extrema fratrum necessitate spirituali obligat.

PROB. SECUNDA PARS. Quia necessitas gravis talis est naturæ, ut homo ab ea liberare se possit si velit; atqui charitas non exigit ut me morti exponam ad liberandum eum, qui absolute se liberare potest, et cujus specialem curam non suscepi : ergo, etc.

Dixi 1° *nisi sit Pastor animarum*, quia Pastores ex officio sunt magis obligati ad oves sibi commissas necessariis Sacramentis pascendas, quam quilibet alii : ergo, cum alii ad id in extrema necessitate teneantur cum vitæ suæ periculo, consequens est quod ad id cum eodem vitæ periculo teneantur Pastores, etiam in gravi necessitate, juxta illud : *Bonus Pastor animam dat pro ovibus suis.*

Dixi 2° *vel ex alio speciali motivo*, v. gr. ratione *delicti*, uti esset si quis hæresim docuisset; vel ratione *publicæ necessitatis*, quia necessitas gravis publica solet conjungi cum extrema aliquorum necessitate.

Hinc, si quis hæresim alicubi spargerit, tenetur cum periculo vitæ illam impedire, si possit, et nemo alius impediat; *item*, si in persecutione vel hostili incursione plebs aliqua careret sacerdote, et aliunde esset exposita gravibus periculis peccandi, teneris cum periculo vitæ illi opitulari (Scavini, ex Antoine).

CONCLUSIO III.

Ubi omnibus in pari necessitate *constitutis non possumus succurrere, extraneis debemus præferre eos qui nobis sunt sanguine, amicitia, vel religione conjuncti, juxta gradum et rationem conjunctionis.*

PROB. PROP. Quæ est Div. August.[1] : *Cum omnibus prodesse non possis*, inquit, *his potissimum consulendum est, qui, pro locorum et temporum, vel quarumlibet rerum oppor-*

[1] LIB. I *de Doctr. Christ.*, cap. 28.

tunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur. Ratio est, quia charitas non destruit, sed perficit naturam; atqui natura rationalis dictat magis diligendos esse conjunctos quam extraneos, et coniunctiores quam minus conjunctos : ergo, etc.

Dixi *in pari necessitate;* quia extraneus in *majori* necessitate positus præferendus est propinquo longe minus indigenti; nam, cum præceptum charitatis non obliget ad benefaciendum alis, nisi sint in aliqua necessitate, magis obligat ubi major est necessitas; ita Div. Thom. [1].

Resolves : Extraneus in *gravi* necessitate positus est præferendus consanguineo in *communi* tantum necessitate; item, extraneus in necessitate gravi spirituali debet præferri consanguineo gravem necessitatem corporalem patienti, quia tunc necessitas extranei major est ob indigentiam boni superioris ordinis, et consequenter magis necessarii.

Quæres : *Cum sint diversi gradus consanguinitatis et aliarum conjunctionum, quomodo inter eos servandus est ordo subventionis et beneficii ?*

Resp. Ordo sequens *per se loquendo* est observandus.

1° *In extrema necessitate* parentes præferendi sunt aliis omnibus, quia eos *diligimus sub ratione principii*, ait Div. Thom. [2], *quod habet rationem eminentioris boni et Deo similioris.*

Dixi *in extrema necessitate;* quia in gravi necessitate potius subveniendum est uxori ac liberis, quam parentibus : *Filiis magis debetur a parentibus cura provisionis*, ait Div. Thom. [3] Rationem assignat Apostolus [4], quia *non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

2° Pater præferendus est matri, quia nobilius est principium proles, quam mater.

[1] 2 2, quæst. 31, art. 3. — [2] 2 2, quæst. 26, art. 9 *in corp.* — [3] Ibid., ad. 1. — [4] II Cor. xii, 41.

3° Uxor præferenda est filiis, quia est una caro cum marito, et ideo ei conjunctior quam filii.

4° Filii præferendi sunt fratribus; quia cum sint pars a patre decisa, illis sunt conjunctiores.

5° Fratres præferendi sunt cognatis, et ex his viciniores remotioribus; quia major est sanguinis conjunctio cum prioribus.

DICES: Uxor præferenda est patri in extrema necessitate, juxta illud [1]: *Dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ.*

RESP. *Nego ant.* Ad textum respondet Div. Thom. [2]: *Quod non quantum ad omnia deseritur pater et mater propter uxorem: in quibusdam enim magis debet homo assistere parentibus, quam uxori; sed quantum ad unionem carnalis copulæ et cohabitationis, relictis omnibus parentibus, homo adhæret uxori.*

Dixi in responsione, *per se loquendo;* fieri enim potest *per accidens*, ut is alteri præferatur qui naturaliter deberet postponi: sic mater bona, quæ prolis curam digne gerit, potest præferri patri malo et proli malefico; sic filius in rebus domesticis multum necessarius potest præferri uxori clamorosæ et inutili, etc.

CAPUT IV.

DE OFFICIIS CHARITATIS, SEU OPERIBUS MISERICORDIÆ.

QUÆRES 1. *Quid sit misericordia?*

RESP. Misericordia est *alienæ miseriæ efficax compassio*, cum voluntate, scilicet, misero succurrendi; et cum miseriæ hominis aliæ sint corporales, aliæ spirituales, opera misericordiæ dividuntur in *corporalia* et *spiritualia.*

QUÆRES 2. *Quot sint opera misericordiæ corporalia?*

RESP. Sunt septem, scilicet *infirmum visitare*, *sitientem*

[1] Gen. II, 24. — [2] 2 2, quæst. 26, art. 11, ad 1.

potare, *esurientem pascere*, *captivum redimere*, *nudum vestire*, *hospitem colligere*, *mortuum sepelire*, juxta hunc versum :

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

QUÆRES 3. *Quot sunt opera misericordiæ spiritualia?*

RESP. Sunt similiter septem, nempe *dubitanti consulere*, *peccatorem corripere*, *ignorantem docere*, *tristem consolari*, *offendenti remittere*, *onerosum sustinere*, *pro omnibus orare* quæ comprehenduntur hoc versu :

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Circa illa misericordiæ opera, de duobus tantum, nimirum de *correptione fraterna*, et *corporali eleemosyna* nobis est disserendum duplici quæstione.

QUÆSTIO I.

DE CORREPTIONE FRATERNA.

Nota. Triplex est correptio, *juridica* nempe, *paterna*, et *fraterna*.

Correptio *juridica* est *actus justitiæ vindicativæ* ordinatus non solum ad emendationem delinquentis, sed etiam ad ejus castigationem ob bonum commune et aliorum terrorem.

Correptio *paterna* est *actus auctoritatis, quo superior absque forma judicii corrigit delinquentem*, tum ut emendetur ipse, tum ut tollatur scandalum aliorum.

Correptio *fraterna* est *actus misericordiæ, quo quis proximum, monitione salutari, a peccato revocare conatur*. De hac plura quærentur breviter exponenda.

QUÆRES 1. *An correptio fraterna cadat sub præcepto?*

RESP. Cadit sub præcepto, tum *naturali*, tum *divino*.

PROB. PRIMA PARS. Præceptum dilectionis proximi est naturale ; sed correptio fraterna comprehenditur sub præ-

cepto dilectionis proximi : ergo. *Prob. minor.* Eleemosyna comprehenditur sub præcepto dilectionis proximi ; atqui correptio fraterna est eleemosyna spiritualis longe pretiosior eleemosyna corporali : ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS : Ex utroque Testamento.

1° Ex veteri, Eccl. XIX : *Corripe amicum ne forte non intellexerit et dicat : Non feci ; aut si fecerit, ne forte iteret.*

2° Ex novo Testamento, Matth. XVIII, Christus correptionis præceptum tulit sic : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum ; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Quibus verbis præceptum contineri, communis est traditio Sanctorum Patrum [1]. Ubi

Nota. Hæc verba *in te*, duobus modis explicari posse : 1° ut idem sit ac *coram te*, vel, *te sciente ;* ita ab August. [2] exponuntur ; 2° ut idem sint ac *contra te*, juxta quam interpretationem species sumitur pro genere, peccatum contra nos pro omni peccato, cum ideo debeamus corripere fratrem, ut lucremur eum.

QUÆRES 2. *Quinam obligantur præcepto fraternæ correptionis ?*

RESP. Ad fraternam correptionem generatim omnes tenentur, sed maxime Superiores.

PROB. PRIMA PARS. Eccl. XVII : *Mandavit unicuique de proximo suo ;* si unicuique, ergo nemo correctioni faciendæ idoneus, ab ea immunis est ; unde ista Christi verba : *Si peccaverit frater tuus, corripe eum*, diriguntur ad omnem, qui peccatum proximi novit. Si quis tamen ob timorem, verecundiam, pusillanimitatem, se reputans non ita stricte obligatum, vel minus idoneum, omittit correptionem, peccat tantum venialiter ex Div. Thom. [3] dicente : *Hujusmodi omissio est peccatum veniale, quando timor et cupiditas tardiorem faciunt hominem ad corrigenda delicta fratris.*

[1] Chrysost., hom. 62 ; August., serm. 82, *de Verbis Domini*, cap. 7 ; Greg. Magn., lib. IV, Epist. 56 ; Ambros., Hieron., etc. — [2] Serm. 32, alias 15, cap. 10. — [3] 2 2, quæst. 33, art. 2, ad 3.

PROB. SECUNDA PARS. Quia Superiores ad corrigendos subditos tenentur, alii ex officio charitatis ut pietatis, ut parentes ; alii etiam ex justitia ratione officii et stipendii, ut Pastores, quam obligationem esse gravem declarat [1] Apostolus his verbis : *Si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.*

Dixi *generatim*, quia scrupulosi ordinarie deobligantur a *fraterna correctione* facienda, tum quia propter hoc nimis præoccupantur, tum quia fiunt aliis nimis graves, tum quia propter scrupulos necessaria discretione ad correctionem carent, et ad causas excusantes attendere non valent.

QUÆRES 3. *Quinam sint ex præcepto corripiendi?*

RESP. Omnes non solum æquales ab æqualibus, sed etiam superiores a subditis. Ratio est, quia præceptum Domini est universale, et ad illud implendum non est opus jurisdictione, cum solum fundetur in charitate, secundum quam bonum spirituale superioris magis quam inferioris diligere tenemur.

Porro correptio superioris ab inferiore debet fieri seorsim et cum multa reverentia, et magis obsecrando, quam arguendo, juxta illud Apostoli [2] : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Si tamen alios suo exemplo vel falsa doctrina in errorem vel in disciplinæ relaxationem induceret, in faciem ipsi resistendum esset, exemplo Pauli qui in faciem Petro restitit, eo quod suo exemplo aliis errandi occasionem incaute præbebat.

QUÆRES 4. *Quænam requiruntur ut quis ad fraternam correptionem obligetur?*

RESP. Requiruntur sex conditiones.

Prima est ut corripiens sit moraliter certus de peccato proximi, præsertim mortali ; scriptum est enim [3] : *Prius quam interroges, ne vituperes quemquam*, correptione temeraria et contra charitatem facta ; nec quis tenetur alterius

[1] I ad Tim. v, 8. — [2] Ad Tim. v, 1. — [3] Eccl. XI, 14.

vitam et mores inquirere, nisi sit superior, juxta illud [1]: *Ne quæras impietatem in domo proximi, et ne vastes requiem ejus.* Ut vero Superior teneatur inquirere, sufficit suspicio, vel dubia cognitio, quia cum ex officio gregi suo invigilare teneatur, tenetur etiam malis dubiis occurrere.

Secunda, ut moraliter certus sit proximum nondum resipuisse; nam per resipiscentiam cessat finis fraternæ correptionis.

Tertia, ut sit probabilis spes emendationis; quia nemo ad actum inutilem tenetur.

Quarta, ut nullus adsit magis idoneus, v. gr. dignior vel superior qui possit *et velit* corripere; dico *et velit;* si enim nolit corripere, perinde teneris ac si solus posses corrigere; nam tunc tua correptione peccans indiget.

Quinta, ut non speretur tempus correptionis opportunius; si enim commodius et utilius proximo foret eam differre, differenda esset.

Sexta, ut materia correptionis sit necessaria, qualis *respectu privati* est peccatum mortale, non veniale saltem, ut plurimum; hoc colligitur ex fine præcepti qui est ut fratrem lucretur, ad quod requiritur ut frater perierit per peccatum utique mortale: *Si non perieras, quomodo te lucratus est?*

Hinc, communiter dicunt Doctores, privatos inter seraro ad correctionem teneri, saltem *sub gravi*, nisi sint familiariter inter se conjuncti, quia raro simul concurrunt prædictæ conditiones.

Dixi 1° *respectu privati;* quia indubitatum est Prælatos regulares non raro teneri sub mortali corrigere venialia subditorum, præsertim dum notabiliter lædunt regularem disciplinam, quam ex officio manutenere tenentur sub mortali. Ita Doctores communiter.

Dixi 2° *ut plurimum;* quia etiam privati, præsertim Reli-

[1] Prov. XXIV, 15.

giosi, tenentur interdum ad fraternam correptionem de venialibus, dum scilicet vergunt in grave damnum vel communitatis cujus disciplinæ vigor subvertitur, vel ipsius delinquentis, dum, v. gr. ejus peccatum veniale valde dedecet hominem honestum, uti dedecet apertum mendacium; vel dum periculum est, ne ex veniali deveniat in mortale.

Quæres 5. *Quis sit modus faciendæ correptionis fraternæ?*

Resp. Debet fieri cum mansuetudine magna et humilitate, ita ut corripiens *intendat correptioni, parcat pudori,* ait Div. August. [1] juxta illud Apostol. [2]: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum ne et tu tenteris.* Unde, ut plurimum, admonitione utendum, potius quam correptione proprie dicta.

Quæres 6. *Quis ordo servandus sit in correptione fraterna?*

Resp. Sub gravi peccato, debet, *per se loquendo*, servari ordo a Christo præscriptus (Matth. xviii): *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum... Si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ*, id est Superiori.

Ratio est, quia hic ordo est præcepti *positivi* et *naturalis;* et quidem

1° Est præcepti *positivi*, quia Christus eodem modo præcepit correptionis substantiam et ordinem in ejus execu tione servandum, ut constat ex his verbis: *corripe, adhibe, dic,* quæ præceptiva sunt.

2° Est præcepti *naturalis*, prohibentis ne proximi fama sine necessitate lædatur. Unde si sufficiat secreta admonitio, non sunt adhibendi testes; si testis unus sufficit, non sunt adhibendi plures; si testes non sufficiunt, dete-

[1] Serm 82, alias 16, *de Verbis Domini.* — [2] Ad Gal. vi, 1.

rendum est peccatum ad Superiorem, ut illud pro sua auctoritate compescat.

Dixi *per se loquendo*: quatuor enim casus excipiuntur, in quibus, prætermisso ordine a Christo præscripto, peccatum proximi immediate deferendum est superiori.

1° Quando crimen est publicum : quia tunc cessat ratio servandi famam, cum delinquens per publicitatem criminis de eo sit jam infamatus.

2° Quando crimen, etsi occultum, vergit in grave aliorum detrimentum, sive spirituale, sive corporale. Ratio Div. Thomæ est, quia tunc *mora denuntiationis est periculosa, et ideo non oportet expectare admonitionem, sed statim procedere ad denuntiationem.* Timendum quippe est ne admonitus patriæ proditor, fur domesticus, pastor occulte disseminans errores contra fidem, aut in Confessione sollicitans ad turpia, secreta illa monitione potius cogitet crimen occultare cautius agendo quam emendare.

3° Quando prudenter judicatur non profuturam privatam monitionem, quia tunc eget correctione Superioris, ut patris, qui *potest magis prodesse quam alii*, ait Div. Thomas [1].

4° Quando proximus cessit juri suo ad propriam famam·nam *in arbitrio uniuscujusque est pati detrimentum suæ famæ*, ait Div. Thomas [2], *nisi id vergat in aliorum detrimentum.* Quomodo fit in Societate Jesu, in qua, lege perpetua statutum est, ut omnia peccata defectusque subditorum immediate ad Superiorem deferantur.

Porro, Superior vi notitiæ per simplicem denuntiationem sibi immediate factam, ut patri, non potest judicialiter procedere, quia delictum non fuit illi manifestatum ut judici ad puniendum, sed ut patri, ad subditum amore paterno corrigendum, et ideo caret fundamento juridice procedendi.

[1] In quæst. disputatis, quæst. *de Corrept. fraterna*, art. 2, ad 1. — [2] 2 2, quæst. 33, art. 8, ad 3.

Meminerint ergo Superiores, in iis quæ sibi delata sunt tanquam patribus, famæ delinquentis parcere quantum fieri potest, prudenterque in paterna correctione animadvertant ne delationes sibi factæ falsæ sint, vel ex aliqua inimicitia vel circumventione procedant; quod in secreto debent explorare, antequam denuntiato aliquid indicent; quia inde ordinarie turbationes, odia et contentiones excitantur, quæ postea extingui non possunt.

QUÆRES 7. *An sit obligatio corrigendi peccantem ex ignorantia invincibili?*

RESP. *Dist.* Correctio vel prævidetur profutura vel non. Si *prius*, correctio fieri debet, quia, licet transgressio sit materialis tantum, attamen tenemur illam impedire quantum fieri potest, etiam probabilius in jure positivo. Si *posterius*, id est si nulla affulgeat spes emendationis, regulariter loquendo, non est obligatio corrigendi, tum quia nemo tenetur ad inutile; tum quia peccatum ex materiali fieret mortale; tum quia *correctio fraterna*, cum sit eleemosyna spiritualis, nisi prosit indigenti, fieri non debet.

Dixi *regulariter loquendo*, quia excipitur casus quo proximus moriturus sit in mortali, si non corrigatur, tunc omnia tentanda sunt, si possit eripi ab æterna damnatione.

QUÆSTIO II.

DE CORPORALI ELEEMOSYNA.

Nota 1. Eleemosyna est *opus misericordiæ quo datur aliquid indigenti, ex compassione propter Deum.* Ideo

Nota 2. Indigentia seu necessitas proximi triplex est, nempe

Extrema, in qua de vita, vel mutilatione membrorum pauper periclitatur, nisi ei subveniatur.

Gravis, in qua indigens, nisi subveniatur, non potest

vitare grave malum, v. gr. captivitatem, gravem infamiam, amissionem status vel dignitatis, aliudve grave incommodum morte minus.

Communis, in qua pauperes ordinarii victitant quidem, sed non absque difficultate.

Nota 3. Bona alicui necessaria sunt triplicis generis, nempe

1° Bona necessaria *vitæ*, sine quibus homo non potest seipsum et suos alere.

2° Bona necessaria *status*, sine quibus non potest quis statum honestum, et ad christianæ modestiæ regulas exactum conservare.

3° Bona non necessaria, sed superflua vel *vitæ*, vel *statui*, vel *utrique*. His notatis;

QUÆRES 1. *Utrum detur præceptum faciendæ eleemosynæ?*

RESP. Datur et quidem naturale et divinum, obligans sub mortali.

PROB. Ex Matth. XXV, ubi damnationi æternæ addicuntur qui eleemosynam omisere: *Discedite a me maledicti in ignem æternum; esurivi enim et non dedistis mihi manducare*, etc.; et ex Div. Joan. [1]: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?* Ergo, si sine elargitione eleemosynæ non potest servari charitas, eleemosyna est graviter præcepta.

QUÆRES 2. *Quinam possint eleemosynam facere?*

RESP. Illi soli possunt eleemosynam erogare, qui liberam suorum bonorum administrationem habent; ratio est, quia per eleemosynæ elargitionem bona vere alienantur in favorem pauperum; atqui illi soli possunt bona alienare, qui liberam eorum administrationem habent: ergo, etc.

Porro, in dissertatione *de Justitia*, cap. *de Dominio*, ex-

[1] I Epist. III.

ponemus quinam habeant liberam bonorum suorum administrationem; illuc ergo remittimus lectores.

Quæres 3. *De quibus bonis eroganda sit eleemosyna?*

Resp. *generaliter*. Ex superfluis, juxta Christi præceptum [1]: *Quod superest date eleemosynam*: unde Div. Thom. ait: *Res quas aliqui superabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum sustentationi.* Verum cum sit varia pauperum necessitas, variumque divitum superfluum, ideo

Resp. *specialiter* 1. Pauperibus extremam necessitatem patientibus *ordinarie* subveniendum est ex bonis superfluis ad vitam, tametsi necessarii ad status decentiam.

Ratio est, quia charitas ordinata exigit ut vitam proximi plus diligamus quam decentiam status nostri, et huic illam præferamus: ergo exigit ut jacturam decentiæ status patiamur pro vita proximi servanda; et quomodo dives negare posset, quandoquidem in tali necessitate constitutus jure potest per violentiam, vel furtum accipere, quia, ut ait Div. Thom. [2]: *Quando alius est in statu extremæ necessitatis, efficiuntur ei omnia communia.*

Dixi *ordinarie*, quia si majus damnum æstimaretur te excidere tuo statu, quam mors pauperis, non teneris (Busemb. ex Azor).

Resp. 2. Pauperibus in gravi necessitate constitutis subveniendum est ex bonis ad integram status decentiam aliqualiter necessariis.

Prob. Quia quilibet tenetur amare proximum sicut seipsum, *non verbo, neque lingua, sed opere et veritate*, ait Div. Joan. [3], ideoque illi facere quod sibi rationabiliter vellet fieri in pari necessitate; sed qui non vult aliquid incommodi pati ut proximum suum a gravi malo liberet, eum non diligit sicut seipsum, nec illi facit quod sibi rationabiliter fieri vellet in pari necessitate, in qua certe rationabiliter vellet a malo valde gravi liberari, cum aliquo incom-

[1] I Joan. III, 17. — [2] In 4, dist. 15, quæst. 2, ad 2. — [3] I Joan. III, 18.

modo alterius longe minori, *qualis est,* ait P. Antoine, *diminutio aliqua decentiæ status, ut si quis de splendore convenienti, de ornatu vestium, de lautitia mensæ, de supellectili aliquid etiam notabile detrahat*, ergo, etc.

Resp. 3. Pauperibus, in communi tantum necessitate constitutis, subveniendum est ex superfluis status et conditionis.

Prob. Quia Apostol. [1] præcipit *divitibus hujus sæculi, ut facile retribuant;* atqui illud præceptum ad communes obviasque necessitates maxime extenditur; neque enim *facile* tribuit qui extremam vel gravem necessitatem, utpote satis raram, ad tribuendum expectat: ergo, etc.; et ipse Christus eos flammis addicit æternis, qui esurientes non pascunt, sitientes non potant, etc.; atqui pauperes *in communi necessitate* sitim et famem patiuntur: ergo. Quare Sancti Patres idem docent cum Div. Thoma [2] dicente: *Dominus omnia superflua pauperibus jubet exhiberi, juxta illud Lucæ* XI: *Quod superest, date eleemosynam.* Ex quo

Resolves 1. Divitem, qui superflua in notabili quantitate habens, omnes communes pauperes repelleret, vel ita modicum eis tribueret, habita ratione quantitatis superfluorum suorum, ut si alii pariter divites similiter facerent, communibus pauperibus sustentatio necessaria notabiliter deesset, peccati mortalis esset reus; ut bene notat Sylvius hic, post Cajetanum, Navarrum, et alios communissime, aut saltem in malo statu versaretur [3].

Resolves 2. Divitum Confessarios in maximo suæ salutis periculo versari, si absque discretione absolvant eos qui de superfluis suis pauperibus, etiam communem duntaxat necessitatem patientibus, nihil erogant; quia illi in vestium pompam, ædium magnificentiam, canum et equorum multitudinem, etc., absumunt ac devorant.

Porro, communiter docent auctores satisfacere proba-

[1] Ad Tim. VI, 17. — 2 2, quæst. 87, art. 1, ad 4. — [3] Ita S. Ligor., lib. III, num. 32.

biliter divites sæculares erogando in pauperes communes quinquagesimam partem suorum redituum, sed non in eadem proportione, si divitiæ multum excedant. Clerici vero beneficiati, si non adsint pauperes in gravi necessitati corporali vel spirituali constituti, tenentur erogare pauperibus, secundum illud quod requirit debitum virtutis charitatis, ex propriis reditibus superfluis beneficii, nisi possessiones emant, vel in thesauro reponant in futurum utilitati Ecclesiæ et necessitatibus pauperum [1].

Dices : Dives potest reservare superflua ad se evehendum in altiorem statum, ad quem aptus est : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Potest, si satisfecerit debito eleemosynæ, et subvenerit *occurrentibus* pauperum *necessitatibus, conc. ant.;* aliter, *nego ant*

Dixi *occurrentibus necessitatibus;* neque enim divites tenentur pauperum necessitates inquirere ut ipsis subveniant, nisi sint beneficiarii pastores, superflua sua pauperibus impendere ex gravi præcepto obligati.

Quæres 4. *An præcepto eleemosynæ satisfaceret, qui indigenti mutuum posthac reddendum daret?*

Resp. *negat. Si indigens sit absolute pauper.* Ratio est, quia non solum a Christo gratuitum præcipitur mutuum, sed propria eleemosyna; unde dicitur Lucæ xiv : *Cum facis convivium, voca pauperes; et beatus eris, quia non habent retribuere tibi.*

Dixi *si indigens sit absolute pauper;* quia si indigens habet alibi bona, vel spem certam et proximam habendi, ex fundo, v. gr. industria, successione, satisfacit præcepto charitatis, qui ei mutuat rem qua tunc indiget. Ratio est, quia tunc indiget tantum mutuo, vel commodato.

Quæres 5. *Quænam sunt qualitates eleemosynæ?*

Resp. 1° Eleemosyna debet esse *justa*, scilicet debet

[1] S. Ligor., lib. III, num. 32, et lib. IV, num. 491; item., S. Thom., 2 2, quæst. 185, art. 7, ad 4.

esse ex bonis propriis, non alienis, aut male partis, juxta illud [1] : *Honora Dominum de tua substantia.*

2° Debet esse *discreta,* scilicet debet dari veris pauperibus, non vero validis, ignavis et otiosis, juxta illud [2]: *Cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet.*

3° Debet esse *liberalis* et copiosa, juxta illud [3]: *Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat.* Quod probe agnoscens Tobias dicebat filio [4] : *Quomodo p tueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.*

4° Debet esse *prompta,* juxta illud [5] : *Ne dicas amico tuo : Vade et revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Nam, ex Div. August. [6], *non est perfecta eleemosyna, quæ precibus extorquetur.*

5. Debet esse *hilaris,* juxta illud [7] : *In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exultatione sanctifica decimas tuas.*

6. Debet esse *humilis,* juxta illud Christi [8] : *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt... amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

7. Debet esse *urbana,* et consequenter ab omni asperitatis et contemptus sensu aliena, juxta illud [9] : *Qui despicit pauperem, exprobrat factorem ejus.*

CAPUT V.

DE VITIIS CHARITATI OPPOSITIS.

Nota. Licet omnia peccata charitati opponantur, hoc sensu quod eam destruant, vel *formaliter* si sint mortalia, vel *dispositive* si sint venialia ; sunt tamen plurima quæ illi

[1] Prov. III, 9. — [2] II ad Thess. III. — [3] Luc. III, 11. — [4] Tobiæ, IV, 8. — [5] Prov. III, 28. — [6] Hom. XXXIX. — [7] Eccl. XXXV, 22. — [8] Matth. VI, 2. — [9] Prov. XVII, 15.

specialiter adversantur; hæc autem decem recensentur a Div. Thom.[1], scilicet *odium*, quod amori; *acedia*, quæ gaudio de bono Dei; *invidia*, quæ gaudio de bono proximi; *discordia*, *contentio*, *schisma*, *bellum injustum*, *rixa*, *seditio*, quæ paci charitatis; et tandem *scandalum*, quod correptioni fraternæ et beneficentiæ adversatur, cui tanquam corollarium additur *cooperatio peccatis alienis*.

Porro, cum de variis illis peccatis jam egerimus in tractatu *de Peccatis*, hic agendum restat 1° de odio Dei et proximi; 2° de bello; 3° de schismate; 4° de scandalo; 5° de cooperatione peccatis alienis, distinctis quæstionibus.

QUÆSTIO I.

DE ODIO DEI ET PROXIMI.

Quæres 1. *Quid sit odium?*

Resp. Est *actus mentis aliquod objectum aversantis*, eo quod vel malum sit, vel apprehendatur ut malum.

Quæres 2. *Quotuplex sit odium?*

Resp. Duplex, scilicet odium *abominationis*, et *inimicitiæ*.

Odium *abominationis* est *actus quo voluntas aliquid ut sibi incommodum aversatur*.

Odium *inimicitiæ* est *actus voluntatis quo alteri malum volumus, quatenus est ejus malum*.

Quæres 3. *Quale sit peccatum odium Dei?*

Resp. 1. Odium *inimicitiæ* erga Deum, est omnium peccatorum gravissimum, quia opponitur directe actui charitatis Dei, qui est actus omnium præstantissimus, et ideo nunquam ob levitatem materiæ potest excusari a mortale.

Hinc, gravissimum scelus est tristari de bono Dei, ut

[1] Quæst. 34, ad quæst. 44.

ejus bonum, vel gaudere de ejus offensa, quatenus est talis.

Resp. 2. Odium *abominationis* erga Deum est aliis peccatis ex suo genere mortalibus gravius. Ratio est, quia in peccato odii *abominationis* Dei voluntas *per se* avertitur a Deo; in aliis vero peccatis voluntas non avertitur a Deo *secundum se*, sed *secundum aliud*, in quantum, scilicet, appetit inordinatam delectationem, quæ habet annexam aversionem a Deo; atqui quod *per se* avertit a Deo, est gravius eo quod ab illo avertit tantum *secundum aliud*: ergo, etc.

Hinc, peccatum illius qui optaret ut Deus non esset, vel ut non esset justus aut omnipotens, ne eum puniret, vel posset punire de peccatis, gravius esset quolibet peccato contra virtutem aliam a charitate commisso.

Quæres 4. *Quale sit peccatum odium proximi?*

Resp. 1. Odium *inimicitiæ* erga proximum est peccatum mortale ex genere suo, quia directe opponitur charitati proximi; unde *omnis qui odit fratrem suum, homicida est*, ait Div. Joan.[1]; *et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.*

Dixi *ex genere suo*, quia potest esse veniale ex levitate materiæ; ut si, ex levi displicentia, personæ leve malum optetur.

Resp. 2. Odium *abominationis* erga proximum est peccatum, si habeat pro objecto personam proximi, quia tunc adversatur charitati; non vero est peccatum: 1° si habeat pro objecto *peccatum* proximi, ita ut odio habeatur peccator, non qua homo, sed qua peccator est, nam[2] *abominantur justi virum impium;* quia tale odium conjunctum est cum charitate, qua eidem volumus salutem et alia bona quibus indiget; 2° si habeat pro objecto *emendationem* peccatoris, quia tale odium procedit ex amore benevolentiæ erga Deum et ipsum peccatorem; sic licitum est

[1] III, 15. — [2] Prov. XXIX, 27.

desiderare affectu inefficaci ut peccator morbo afficiatur, ut inde peccare desinat et resipiscat. Sic licite gaudemus de justo hostium excidio, de Turcarum damnis, propter utilitatem regni, vel Ecclesiæ, etc.

Porro, in Confessione sufficit exprimere in genere gravitatem mali quod exoptatum est, ut dignoscatur an mortale sit aut veniale; quia exoptare proximo æternam damnationem, temporalem mortem, infamiam, etc., sunt actus eamdem habentes specificam deformitatem, quatenus ab uno eodemque odio sunt imperati.

QUÆSTIO II.

DE BELLO.

Quæres 1. *Quid sit bellum?*

Resp. Est *publica armorum contra extraneos assumptio, Reipublicæ tuendæ aut vindicandæ gratia.*

Dicitur 1° *publica assumptio,* id est, facta per supremam principis aut magistratus auctoritatem; quia qui subalternam habet auctoritatem, non potest bellum movere, sed debet in judicio superiori jus suum prosequi, nisi sit bellum defensivum, quo scilicet vis injusta repellitur.

Dicitur 2° *armorum*, ut distinguatur a pugnis quæ fiunt baculo, crinium avulsione, etc., quæ licet, ut plurimum, sint peccata gravia, non sunt tamen bella aut duella.

Dicitur 3° *contra extraneos*, ut distinguatur a seditione quæ fit inter homines ejusdem regni, vel communitatis perfectæ, invito principe; et quæ *bellum civile* vocatur.

Dicitur 4° *reipublicæ tuendæ aut vindicandæ gratia;* per quod exprimitur duplex bellum, scilicet:

Bellum *offensivum*, quo hostis *aggreditur*, compensationis obtinendæ aut injuriæ vindicandæ gratia.

Bellum *defensivum*, quo vis et injuria illata, vi et armis propulsatur.

Quæres 2. *An bellum licitum sit in Nova Lege?*

Negaverunt olim Manichæi, teste Augustino [1], et postea Lutherus, qui, licet suos armaverit contra Catholicos, voluit illicitum esse bellare contra Turcas. Contra quos

Resp. Bellum debitis conditionibus vestitum, esse licitum.

Prob. Ex Lucæ III, ubi Joannes Baptista, interrogatus a militibus quid sibi ad salutem esset agendum, non jussit ut militiam desererent, sed ne quemquam concuterent, et contenti essent stipendiis suis; in quem locum dicit August.: *Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare non prohibuit.*

Quæres 3. *Quænam requirantur ad justitiam belli?*

Resp. Præter *supremam auctoritatem*, duæ conditiones requiruntur.

Prima est *causa certe justa*, quæ duntaxat esse potest gravissima injuria sive principi, sive subditis, sive confœderatis, sive etiam fidei et Religioni irrogata, quam tollere, vel pro ea satisfacere, pars adversa recuset. Nam charitas et justitia exigunt, ut sine gravissima et necessaria causa, non inferantur damna bellum necessario concomitantia.

Dixi *certe justa*, de quo certiori debet princeps sequentibus modis: 1° curando habere non tantum peritos, sed etiam bonos consiliarios; 2° adhibendo diversos Theologos quorum ope justitiam belli secundum leges Evangelicas examinare valeat; 3° pro se quoque lumen a Deo suppliciter postulando. Quibus adhibitis mediis, si justitia manet tamen æqualiter dubia, et alter sit in possessione, non licet ei bellum indicere, non solum quia tum melior est conditio possidentis, sed etiam ex eo quod, attentis damnis bellum necessario comitantibus, practice loquendo, vix bellum unquam justum videri potest, quod non ex certis, sed solis probabilibus rationibus infertur.

[1] Lib. XXII, *contra Faustum*, cap. 73.

Secunda est *recta intentio,* ita ut bellum non fiat ex odio, sed ex zelo justitiæ; non ex inordinata regni amplificandi cupiditate, sed ex voluntate favendi bono communi, qua intentione deficiente, si justa causa adsit, bellum non est injustum, sed illicitum, charitati solum adversans. Dicit enim Augustinus[1]: *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si quæ sunt similia, hæc sunt quæ in belli jure culpantur.*

Quæres 4. *An bellum utrinque justum esse possit?*

Resp. Potest esse justum *formaliter*, non autem *materialiter.*

Prob. prima pars. Illud bellum est ex utraque parte justum *formaliter*, quod movetur sine justa causa, quæ tamen prudenter æstimatur justa; atqui potest moveri bellum sine justa causa, quæ prudenter et bona fide æstimetur justa ergo, etc.

Prob. secunda pars. Illud bellum est ex utraque parte justum *materialiter*, quod movetur propter causam, quæ a parte rei est utrinque justa; atqui nulla causa potest a parte rei esse utrinque justa; quia impossibile est, ut res propter quam movetur bellum, sit simul utriusque: ergo, etc. Hinc,

Resolves 1. Bellum vicino Principi indictum ne potentior fiat, esse injustum *materialiter;* cum enim alienum non possideat, nec cuiquam injuriam faciat, nulla est justa causa ipsi bellum inferendi; atqui sine justa causa bellum inferre malum est: ergo, etc.

Nec dicas cum pseudo-politico Machiavello, justa est causa timor ne principis vicini nimium excrescens potentia, Statui sit periculosa.

Resp. Enim cum Apostolo: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona;* atqui malum est innoxie possidentem tur-

[1] Lib. xxii *contra Faustum*, cap. 73.

bare per bella secum trahentia tot mala, humano generi tam periculosa, ergo etc.

Resolves 2. Licet tamen vicino Principi bellum indicere, ne per injustam invasionem alterius regni vel provinciæ potentior fiat, si monitionibus obtemperare recuset.

Resolves 3. Bellum vicino Principi indictum, quia timor est ne ipse, rupto fœdere, bellum indicat, esse injustum *materialiter*, quia ille timor non est justa belli causa, quandiu alter nullam injuriam facit; nam innocens bello impeti non potest.

Resolves 4. Milites subditi regis bellum dubie justum inferentis debellare possunt, imo tenentur, tum quia debent obedire ubi peccatum non est certum; tum quia præsumptio stat pro superiore. Secus dicendum de non subditis, qui nequeunt militare, nisi prius certi sint de justitia belli [1].

Quæres 5. *An Princeps Catholicus possit turmas auxiliares præbere infidelibus, vel Hæreticis habentibus justam causam bellandi?*

Resp. Potest, modo absit periculum incrementi hæreseos, vel detrimenti veræ Religionis; nam, per se loquendo, licet alium in re justa juvare.

Dixi *modo absit periculum incrementi hæreseos*, etc. Quia in ordine rerum certum est honorem Dei, bonumque Religionis et Ecclesiæ (utpote præstantius) bono Status politici præferendum esse.

Nec dicas Regem Catholicum non esse causam illorum malorum, nisi per accidens, et præter intentionem.

Resp. Enim quod sit illorum causa per se, illaque intendat saltem indirecte dum sine causa tantis malis præponderante, Hæreticos introducit in civitates Catholicas a quibus Catholicæ Religionis exercitium exterminant, eo fere modo quo ille per se causa est occisionis innocentis

[1] S. Ligor., lib. IV, num. 407.

in suo cubiculo latitantis, qui in illud sicarium armatum immittit, a quo occiditur; porro, cum vix possibile sit ut præfata damna non eveniant, responsio ad quæsitum licet speculative vera, vix in praxi est reducenda.

QUÆRES 6. *An peccent qui per vim aut dolum aliquem militiæ inscribunt?*

RESP. Peccant graviter contra justitiam, tum erga sic *coactum,* quia illi injuste durum Martis onus imponunt, eumque privant majori parte libertatis suæ, quo bono nullum homini præstantius concessum est; tum erga *parentes,* quos magno interdum privant solatio ac subsidio. Hinc,

RESOLVES : Tales plagiarios teneri ad restitutionem totius damni quod patitur ille qui fuit vi vel dolo militiæ inscriptus, seu parentes ejus, uxor, liberi, creditores, etc., quia sunt illius causa injusta.

QUÆRES 7. *An repræsaliæ sint licitæ?*

RESP. *affirm.* Modo adsint sequentes conditiones:

Prima, ut constet de injuria illata, et denegatione satisfactionis debitæ a Principe lædente.

Secunda, ut fiant expressa Principis auctoritate, ne alioqui repræsaliæ nimis facile fiant.

Tertia, ut non fiant in Clericos, seu personas Ecclesiasticas, vel earum bona. Id enim Gregorius X, cum Concilio generali Lugdunensi sub pœna excommunicationis prohibet [1].

APPENDIX

De Duello.

QUÆRES 1. *Quid sit duellum?*

RESP. Est *periculosum certamen duorum vel paucorum, ex condicto ad certum locum et tempus initum.*

[1] Cap. unico *de Injuriis*, in 6.

QUÆRES 2. *An duellum sit illicitum?*

RESP. 1. Duellum privata auctoritate initum, *etiam ad vitandam infamiam*, est peccatum mortale : unde illud nec offerre licitum est, nec oblatum acceptare.

PROB. Quia nefas est quemquam occidere privata auctoritate, cum solus Deus habeat dominium vitæ et necis : ergo duellum auctoritate privata initum est grave peccatum ; quare Concil. Trident. [1] ait : *Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus est, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur.*

Confirmatur. Quia duellum graviter et sub gravissimis pœnis prohibetur jure tum ecclesiastico [2], tum civili, Principum nempe edictis [3].

RESP. 2. Duellum auctoritate publica est solum licitum, dum inducitur ad bellum atrox brevius finiendum.

PROB. Quia sicut in bello justo, ob bonum commune auctoritate Principis licita est pugna inter multos, ita et inter paucos ; sic David auctoritate Saulis singularem puguam iniit contra Goliath.

Dixi *etiam ad vitandam infamiam*, ex propositione 2, ab Alexandro VII damnata, quæ dicebat : *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam alios incurrat* [4].

[1] Sess. 24, cap. 19. — [2] C. 1 *de Tormentis*, cap. 1, *de Purgat. vulgari.* — [3] Edictis Ludovici IX, Henrici IV et Ludovici XIV.

[4] *Nota* hic quinque propositiones a Bened. XIV in Bulla quæ incipit *Detestabilem* damnatas.

I^a *Vir militaris qui, nisi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, ideoque officio quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ, spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.*

II^a *Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humane vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

III^a *Non incurrit ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas, dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ vel officii.*

IV^a *Licitum est in statu hominis naturali acceptare vel offerre duellum ad*

Quæres 3. *Quasnam pœnas Concilium Tridentinum decernat contra duellantes?*

Resp. Excommunicat 1° omnes Principes ac dominos temporales, qui locum ad duellum in terris suis concesserint; 2° omnes suadentes, necnon spectatores ex industria; 3° ipsos pugnantes et eorum patrinos cum proscriptione bonorum, perpetua infamia, et pœnis homicidarum, et si in conflictu decesserint, privatione sepulturæ ecclesiasticæ.

Clemens VIII [1] hanc excommunicationem Papæ reservavit, eamque cum aliis pœnis supradictis extendit ad omnes quocumque modo ad duellum vel immediate vel mediate tantum cooperantes, etiamsi pugna non fuerit secuta.

QUÆSTIO III.

DE SCHISMATE.

Quæres 1. *Quid sit schisma?*

Resp. Est *voluntaria separatio baptizati ab unitate Ecclesiæ*, capitis scilicet, aut membrorum capiti subjectorum.

Hinc, schismaticus est, non tantum qui se separat a Summo Pontifice, ita ut ipsi tanquam Ecclesiæ capiti subesse nolit, sed etiam qui Ecclesiæ membris se retrahit in religionis cultu, oratione, Sacramentis, etc.

Quæres 2. *Quotuplex sit schisma?*

Resp. *Duplex*, scilicet *purum*, et *conjunctum hæresi.*

servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.

Vn *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinato, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur.*

Unde patet nullo in casu, nullam ob causam duellum privatum aut offerre aut acceptare licitum esse.

[1] Const. *Illius vices*, data anno 1592.

Schisma *purum* est illud quo quis, totam Ecclesiæ Romanæ fidem conservans, separat se vel a capite, vel a membris ejusdem.

Schisma *conjunctum hæresi* est illud quod importat dissensum in ipsa fide ; tale est Schisma Græcorum, qui se separant a Summo Pontifice, quia primatum illius negant.

Hinc, omnes Hæretici sunt Schismatici, sed non omnes Schismatici sunt Hæretici.

QUÆRES 3. *Quale sit peccatum schisma?*

RESP. Est *peccatum speciale*, inquit Div. Thom. [1], *ex eo quod intendit se ab unitate separare, quam Christus facit; quæ non solum alterum alteri unit spirituali dilectionis vinculo, sed etiam totam Ecclesiam in unitate Spiritus.*

RESP. 2. Est peccatum gravissimum, quia lædit præclarissimum quoddam bonum commune, scilicet unitatem Ecclesiæ ; unde Div. August. [2] ait : *Quisquis ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus... non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

QUÆRES 4. *Quænam sint schismaticorum pœnæ?*

RESP. 1. Excommunicantur tum in Bulla *Cœnæ*, tum in cap. *Nulli*, dist. 19.

2. Inhabiles sunt ad suscipienda Beneficia donec abjurato schismate, cum eis fuerit dispensatum [3].

3. Nec Beneficia valide conferunt, nec licitam dant ordinum executionem ; unde ab iis scienter ordinati, ab eorumdem ordinum exercitio sunt suspensi [4].

Communis tamen sententia docet contra Panormitanum, hasce pœnas non incurri a schismaticis puris ante condemnationem ; quia omnia jura easdem pœnas continentia, loquuntur de schismaticis simul hæreticis.

[1] 2 2, quæst. 39, art. 15. — [2] Epist. 152. — [3] Cap. v *de Electione.* — [4] Cap. I et II *de Schismat.*

QUÆSTIO IV.

DE SCANDALO.

Nota. Ut in hac matiera cum ordine procedamus, investigabimus: 1° quid sit scandalum, quotuplex, et quale peccatum; 2° an et quænam opera teneamur omittere ad vitandum scandalum; 3° an liceat em rvendere aut operam dare ei qui eis male usurus prævidetur.

ARTICULUS I.

QUID SIT SCANDALUM, QUOTUPLEX ET QUALE PECCATUM.

QUÆ ES 1. *Quid sit scandalum?*

RESP. Definitur a Div. Thom. [1]: *Dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis.*

Dicitur 1° *dictum vel factum*, per quod intelligitur etiam *omissio dicti vel facti*, præbens similiter proximo occasionem ruinæ spiritualis.

Dicitur 2° iterum *dictum;* sub quo nomine comprehenduntur non solum verba, v. gr. cantilenæ, colloquia impudica, verba contumeliosa, contemptiva, seu quocumque modo irritativa, sed etiam scripta, v. gr. propositiones et doctrinæ quas Ecclesia velut scandalosas damnat; libri fabulosi, vulgo *Romans*, qui libidinem vel alios vitiosos affectus legentibus inspirant, et hodie tam mulierum quam virorum, præsertim juvenum nobiliumque manibus tam frequenter teruntur.

Dicitur 3° *factum;* quæ vox complectitur omnes actiones, quæ vel ex expressa, vel ex interpretativa agentis intentione, proximo dant occasionem ruinæ spiritualis.

Dicitur 4° *minus rectum*, id est, quod vel de se malum

[1] 2 2, quæst. 43, art. 1, *in corp.*

est, vel mali speciem habet, ut si quis justa de causa, coram aliis eam ignorantibus, comedat carnes die vetito.

Dicitur 5° *præbens occasionem ruinæ spiritualis*, quia ad rationem scandali, necesse non est ut ruina sequatur, sed sufficit ut occasio ruinæ præbeatur.

QUÆRES 2. *Quotuplex sit scandalum?*

RESP. Scandalum dividitur in *activum* seu *datum*, quod mox definivimus; et *passivum* seu *acceptum*.

1° Scandalum *passivum* est ruina spiritualis, seu peccatum proximi, cujus occasio fuit scandalum datum.

2° Scandalum *activum* dividitur in *formale* seu *directum*, et *interpretativum* seu *indirectum*.

Scandalum *directum* est dictum vel factum quo quis expresse intendit proximum inducere ad peccatum, ut cum quis puellam sollicitat ad crimen.

Scandalum *indirectum* est illud quo quis, licet non intendat expresse proximum ad peccatum inducere, nonnulla dicit vel facit quæ aliis sunt occasio peccandi.

3° Scandalum *passivum* dividitur in *pharisaicum*, et *pusillorum*, seu infirmorum.

Scandalum *pharisaicum* est ruina spiritualis, propria malitia, ex dicto vel facto alterius recto accepta; sic dicitur a Pharisæis, qui, propria malitia, ex Christi dictis et factis rectissimis accipiebant occasionem peccandi.

Scandalum *pusillorum* est ruina spiritualis, ignorantia et infirmitate proximi, accepta ex dicto vel facto alterius recto, vel indifferenti.

QUÆRES 3. *An scandalum sit peccatum, et quale?*

Certum est apud omnes: 1° scandalum passivum, verum esse peccatum, cum sit lapsus illius qui patitur scandalum; non est tamen peccatum speciale et distinctum a lapsu; unde qui confitetur peccatum, non tenetur declarare illud fuisse ex dicto vel facto alterius occasionatum.

Certum est 2° scandalum activum directum esse peccatum mortale ex genere suo, et quidem gravissimum et

speciale; cum voluntas expressa proximum impellendi in peccatum, malitia sit prorsus diabolica.

Quæstio igitur solummodo est de scandalo dato indirecte, de quo *triplex* est sententia: nam alii dicunt quod cum directe intenditur ruina spiritualis proximi, peccatur contra charitatem et contra virtutem quæ lædítur a proximo in scandalum inducto; alias tantummodo peccatur contra illam virtutem, non vero contra charitatem. Alii dicunt quod scandalum directum est contra charitatem et contra virtutem, scandalum autem indirectum est tantum contra virtutem, etsi prævideatur proximi peccatum, modo non intendatur. Alii tandem cum Div. Thoma docent quod scandalum tam indirecte quam directe datum, est peccatum contra charitatem et contra aliam virtutem. Cum quibus,

Resp. Scandalum indirecte datum est peccatum mortale ex genere suo, distinctum a mala actione, quæ occasionem ruinæ spiritualis præbet.

Prob. 1. Ad peccatum in quocumque genere sufficit intentio actualis in causa, et virtualis in effectu; atqui in scandalo indirecte dato reperitur intentio virtualis inducendi proximum in peccatum: nam intentionem virtualem habet inducendi proximum in peccatum, qui prævidet, aut prævidere potest et debet proximum ex dicto vel facto suo minus recto, expositum iri periculo ruinæ spiritualis; atqui quilibet prævidet aut prævidere debet ex dicto vel facto suo minus recto, proximum expositum iri periculo ruinæ spiritualis: ergo, etc.

Prob. 2. Scandalum est peccatum contra charitatem et contra virtutem ad quam lædendum proximum, etsi indirecte, inducit: ergo, etc.

Prob. ant. per partes.

Prob. prima pars. Charitas obligat ad proximum corrigendum, et impediendum, cum possumus, ne ruat in peccatum: ergo multo magis obligat ad eum non impellendum in peccatum consilio et exemplo: ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Quælibet virtus prohibet non solum actus contrarios, sed etiam omnem causam inductivam ad illos; atqui scandalum indirectum est causa moralis æquivalens causæ directe inductivæ, cum sine ea proximus non peccaret: ergo scandalum est peccatum contra virtutem ad quam lædendam, licet indirecte, inducit: ergo, etc. [1].

Confirmatur, ex Apost. [2] dicente: *Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Ubi ut grave peccatum reprehenditur scandalum, quo fideles plene instructi carnes idolo immolatas comedebant coram infirmis, falso putantibus id esse illicitum, qui inde præter intentionem comedentium induci poterant ad eas contra conscientiam erroneam comedendas; atqui illud scandalum erat indirectum: ergo, etc.

Dixi 1° scandalum indirectum esse mortale *ex genere suo*, quia aliquando est veniale, cum nempe est occasio culpæ solum venialis.

Dixi 2° *esse peccatum distinctum a mala actione*, quia repugnat specialiter charitati, qua malum proximi avertere, et bonum ejus procurare tenemur. Unde circumstantia scandali speciem peccati mutat, et est in confessione explicanda. Hinc,

RESOLVES 1. Peccant mortaliter contra charitatem et castitatem: 1° qui imagines vel statuas nudas faciunt, aut palam exponunt; 2° qui componunt vel agunt comœdias obscœnas, vel aliunde periculosas ratione verborum, factorum, vel gestuum; item, qui sua præsentia eas approbant, vel, comœdiis stipendium dando, actioni scandalosæ cooperantur; 3° vanissimæ illæ feminæ, quæ illecebrosa pectoris nuditate juvenum animos ad libidinem excitant, tametsi id expresse non intendant; 4° puella quæ sine justa causa se præbet conspiciendam ei a quo putat se

[1] Ligor. ex S. Thom., lib. III, num. 45. — [2] I Cor. VIII, 12.

turpiter concupiscendam, licet id faciat ex mera vanitate, et sine animo illius amorem excitandi.

Resolves 2. Numerus illorum qui scandalo spiritualiter occisi sunt, in confessione aperiendus est, non secus ac numerus eorum qui uno catapultæ ictu corporaliter occisi fuissent; quia, ut alibi dictum est [1], numerus multiplicat peccatum, verum circumstantia sollicitationis probabilius est tantum aggravans in confessione non necessario explicanda, ut tenet S. Ligor. ex Lugone et aliis [2] contra Salmant. et alios.

ARTICULUS II.

AN ET QUÆNAM OPERA TENEAMUR OMITTERE AD VITANDUM SCANDALUM.

CONCLUSIO I.

Ad vitandum scandalum passivum nihil unquam contrarium juri naturali facere licet, vel omittere aliquid quod necessarium sit necessitate medii ad salutem.

Prob. prima pars. Nunquam licet propter quodcumque bonum facere actionem intrinsece malam, juxta illud Apostoli [3]: *Non sunt facienda mala ut eveniant bona.* Sed quod est vetitum jure naturali est intrinsece malum: ergo.

Prob. secunda pars. Ratione Div. Thom. [4]: *Secundum ordinem charitatis, plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quam alterius;* ergo *ea quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum.*

[1] In tract. *de Peccatis*, ubi *de Distinct. num. peccatorum.* — [2] S. Ligor., lib. III, num. 46. — [3] Rom. III, 8. — [4] 2 2, quæst. 13. art. 7, *in corp.*

CONCLUSIO II.

Ad vitandum scandalum pharisaicum nulla bona seu temporalia, seu spiritualia sunt dimittenda.

PROB. *prop.* Quæ tota est Div. Thom.[1]: nulla bona sunt omittenda propter illud scandalum quod Christus docuit esse contemnendum ; atqui Christus docuit scandalum pharisaicum esse contemnendum ; cum enim discipuli dixissent Christo [2] : *Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati sunt?* respondit : *Sinite illos, cæci sunt ;* id est, ne habeatis rationem eorum scandali, quia oritur ex malitia eos excæcante.

CONCLUSIO III.

Ad vitandum scandalum infirmorum debet actio indifferens dimitti ; imo opera spiritualia consilii debent vel omitti, vel differri, donec tollatur occasio scandali.

PROB. PRIMA PARS. Ex Apost. [3] qui de seipso dicit : *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

PROB. SECUNDA PARS. Quia lex charitatis exigit ut fratri in necessitate spirituali constituto subveniamus, cum sine nostro gravi incommodo possumus ; atqui proximus ex infirmitate vel ignorantia lapsurus, est in necessitate spirituali, atque illi in tali necessitate constituto, sine gravi nostro incommodo, subvenire possumus, cum opera consilii non sint necessaria ad salutem, et illa differendo, vel etiam omittendo ad impediendum peccatum proximi, exerceamus actum charitatis magis meritorium, quam forent ipsa opera quæ omittuntur : ergo, etc.

Dixi *donec tollatur occasio scandali :* hæc autem tollitur,

[1] Quæst. 43, art. 7 et 8. — [2] Matth. XV. — [3] Cor. VIII, 13.

cum redditur actionis nostræ ratio : *Si autem*, ait Div. Thom. [1], *post redditam rationem, hujusmodi scandalum duret, jam videtur ex malitia esse ; et sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia bona dimittenda.* Sed

Quæres 1. *An ad vitandum scandalum infirmorum, quis possit omittere actionem bonam præceptam?*

Resp. Alii negant cum Vasquez et aliis referentibus Div. Antonin., Sylvestrum, Paludanum, Navarrum; alii, cum *Bannez, Suarez, Merbesio, Tannero, et aliis communiter*, probabilius affirmant observationem præcepti affirmativi, sive naturalis, sive positivi, pro vitando scandalo pusillorum, esse prætermittendam; cum quibus

Prob. Omnia præcepta affirmativa deserviunt charitati: ergo non obligant in circumstantiis in quibus charitas dictat omittendam hic et nunc eorum observantiam, ut succurratur spirituali proximorum necessitati; sicut non obligant dum charitas dictat omittendam eorum observantiam, ut succurratur gravi necessitati corporali propriæ vel alienæ.

Sic, correctio fraterna est de jure naturæ affirmativo; tamen secundum omnes prætermittenda est, cum proximus creditur inde pejor futurus.

Sic, integritas Confessionis est de jure divino positivo ; si tamen mulier sciret Confessarium ex infirmitate lapsurum casu quo manifestaret ipsi certum luxuriæ peccatum, deberet illud omittere, cæteris confessis, si alterius Confessarii copiam non haberet.

Sic, auditio Sacri die festo est de jure ecclesiastico ; est tamen omittenda, casu quo tempore Missæ infirmus nostra assistentia indigeret. Et sic de aliis.

Resolves 1. Cum *Ethica amoris* [2] cum communi contra plures *probabiliter* negantes mulierem quæ prævidet se turpiter concupiscendam si eat ad Sacrum tali die festo, debere illud omittere, saltem semel et iterum; nunquam

[1] 2 2, quæst. 43, art 7. — [2] Tom. II, lib. v, cap. 46, num. 483.

tamen potest longo tempore abesse a Sacro ad vitandum scandalum, quia non potest abesse longo tempore, 1° sine scandalo publico quod præponderat privato ; 2° sine notabili quodam damno spirituali, quod non tenetur subire ad impediendam ruinam alterius, qui licet ex infirmitate cadat, cadit tamen voluntarie.

Resolves 2. Ad vitandum scandalum propinquorum, si illorum consensus brevi speretur, debet differri ingressus in Religionem ; non debes tamen differre exercitium Apostolatus, quia *verus minister altaris, non sibi*, nec suis, *sed Deo natus est*, inquit S. Ambrosius.

Quæres 2. *An bona temporalia sint dimittenda ad scandalum vitandum infirmorum ?*

Resp. *Dist.* Vel bona sunt *propria*, vel *non propria*, sed aliorum, quorum nos sumus administratores.

Si bona sunt *propria*, alii dicunt vel totaliter esse dimittenda, cum melior sit anima quam divitiæ multæ, vel per instructionem proximi scandalum esse tollendum, ita ut, facta monitione de veritate justitiæ, evadat pharisaicum. Alii vero probabilius absolute negant si agatur de bonis magni momenti, quia charitas non obligat cum tanto incommodo. Hinc, non teneris solvere plus æquo operario vel rhedario, licet prævideas illum secus esse blasphematurum : incommodum enim illud, licet leve in se, sæpius occurrere potest, et sic grave in complexu fit ; quinimo ad blasphemandum incitamento sæpius id esset. Ita P. Gury.

Si vero bona *non* sint *propria*, tum ea dimittere non possumus, cum nostra non sint. Excipe tamen bona Ecclesiæ, quorum si dissensione ingravesceret scandalum in populo, nec reddita ratione sedari posset, prælatus melius faceret, inquit Billuart, ex S. Antonino et aliis, si consensum Ecclesiæ procuret ut debitum condonetur, quam si exigat.

Quæres 3. *An liceat suadere minus malum alicui ad majus determinato ?*

Resp. Alii absolute *negant*, quia semper malum est malum consulere.

Alii *affirmant*, si minus malum contineatur aliquo modo in majori, ut percussio loco occisionis; secus pariter negant.

Alii *probabilius* absolute docent licitum esse *in ordine ad eamdem personam.*

Prob. 1. Illud est licitum quod ex nulla parte est malum; atqui suadere minus malum alicui ad majus determinato nulla ex parte malum est: ergo, etc.

Prob. min. Illud consilium nulla ex parte est malum, quod tantum est impeditivum majoris mali; atqui suadere minus malum alicui ad majus determinato est consilium tantum impeditivum majoris mali: ergo. Nam impedit ne majus malum innocens patiatur, impedit ne malefactor majus malum inferat, impedit ne gravior offensa Deo irrogetur, et consulens non quærit malum, sed bonum, scilicet electionem minoris mali: ergo consilium est tantum impeditivum majoris mali: ergo ex nulla parte est malum. Ita Cajetanus, Molina, Navarrus, Salmant., Sanchez et S. Ligor. [1], cum communi.

Prob. 2. Ex S. Augustino, qui dicit: *Si factum est quod non licet, jam faciat adulterium et non homicidium.* Item S. Thom. [2] ad rem: *Licet ei qui incidit in latrones manifestare bona quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc quod non occidatur.*

Dixi *in ordine ad eamdem personam;* certum est enim quod non liceat suadere volenti facere malum alicui ut faciat alteri, licet minus; tunc enim suadens esset directa, sola et tota causa damni illius tertii. Excipe casum quo iste teneretur ad tale damnum sufferendum ex aliqua speciali causa, v. gr. charitatis.

Quæres 4. *An liceat occasionem peccandi proximo per-*

[1] Lib. III, num. 57; lib. IV, num. 565; lib. VI, num. 77. — [2] 2 2, quæst. 98, art. 4.

mittere ut reus corrigatur, aut eam præbere ut ejus fidelitas probetur.

RESP. AD PRIMUM. *Affirmative* cum S. Ligorio[1], ex Div. Thoma[2], Contin. Tournelly, Antoine et communi. Ratio, quia tunc non est inductio, seu non cooperatur positive peccato, et permissioni unius peccati, ut vitentur plura, est justa causa non auferendi talem occasionem.

RESOLVES. 1° Licet parentibus aut hero permittere filios aut famulos peccare, non auferendo occasionem, v. gr. furandi, ut eos corrigendi occasionem inveniant, aut in furto deprehensos famulos ejiciant. 2° Licite custodes agrorum, vinearum, etc., se abscondunt ut damnificantes capiant, et puniendo ab aliis damnis avertant. 3° Licite vir uxorem suspectam habens ei insidiatur, ut in crimine deprehensa contra ipsam procedat.

RESP. AD SECUNDUM. *Affirmative* probabiliter, contra Sa, Bonacinam, Sanchez et alios. Ratio, quia tunc non est vera inductio alterius ad peccatum, quod esset intrinsece malum, sed actus ponitur indifferens cum ratione sufficienti, ut scilicet te serves indemnem a periculo damni eventuri, quod quidem non est per se malum, alioquin nunquam liceret petere juramentum ab infideli, vel mutuum ab usurario, quod est contra communem sententiam.

QUÆSTIO V.

DE COOPERATIONE.

QUÆRES 1. *Quid est cooperatio?*

RESP. 1. Cooperatio in genere est, *concursus cum alio principaliter agente.* Prout autem charitati adversatur, definitur: *Participatio quædam ad actionem pravam alterius.*

Dicitur *participatio quædam*, eo quod actio nostra debet de actione alterius aliquam partem habere.

[1] Lib. III, num. 38. — [2] 2 2, quæst. 78, art. 4.

Dicitur *ad pravam actionem*, quia si actio proximi esset bona, concursus noster non esset contra, sed juxta charitatem proximi.

Quæres 2. *Quotuplex est cooperatio?*

Resp. Cooperatio est *immediata* vel *mediata*, *proxima* vel *remota*, *positiva* vel *negativa*, *formalis* vel *materialis directa* vel *indirecta*, *physica* vel *moralis*.

Cooperatio est *immediata*, cum actio nostra conjungitur cum actu peccaminoso alterius, quin opus sit ut tertius agens, vel actio tertia interponatur, v. gr. si quis furatur cum fure, vel occidat simul cum homicida. Unde tunc concursus est ita simultaneus cum primo agente, ut evadat una eademque actio communis. Est *mediata*, cum proximus actionem suam conjungit ad actionem peccaminosam alterius relationem aliquam habens, mediante tertio agente vel tertia actione, ut applicare scalam ad murum ut fur ascendat ad furandum, præbere gladium alicui vel onerare catapultam ad alium occidendum.

Proxima vel *remota*, prout actio cooperantis propius vel remotius ad pravam alterius actionem refertur, v. gr. proximius est furto aperire capsam quam tradere claves; claves tradere quam applicare scalam.

Positiva vel *negativa*, prout actio nostra *positive* vel *negative* influit in peccatum alterius, v. gr. si jubeas, adjuves, palpes, vel influis in voluntatem peccantis, illum reddendo audaciorem, securiorem, tunc influis positive; si omittas actum debitum, ut v. gr. si non serves terga latroni, aut sicario, ut securius furetur, occidat, aut non obstes cum obstare debes, negativa dicitur cooperatio.

Formalis vel *materialis*, prout actio cooperantis est cum cognitione et volitione morali, vel non. Quando cooperatio est tantum *materialis*, tum non est actio tua quæ conjungitur pravæ voluntati proximi, sed ille conjungit suam pravam voluntatem actioni tuæ, ut patet.

Directa vel *indirecta*, prout actus pravus alterius est in

nostro *directe* volitus, v. gr. si Paulo vendis gladium ut Petrum confodiat; vel *indirecte*, seu in alio tantum est volitus, ut effectus in causa, vel ut aliquid cum eo connexum; puta, si vendas gladium propter lucrum, licet prævideas eo Paulum abusurum.

Physica vel *moralis*, prout cooperamur agendo physice, vel aliam causam liberam, v. gr. jubendo, consulendo, etc., ad agendum determinamus.

Nota 1. Cooperatio fit præcipue novem modis, sequentibus versiculis expressis:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans,

ut explicatur in tract. *de Justitia.*

Nota 2. Ad licite cooperandum actionibus peccaminosis aliorum, quatuor requiruntur conditiones, scilicet: *prima*, ut cooperatio sit tantum *materialis*, non autem formalis; *secunda*, ut actus sit de se bonus, vel saltem indifferens; *tertia*, ut malus effectus per bonum compensetur; *quarta*, ut bonus ille effectus immediate a causa procedat, vel, aliis verbis, ut sit *causa justa simul et proportionata.* Porro, ut causa sit proportionata attendendum est tum ad gradum influxus actionis nostræ in actionem pravam alterius, tum ad gravitatem malitiæ peccati proximi; (nam quo proximius concurrere debemus ad actum peccaminosum, et quo istud peccatum est gravius vel quo probabilior est effectus secuturus, eo major debet esse causa propter quam concurrimus); tum ad jus quod habes ad tale opus, quæ maxime pendent ab æstimatione et judicio prudentum. Sed ut hæc omnia manifestius pateant, sit

CONCLUSIO I.

Nunquam licet peccato alterius formaliter cooperari.

Prob. Qui peccato alterius formaliter cooperatur, vult quod est intrinsece malum; atqui nunquam licitum est velle quod est intrinsece malum: ergo, etc.

Prob. min. Qui peccato alterius formaliter cooperatur, vult, saltem implicite, peccatum formale proximi, cum influat in actionem malam, quatenus malam; ut est ille qui alterum juvat ad aliquem injuste jugulandum, ad luxuriandum, etc.; vel ille qui directe influit in pravam voluntatem alterius, illum reddendo securiorem, audaciorem, aptiorem ad malum patrandum; atqui in his et similibus voluntas cooperantis conjungitur voluntati peccantis: ergo, etc.

CONCLUSIO II

Nunquam licet petere quod sine peccato concedi non potest.

Prob. Quia conditiones petentis et erogantis sunt correlativæ; igitur, ubi non licet erogare, non licet pariter postulare. Præterea, qui petit quod sine peccato concedi nequit, revera petit ut alter peccet, quod est intrinsece malum. Hinc, nunquam licet petere ab aliquo ut violet obligationem suam, ut faciat aliquid contra officium suum, v. gr. a notario ut conficiat instrumentum falsum, etc.

CONCLUSIO III.

Nunquam licitum est vendere vel dare alteri rem aut operam de se licitam qua male usurus certe prævidetur, quando sine damno proportionato denegari potest.

Prob. Quia quisque tenetur ex charitate impedire peccatum proximi, saltem cum potest sine gravi incommodo: ergo a fortiori tenetur non suppeditare materiam aut ope-

ram qua usurus est ad peccatum, nam charitatis est amovere malum proximi.

Dixi *certe prævidetur male usurus*, quia malum non est præsumendum, nec inquisitio de eo est instituenda.

Non peccat vero si non possit denegare absque damno proportionato, quia nemo tenetur cum tali damno impedire malum proximi; maxime cum ille posset non peccare, si vellet. Hinc, tibi licitum est, si pecunia indigeas, ab usurario petere mutuum, quamvis ille a te sit exacturus usuram injustam, a qua bene posset abstinere, ideoque non peccare.

CONCLUSIO IV.

Licitum est vendere vel dare res indifferentes, aut quæ bonum usum facile habere possunt, etsi his plurimi sint abusuri, si venditor nihil sciat de mala intentione emptoris, secus si cognoscitur quod emptor eis male utetur in damnum tertii, cum absque gravi incommodo denegare potest.

PROB. Ratio *primi*, quia hæc de se non ordinantur ad peccatum, nec malum est præsumendum. Ratio *secundi*, quia charitatis ordo postulat ut alterius gravi damno postponatur utilitas propria

CONCLUSIO V.

Non est licitum vendere ea quibus homines, ut plurimum, male utuntur, v. gr. venena, nisi constet hic et nunc ad bonum usum peti, vel nisi gravis proportionataque sit causa excusans.

PROB. Quia in moralibus judicatur ex contingentibus. Dum ergo abusus, ut plurimum, evenit, charitas et prudentia postulant, quod in casu particulari constet abesse periculum abusus.

CONCLUSIO VI.

Licet cooperari actionibus peccaminosis alterius, quoties adsunt conditiones supra dictæ in nota 2, *si alter non sit ea cooperatione abusurus contra bonum Ecclesiæ vel Reipublicæ.*

Prob. Quia qui cooperationem suppeditat cum conditionibus requisitis in assertione, non censetur moraliter cooperari peccato alieno, sed solum illud permittere ex gravi causa ob quam non tenetur illud impedire: ergo, etc.

Prob. ant. Cum ponis rem de se bonam aut saltem indifferentem, sine prava intentione juvandi hominem in actionem peccati, et *cum causa justa* et *proportionata*, tunc proximi peccatum non venit ex tua cooperatione, sed ex malitia illius qui tua actione abutitur ad peccandum. Unde tunc non actio tua conjungitur pravæ voluntati proximi, verum ille conjungit suam pravam voluntatem tuæ actioni: ergo non censeris moraliter, sed materialiter tantum cooperari suo peccato, id est actio tua non est causa illius peccati, sed tantum occasio quam potes ponere vel non auferre, si habeas justam proportionatamque causam; non teneris enim grave subire damnum ut alterius peccatum avertas; ipse sane malitiam suam sibi imputet: ergo, etc.

Dices: Innocent. XI damnavit hanc 51 propos.: *Famulus qui submissis humeribus scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur*: ergo tales actiones nunquam licent, utpote intrinsece malæ.

Resp. *Nego conseq.* Nam hæc propositio non fuit dam-

nata propter verbum *cooperando*, nec propter ista, *si id fiat metu notabilis detrimenti*, sed propter sequentia, nempe, *ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur*, quia hæc et similia, spectatis proximitate concursus et gravitate peccati ad quod concurritur, non efficiunt causam justam atque proportionatam, cum non nisi ob timorem mortis vel infamiæ, liceat concurrere ad dehonorationem puellæ deflorandæ [1]; ideoque propositio fuit damnata, quia per hæc ultima verba principium deflectitur ad impertinentia; non vero quia prædictæ actiones sunt intrinsece malæ; alioquin sequeretur quod nec posses furi tradere claves arcæ tuæ aut crumenam latroni, ad vitandam mortem vel infamiam.

Dixi in propositione: *Si alter tua actione non sit abusurus contra bonum Ecclesiæ vel Reipublicæ*, quia bonum commune præponderat bono privato.

Ex his principiis generalibus colligi potest quid sentiendum sit de cooperationibus particularibus; sed pauca sunt resolvenda, maxime quæ spectant ad famulos, operarios et mercatores, ut ex istis ad alia tyrones progrediantur; unde

§ I. — Quoad famulos

Resolves 1. Excusantur a peccato famuli qui, ratione famulatus sui, in gratiam domini ad lupanar euntis, equum sternunt, vestiunt, etc., ne domo expellantur; quia hæ actiones per se sunt licitæ, et non nisi remote tantum se habent ad peccatum, et gravis urget causa excusans. S. Ligorius[2] tamen resolvet negative, sed requirit metum gravis damni.

2. Excusantur iidem a peccato, non tamen ex sola ratione famulatus, sed ex aliqua causa gravi, v. gr. ne domo expellantur cum suo gravi damno temporali vel spirituali, heris ministrare carnes die vetito.

[1] S. Ligor., lib. III, num. 66. — [2] Lib. III, num. 64.

3. *Probabilius licet*, pro *prima vice* famulo, *metu mortis, mutilationis alteriusve gravissimi damni,* dominum comitari ad lupanar, humeros hero ascendenti subjicere, scalam deferre, aperire *januam occultam* ut ascendat ad fornicandum, etc. Dixi 1° *licet,* quia non ponit actionem intrinsece malam. Dixi 2° *metu mortis,* etc., non vero sola ratione famulatus, quia proximior est cooperatio. Dixi 3° *pro prima vice,* quia tenetur postea domum deserere, si aliud simile periculum timeat [1]. Dixi 4° *januam occultam*, nam si agatur de ostio ordinario, seu de aditu communi, licet, sola ratione famulatus, quia tunc non est cooperatio proprie dicta, vel est valde remota.

Adverte, cum S. Ligor., nunquam licere famulo herum comitari ad fornicandum, si hic ex comitatu animosior redderetur, quia tunc positive, immediate, proxime et formaliter cooperaretur augendo pravam domini voluntatem ; sed excusandus est famulus quoties non est certus de pravo animo domini sui. Vogler, P. Gury, etc.

4. Non licet famulo, absque causa proportionata, dona meretrici, vel litteras amatorias concubinæ deferre, cum hæc apta sint ad libidinem fovendam ; imo, juxta S. Ligorium, nunquam licet, etiam posita gravissima causa : *Hæc enim*, inquit, *sunt intrinsece mala, cum per se turpem amorem foveant.*

Nota. Quæ de famulis dicta sunt, eadem plerumque valent de aliis inferioribus aut subditis, ut uxore, filiis, etc.

§ II. — Quoad operarios.

Resolves 1. Licet operariis falsa idola conficere, si hæc adhibeantur ad ornamentum platearum, ædificiorum, etc.; nunquam vero si hæc ad falsum cultum destinentur ; tunc enim censerentur addicti servitio idolorum. Neque licet canere, organa pulsare in templis infidelium, si hæc sint in

[1] S. Ligor, lib. III, num. 66.

honorem idoli. Licet iisdem, absque gravi necessitate, theatra ædificare, quia sæpe licitum Principibus spectacula tolerare; item, illa ornare, si ornamenta et alia id genus sint honesta, quia cooperatio videtur ita remota, ut non sit peccaminosa. Item, licet templa hæreticorum ædificare, si hoc non postuletur ab hæreticis in odium veræ religionis, et alias gravissima urgeat causa, v. gr. ad mortem vel aliud malum durissimum vitandum. Ita communiter.

2. Licet captivis christianis ex gravi metu remigare triremibus infidelium, et eorum catapultas onerare, non vero explodere, contra Catholicos, quia non faciunt quid intrinsece malum, nec Christianis valde perniciosum; aliunde ex gravissima causa ad id impelluntur. Ita Gury, Scavini, ex S. Ligorio[1].

3. Nunquam licet pravis libris edendis *immediate* cooperari, v. gr. typos ordinare, chartam typis apponere, impressionem dirigere, illos libros vendere, et alia id genus. Licet autem gravi de causa cooperari *mediate*, seu remote, puta chartas et atramentum præparare, libros impressos ordinare, typos seu characteres conflare, etc. Difficilius autem liceret libros pravos compingere, vel libros ad emptores deferre, quia hæ actiones propius concurrunt ad opus principale quod est peccatum. Ita communiter.

4. Peccant aurigæ vel nautæ vehendo meretricem ad amasium pro sola mercede lucranda; excusat tamen grave damnum. Ita Scavini, S. Ligor. [2].

§ III. — Quoad mercatores.

Resolves **1.** Licet vendere aleas, gladios, fucos, etc., etsi plurimi abutantur, quia hæc de se non ordinantur ad peccatum, imo plerumque bono usui inserviunt, et alias nec malum est præsumendum.

[1] Lib. III, num. 73 et seqq. — [2] Lib. III, num. 89.

2. Ex causa gravi et periculo notabilis damni, licet judæo vel gentili vendere ornatum, vel agnum qui eo ab usurus est ad suum sacrificium.

3. Licet vendere carnes diebus abstinentiæ et tempore Quadragesimæ, quia venditor de rationibus mentium judicare nequit, nec suum est de illis inquirere.

4. Non licet vendere ornamenta honesta puellæ, si constat venditori de abusu futuro, nisi alioquin notabile damnum pateretur. Ita P. Gury, ex S. Ligorio [1].

5. Non licet vendere venenum, nisi moraliter constet emptorem illo bene usurum, v. gr. ad confectionem colorum, medicinæ, etc., quia maxima sequeretur humani generis pernicies, si hæc promiscue liceret.

6. Non licet cauponibus ministrare vinum copiosum eis quos norunt sese inebriaturos, si absque quocumque gravi nocumento suo, v. gr. sævitiarum, rixarum, etc., vel etiam probabili graviorum peccatorum periculo, v. gr. blasphemiæ, perjuriorum, etc., recusare possunt. Neque possunt proprio motu, sine ratione sufficienti ministrare carnes diebus prohibitis. Possunt autem ob metum damni cujuslibet gravis, vel quoties carnes petuntur, nisi petitio in contemptum religionis fieret, quia difficilius esset inquirere de rationibus petentis. Imo, licet generatim cauponibus, apud quos divertunt rhedæ publicæ, mensam cibis licitis et illicitis struere, quia cum multi prævideantur carnes petituri, non est necessarium sigillatim ab unoquoque quid velit exquirere. Ita, Gousset, Bouvier, Gury, etc.

7. Non licet cauponibus dominis hospitiorum, quæ vulgo *Cafés* dicuntur, et alii qui folia publica admittunt et hospitibus legenda proponunt, quæ evidenter et ordinarie sunt religioni et moribus adversa. *Nec dicas* 1° si non proponam, alii proposituri sunt : ergo me negante quod petunt lectores, peccata illa non impediuntur ; nam negatur *conseq.;* alii enim vendendo peccant : ergo similiter pec-

[1] Lib. III, num. 11.

casses si vendidisses; nam factum aliorum non immutat tuam cooperationem. *Nec dicas* 2° si hæc folia talibus recusem, deserent me hospites cum gravi jactura mea; nam respondet Christus: *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Ergo quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.*

FINIS TOMI QUINTI.

INDEX ANALYTICUS

TRACTATUS DE VARIORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS,

SEU PRÆCEPTIS PARTICULARIBUS.

Dissertatio I. De Obligationibus in Societate Religiosa. . . . 1

Nota: (In societate religiosa, duo sunt genera christianorum, *Clerici* scilicet, necnon *Religiosi* ex una parte, et *Laici* ex altera).

Quæstio I. De Obligationibus Clericorum. 2

Nota: (Clerici ii sunt qui aliquo ordine, vel prima saltem tonsura sunt initiati).

Caput I. De his quæ Clericis præcipiuntur vel prohibentur. . . 3

Articulus I. De his quæ Clericis specialiter præcipiuntur. . . 3

Quæres: Quænam Clericis specialiter præcipiantur? . . . 3

(Præter Horas Canonicas, tenentur non amplecti statum clericalem, ordines, etc., nisi a Deo vocentur; — scientiam competentem comparare; — ad perfectionem tendere; — præstare obedientiam superioribus legitimis; — sacris initiati servare castitatem perpetuam, habitum clericalem, etc.; et perseverare in statu ecclesiastico si accipiatur Beneficium).

Articulus II. De his quæ Clericis specialiter prohibentur. . . 9

Quæres: Quænam sint specialiter Clericis prohibita? . . . 9

(Quælibet negotiatio, sub datis conditionibus; — alienorum negotiorum administratio; — venatio clamorosa; — armorum gestatio; — chorææ, comœdiæ, etc.; — ludus alearum; — popinarum ingressus; — chirurgiæ exercitium quoad constitutos in Sacris.)

Caput II. De Obligationibus Beneficiatorum. 13

Quæstio I. De Horis Canonicis. 13

Articulus I. De quidditate, numero, fine et institutione Horarum. 13

Quæres 1. Quid sint Horæ Canonicæ. 13

(Sunt preces vocales — ab Ecclesia institutæ, — ejus nomine

quotidie, statutis horis, Deo persolvendæ — a personis ad id specialiter deputatis).

Quæres 2. Quot sint Horæ Canonicæ? — Septem. 14

Quæres 3. Ad quid septem Horæ sint institutæ? 14

(Ad repræsentanda septem Dominicæ Passionis mysteria).

Quæres 4. Quandonam Horæ fuerint institutæ? 14

(Si spectentur quoad substantiam, in Apostolorum temporibus; si quoad formam, non constat).

Articulus II. De obligatione Horarum Canonicarum. . . . 15

Quæres 1. Quinam ad Horas teneantur? 15

(1° Clerici sacris ordinibus initiati, etiam post matrimonium degradati, etc.; — 2° omnes Religiosi et Moniales professi, et ad chorum deputati; — 3° regulariter omnes Clerici Beneficium ecclesiasticum habentes).

Quæres 2. Ad quid insuper teneantur Canonici? 19

(In choro singulis Horis interesse, — cum aliis canere — et alta voce recitare Officium *per se*, non vero *per alios*).

Quæres 3. Quibus debeantur distributiones quotidianæ, et distributiones pro Defunctorum anniversariis? 20

Nota: (Distributiones sunt ea portio proventuum Beneficii quæ confertur iis qui divinis Officiis intersunt, et juxta Beneficii conditionem et qualitatem inserviunt).

(Resp. Debentur iis solis qui choro intersunt).

Quæres 4. Quænam præsentia requiratur ad lucrandas distributiones? 21

(Præsentia formalis et ad orandum ordinata).

Quæres 5. In quibus casibus absens distributiones lucrari possit? 21

(In tribus: 1° gravis infirmitatis; — rationabilis corporis necessitatis; — 3° utilitatis suæ Ecclesiæ).

Articulus III. De modo recitandi. 22

Quæres 1. Quomodo Horæ sint recitandæ? 22

(Quantum dederit Deus, *studiose* pariter et *devote*).

Quæres 2. Quænam requirantur ut Horæ recitentur *studiose*? 22

(Quinque: 1° ut debito utatur Breviario; — 2° ut omnia distincte et integre proferantur; — 3° ut recitentur debito tempore; — ut recitentur ordine præscripto; — ut recitentur sine interruptione).

Quæres 3. Quo obligati ad Horas tenentur uti Breviario? . 23

(Exceptis Diœcesibus, Capitulis et Ordinibus quorum officia sunt approbata a summo Pontifice, tenentur uti Breviario Romano)

Nota: (1° quod Breviaria a summo Pontifice reprobata rejici debeant ab Episcopis, ut materialiter juri adversantia; —

2° quod utentes Breviario Romano, non obligentur extra chorum ad officium B. M. V. vel defunct., etc.).

Rogabis: Quænam sint causæ probabiliter excusantes a mutatione officii? 24

(Quatuor: 1° mutatio loci: — 2° si Capellanus Episcopi, conformitas officii; — 3° si Beneficiatus, recitatio officii Tituli; — 4° recitatio cum socio diversum habente officium).

Quæres 4. Quid requiratur ut Horæ distincte et integre proferantur? 25

(Duo: 1° ut verba non omittantur, nec syllabæ abscindantur; — 2° ut officium recitetur voce *per se* sensibili).

Quæres 5. Quo tempore debeant Horæ recitari? 26

(Excepto Matutino cum Laudibus, ad vitandum mortale, incipit tempus a media nocte, usque ad alteram mediam noctem: ut vitetur etiam et veniale, servari debet insuper jus vel consuetudo legitime introducta).

Quæres 6. Quo ordine Horæ sint recitandæ? — Secundum ordinem ab Ecclesia præfixum. 28

Quæres 7. An sit mortale divinum Officium interrumpere? 29

(Interruptio Officii, quantacumque sit, est venialis, si non adsit causa justa; si adsit, nullum est peccatum).

Quæres 8. Quid requiritur ut Horæ *devote* recitentur? . . 29

(Duo: 1° *Intentio virtualis* et *interpretativa* recitandi Horas et Deum orandi; — 2° *Attentio interna*, quæ, ex probabiliori sententia, requiritur tantum ad majoritatem meritorum, non vero ad satisfaciendum; — Nam 1° attentio interna non est de substantia orationis vocalis; atqui Ecclesia solum præcipit orationem vocalem; — 2° hujus sententiæ adversarii solam virtualem attentionem internam requirunt; atqui dari non potest: ergo non requiritur; — 3° si attentio interna esset de substantia orationis vocalis, non satisfaceret distractus, etiam involuntarie, falsum consequens: ergo, etc.).

Petes: Quænam attentio requiritur? 32

Nota: (Triplex est attentio, nempe actualis, virtualis, et habitualis).

(Resp. Attentio *habitualis* non sufficit; — *actualis* non requiritur; *virtualis* requiritur et sufficit).

Articulus IV. De causis excusantibus ab Horis recitandis. . 33

Quæres: Quot sunt causæ excusantes a recitatione Horarum, et restitutione? 33

(Quatuor: 1° legitima Papæ dispensatio; — 2° gravis infirmitas; — 3° gravis occupatio honesta et necessaria; — 4° impotentia, tum physica, tum moralis).

Quæstio II. De Beneficiis. 35
Nota: (Pensiones quæ Clero in Gallia a Gubernis solvuntur, ut bona Ecclesiastica sunt habenda (Ita S. Pœnitentiaria).
Articulus I. De natura et divisione Beneficiorum. 36
Quæres 1. Quid sit Beneficium? 36
(Est jus perpetuum competens Clerico, — percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, — propter officium spirituale, — auctoritate Ecclesiæ constitutum);
Quæres 2. Quotuplex sit Beneficium? 36
(Dividitur: 1° in sæculare et regulare; — 2° in curatum et non curatum; — 3° in Dignitatem, Personatum et Officium; 4° in titulare et commendatum).
Articulus II. De variis modis seu titulis Beneficium acquirendi. 38
Quæres 1. An necessario requiratur titulus ad acquirendum Beneficium? — Sic. 38
Quæres 2. Quot sunt tituli quibus Beneficia acquiruntur? . 38
(Septem, nimirum: 1° collatio libera; — 2° præsentatio et subsequa institutio; — 3° electio et subsequa confirmatio, — 4° postulatio et subsequa admissio; — 5° resignatio; — 6° permutatio approbata; — 7° subrogatio).
§ 1. De collatione libera. 39
§ 2. De præsentatione et subsequa institutione. 40
§ 3. De electione et subsequa confirmatione. 42
§ 4. De postulatione et subsequa admissione. 43
§ 5. De resignatione. 43
§ 6. De permutatione. 45
§ 7. De subrogatione. 47
Appendix. De Pensionibus. 47
Articulus III. De his quibus Beneficia debent conferri. . . . 48
Quæres 1. Quinam sunt incapaces Beneficii possidendi? . . 48
(Sequentes: 1° illegitimi; — 2° non insigniti prima tonsura; — 3° non habentes ordinem sacrum, pro quibusdam Beneficiis; — 4° non habentes ætatem idoneam; — 5° conjugati; — 6° aliqua censura vel irregularitate, etc., irretiti).
Quæres 2. Quodnam esset peccatum Beneficium conferre indigno? — Mortale. 49
Quæres 3. Utrum ad quodlibet Beneficium, simplex vel duplex, curatum vel non curatum, notabiliter digniores sint promovendi sub mortali, prætermissis minus dignis? . . . 50
Resp. (affirmat., quia 1° Concil. Trident.: *Meminerint*, etc.; — 2° SS. Thom. et Antoninus hoc profitentur; — 3° quia esset acceptio personarum.)
Quæres 4. Utrum prætermissis dignioribus, liceat interdum con-

ferre **Beneficium** simplex dignis? — Licet in quibusdam casibus. 51
Articulus IV. De Beneficiorum pluralitate. 52
Nota : (Beneficia alia *compatibilia* esse, alia *incompatibilia*).
Conclusio. Seclusa justa causa, omnino illicitum et juri naturali morali contrarium est, plura simul possidere Beneficia etiam compatibilia et simplicia.
(Nam, inde 1° Ecclesiasticus ordo pervertitur ; — 2° minuitur cultus divinus ; — 3° animæ certo periculo exponuntur ; — 4° justitia distributiva læditur ; — 5° fraudatur voluntas Fundatorum ; — defuncti injuste precibus suffragiisque sibi debitis privantur).
Quæres 1. Quænam sit justa causa possidendi aut conferendi plura Beneficia sine Pontificis dispensatione?—Sola tenuitas Beneficii, ex Trident. 53
Quæres 2. An per dispensationem S. Pontificis licitum sit habere plura Beneficia requirentia residentiam ? — Sic, posita justa dispensandi causa. 54
Quæres 3. Quænam sunt justæ causæ dispensandi in pluralitate Beneficiorum ? — Sunt tres. 54
Articulus V. De Beneficiatorum residentia? 55
Quæres 1. Quid sit residentia? 55
(Est in loco Beneficii commoratio — personalisque muniorum Ecclesiasticorum functio. Ita Trident.).
Quæres 2. Quibus pœnis afficiantur Beneficiarii non residentes? 56
Quæres 3. Quænam sint justæ causæ a residentia excusantes? 56
(Sunt quatuor, ex Trident.).
Articulus VI. De Simonia. 57
Sectio I. De natura, malitia et divisione Simoniæ. 57
Quæres 1. Quid sit Simonia ? 57
(Est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale — vel spirituali annexum).
Quæres 2. Quotuplex est Simoniæ pretium ? 59
(Triplex : *munus a manu*, — *a lingua*, — *ab obsequio*).
Quæres 3. Quale sit peccatum Simoniæ ? 59
(Est gravissimum contra religionem et justitiam).
Quæres 4. Quotuplex sit Simonia ? 60
(Dividitur : 1° in simoniam *juris divini*, et *juris humani Ecclesiastici ;* — 2° in *realem*, *mentalem* et *conventionalem*, quæ iterum est vel *pura*, vel *mixta*, vel *confidentialis*).
Quæres 5. Quot modis committitur confidentia ? 6
(Quatuor : per *accessum*, per *ingressum*, per *regressum* et per *stipulationem pensionis*).

Quæres 6. In quibus contractibus committatur Simonia juris humani? — In casibus a jure determinatis. 62
Sectio II. De modis quibus Simonia committi potest. . . . 63
§ 1. De Simonia in vendendis temporalibus spirituali annexis. 63
§ 2. De Simonia circa Missarum celebrationem, et Sacramentorum administrationem. 64
§ 3. De Simonia circa Religionis ingressum. 65
§ 4 De Simonia circa varios modos ambiendi et conferendi Beneficia. 66
§ 5. De Simonia circa resignationes et permutationes. . . 67
§ 6. De Simonia in transactionibus et compositionibus. . 68
Sectio III. De pœnis Simoniæ. 70
Nota: (Duas tantum simoniæ species pœnis canonicis esse obnoxias: 1° simonia realis a manu; 2° confidentialis).
§ 1. De pœnis Simoniæ in ingressu Religionis perpetratæ. 71
§ 2. De pœnis Simoniæ in Ordinatione perpetratæ. . . . 72
§ 3. De pœnis Simoniæ in Beneficiis commissæ. 72
Quæres 1. An pretium simoniace acceptum restitui debeat, et cui? 74
(Resp. ad 1. affirmat.; ad 2. si pro ingressu Religionis, ei qui illud dedit; si pro Beneficio dato vel accepto, Ecclesiæ ejusdem Beneficii).
Quæres 2. Quis a pœnis in Simoniam latis absolvere et dispensare potest? 75
(Solus Papa; ex indulgentia tamen Episcopus cum eo qui fuit inscius simoniace ordinatus).
Quæstio II. De Obligationibus Religiosorum. 76
Caput I. De natura et essentia status Religiosi. 76
Quæres 1. Quid sit status Religiosus? 76
(Est stabile vitæ institutum, — ab Ecclesia approbatum et tendens ad perfectionem — per tria vota paupertatis, obedientiæ et castitatis).
Quæres 2. Quodnam genus Religiosorum sit perfectius? . 78
(Illud in quo activa simul et contemplativa vita degitur).
Caput II. De Religionis ingressu et Novitiatu. 78
Quæres 1. Quinam invalide recipiuntur in Religione? . . 78
(Resp.: 1° Episcopi; 2° servi; 3° pueri ante annos pubertatis; 4° conjugati post matrimonium consummatum; 5° professi; 6° impediti a propriis constitutionibus).
Quæres 2. Quinam illicite recipiuntur? 79
(Resp.: 1° debitis gravati; 2° filii parentes suos in gravi necessitate relinquentes; 3° qui virgines sub spe matrimonii decenerunt; 4° rationibus reddendis obnoxii).

Quæres 3. An liceat quempiam ad Religionem impellere? — Non licet, sub anathematis pœna. 79
Quæres 4. An liceat quempiam ab ingressu Religionis retrahere? — Non, absque justa causa. 79
Quæres 5. Quisnam ingredi Religionem teneatur? . . . 80
(Resp. Is solum qui vovit Religionem).
Quæres 6. Qualiter peccent Capitulares suffragium Novitio denegantes? 80
Caput III. De Professione religiosa. 81
Quæres 1. Quænam ad professionis validitatem requirantur? — Quædam requiruntur jure naturali et quædam jure Ecclesiastico. 81
Quæres 2. An qui emisit professionem nullam possit reclamare? 81
Quæres 3. Quid requiratur ad ratificandam invalidam professionem? 82
Quæres 4. Quam vim habeat professio religiosa? 82
Quæres 5 Utrum Religiosus qui Ordinem amplexus est in quo præcepta et alia fundamentalia regulæ puncta rite non observantur, teneatur vivere secundum regulam, quamvis non intenderit nisi vivere sicut vivunt, qui regulam, quoad puncta illa et præcepta, transgrediuntur?—Sic, ex Trident. 82
Caput IV. De Professorum obligationibus. 85
Quæstio I. De Obedientia religiosa. 85
Quæres 1. Quid sit obedientia religiosa? 85
(Est virtus moralis — verum Religiosum inclinans ad executionem præcepti Superioris — in omnibus quæ cadunt sub virtute obedientiæ. Alia est *formalis*, alia *materialis*).
Quæres 2. Ad quid teneatur Religiosus, vi voti obedientiæ? 86
(Resp. Superioribus obedire legitimis, legitime legitima præcipientibus).
Quæres 3. Quandonam est mortalis inobedientia? . . . 87
(Quando est formalis; vel si tantum materialis, quando materia est gravis).
Quæstio II. De Castitate religiosa. 88
Quæres: Quid sit castitas religiosa? 88
(Est votum solemne — quo Religiosus promittit abstinentiam perpetuam a voluptatibus carnalibus illicitis — et alias licitis).
Quæstio III. De Paupertate religiosa? 88
Quæres 1. Quid sit paupertas religiosa? 88
(Est votum solemne — quo Religiosus promittit abdicationem omnis dominii — proprietatis — ususque independentis a voluntate Superioris).

Quæres 2. An in Gallia existant pro nunc vota solemnia et ordines vere et proprie religiosi? 94
(Resp. negat., si de Monialibus, ex S. Pœnit.; si de hominibus, *probabilius* negatur).
Caput V. De Religionis egressu. 95
Quæres 1. An Summus Pontifex possit dispensare in votis solemnibus? — Potest, ex gravi causa. 95
Quæres 2. An liceat ex una ad aliam Religionem transire? — Ita, sub datis conditionibus. 96
Quæres 3. An Religiosus factus Episcopus eo ipso sit liber 1° a tribus votis; 2° a regularibus observantiis? — Affirmat. ad 1.; negat. ad 2.
Quæres 4. An aliquis possit ejici e Religione, et quas ob causas? 97
Quæres 5. An Superior teneatur fugitivos et apostatas requirere et recipere? — Sic *generaliter*, ex jure. 97
Quæres 6. An Religiosus e Religione egredi debeat vel teneatur, ut parentibus in gravi necessitate constitutis subveniat? — Distinguendum. 98
Caput VI. De prælaturis Religiosis. 99
Caput VII. De variis Quæstionibus Regularium. 99
Dissertatio II. De Obligationibus in societate civili.. . . . 103
Nota: (Quilibet homo in societate civili constitutus considerari potest vel quatenus privatus, vel quatenus aliquo publico fungens officio; unde obligationes aliæ *privatæ*, aliæ *publicæ*).
Quæstio I. De Obligationibus privatorum.
Nota: (Obligationes privatas derivari e societate privata quæ alia est *paterna*, alia *conjugalis*, alia *herilis*). 104
Caput I. De Obligationibus Parentum erga Liberos, et vicissim. 104
Caput II. De Obligationibus Tutorum, Curatorum, Minorum, etc. 107
Caput III. De Obligationibus Magistrorum et Discipulorum. . 108
Caput IV. De Obligationibus Dominorum et Famulorum erga se invicem. 109
Dissertatio III. De Obligationibus personarum Judicialium et Forensium. 110
Caput I. De Judice. 110
Caput II. De Accusatore, Denuntiore et Testibus. 117
Caput III. De Reo. 123
Caput IV. De Advocato, Referente, Procuratore, Notario et Apparitore. 126
Dissertatio IV. De Obligationibus Regnum et Magistratuum, Ducum et Militum. 129

Dissertatio V. De Obligationibus Medicorum, Pharmacopolarum et Chirurgorum. 130
Appendix circa receptionem Concilii Tridentini. 132

TRACTATUS DE PECCATIS.

Dissertatio I. De peccatis in communi. 134
Caput I. De essentia peccati 134
Nota: (Vitium et peccatum in hoc differre, quod primum sit habitus, secundum vero actus, de quo solo nunc ; unde)
Quæres 1. Quid sit peccatum ? 135
(Ex D. August., est factum — vel dictum — vel concupitum aliquid contra legem æternam. — Est autem legitima definitio, cum detur per genus et differentiam).
Objectiones. 135
Quæres 2. An omne peccatum sit contra naturam hominis ? 140
(Resp. affirmat , quia est contra legem æternam de qua participat ratio per illius in nobis promulgationem.)
Quæres 3. Utrum formale peccati consistat in aliquo positivo , vel in sola privatione ? 140
Nota : (In peccato duo spectantur : ***materiale*** scilicet, et ***formale***).
(Resp. Formalis ratio peccati consistit in sola privatione conformitatis cum lege æterna , quæ conformitas est rectitudo actui debita — Nam 1° ratio peccati convenit univoce peccato commissionis et omissionis, quod est mera privatio : — 2° Deus, causa omnis entis positivi, non potest causare peccati formalitatem ; ergo est pura negatio ;—3° Eodem modo se habent malum morale et artificiale ; porro, etc. : ergo, etc.).
Caput II. De causis peccati. 143
Nota : (Hic agitur tantum de causis remotis occasionalibus quæ sunt vel *externæ*, vel *internæ*: unde)
Articulus I. De causis peccati externis occasionalibus.. . . 143
Quæres 1. Quotuplex sit causa externa occasionalis ? . . 143
(Triplex : Diabolus, homo et sensibilia).
Quæres 2. Utrum Deus possit esse causa peccati ? . . . 145
(Negat. Est de fide, et probatur : nam 1° S. Jacob. 1 : *Nemo cum tentatur*, etc. ; — 2° peccatum est defectus procedens a principio defectivo ; atqui Deus non potest esse principium defectivum).
Articulus II. De causis peccati internis occasionalibus. . . 146
Quæres 1. Quotuplex distinguatur causa peccati interna occasionalis ? 146

(Triplex : ignorantia in intellectu ; — 2° concupiscentia in appetitu sensitivo, et 3° malitia in voluntate. Unde)

§ 1. De peccatis ignorantiæ. 146

Quæres 1. An omnis ignorantia sit peccatum et causa peccati ? 146

(Resp. 1° Ignorantia *invincibilis* non est peccatum nec potest esse causam peccati *formaliter*, cum voluntarium sit de ratione peccati ; — 2° ignorantia *vincibilis* est peccatum vel in se, vel in sua causa, cum puniatur, et nihil puniatur nisi peccatum).

Quæres 2. Quænam sunt causæ ignorantiæ ? 148

(Resp. Quatuor : negligentia, passio, habitus pravus et inconsideratio).

§ 2. De peccatis infirmitatis. 149

Quæres 1. Quid sit peccatum infirmitas? 149

(Resp. Illud quod ex concupiscentia provenit).

Quæres 2. An concupiscentia sit peccatum et causa peccati ? 150

(Resp. ad 1. negat., contra Baium ; ad 2. affirmat.).

§ 3. De peccatis malitiæ. 151

Quæres : Quodnam est peccatum malitiæ ? — Illud quod cum plena advertentia et quasi de industria committitur. 151

CAPUT III. De mutua peccatorum ab invicem distinctione. . 152

Nota : (Peccata distingui posse specie, vel numero ; unde)

QUÆSTIO I. Unde peccatorum distinctio specifica desumenda sit? 152

Conclusio 1. Distinctio peccatorum specifica non est repetenda ex diversis specie præceptis præcipientibus aut prohibentibus eamdem rem sub eodem motivo ; repetenda vero est ex diverso motivo quo eadem res præcipitur, aut prohibetur (Nam 1° sic D. Thomas ; 2° actus morales a suis objectis formaliter consideratis specificantur). 152

Conclusio 2 Distinctio specifica peccatorum repetenda est ab objecto formali, fine et circumstantiis habentibus malitiam, id est disconvenientiam cum lege æterna, specie diversam. 153

(Nam : actus moralis sumit malitiam moralem in aliqua specie, ab objecto, fine et circumstantiis).

Quæres : Quandonam actus moralis ex objecto, fine et circumstantiis, contrahat malitiam specie diversam? 154

(Resp. 4. Regulis cognoscitur : 1° quando diversis virtutibus opponitur ; 2° quando diversis ejusdem virtutis officiis contrariatur ; 3° quando eidem virtuti opponitur modo contrario ; 4° quando eidem virtuti opponitur modo diverso).

Quæstio II. Unde repetenda sit distinctio peccatorum numerica? 156
Nota: (Distinctio peccatorum specifica necessario importat distinctionem numericam).
Conclusio 1. Actus physice unus, plura numero complectitur peccata, quoties versatur circa plura objecta materialia quæ se non habent per modum unius, sed per modum plurium. 156
(Nam, actus physice unus qui versatur circa plura objecta materialia, quæ se habent per modum plurium, habet multiplicem numero malitiam).
Objectiones. 157
Conclusio 2. Actus physice plures circa idem objectum, sunt plura numero peccata: 1° si sint in se completi, nec ordinentur ad actum principalem tanquam illius dispositiones media et inchoationes; 2° si sint moraliter interrupti. E contra, sunt tantum unum numero peccatum, gravius tamen: 1° si non sint in se completi, sed ordinentur ad actum principalem; 2° si non sint moraliter interrupti. 160
(Nam tunc multiplicantur numerice peccata, cum multiplicantur moraliter actus humani; non multiplicantur vero, cum non multiplicantur actus humani).
Quæres: Quandonam accidat illa moralis interruptio? . . 162
Caput IV. De peccatorum connexione et inæqualitate. . . 164
Quæres 1. An omnia peccata sint inter se connexa?—Non. 164
Quæres 2. Quænam peccata cum aliis sint connexa? . . 164
(Resp. Illa quorum unum alterum præsupponit, vel ad illud ducit, ut v. gr. superbia ad invidiam, etc.).
Quæres 3. An omnia peccata sint inter se æqualia? — Non; est de fide contra Stoicos, Jovinianum et Novatianum. . . 166
Quæres 4. Undenam petatur peccatorum inæqualitas? . . 166
Nota: (Peccatorum inæqualitatem esse vel *essentialem*, vel *accidentalem*).
(Resp. Inæqualitas *essentialis* peccati petitur ex objecto ad quod actus *ex se* tendit; *accidentalis* vero petitur ex circumstantiis malitiam actus intra eamdem speciem aggravantibus vel minuentibus).
Quæres 5. An ex quibusdam circumstantiis gravitas accidentalis peccati augeatur juxta eamdem speciem? 168
(Resp. Augetur ex circumstantia: 1° ipsius acti peccaminosi; 2° personæ peccantis; 3° personæ offensæ; 4° nocumenti quod affert vel afferre potest).
Quæres 6. Quodnam ex duobus peccatis inæqualibus, eidem virtuti extremæ oppositis, sit gravius? 169
Caput V. De effectibus peccatorum. 170

Nota: (Effectus peccati *in genere*, sunt corruptio boni naturalis, macula animæ et reatus pœnæ; præcipui vero peccati *personalis*, sunt reatus *pœnæ* et reatus *culpæ*, seu *macula peccati*, vel *peccatum habituale*, de quo)

Conclusio. Macula peccati, seu peccatum habituale, consistit in privatione rectitudinis seu conformitatis ad legem quam peccator est transgressus per peccatum actuale, habitualiter perseverante quamdiu peccatum non retractatur vel remittitur. 172

(Nam 1° Sic D. Thom.; — 2° omne peccatum est essentialiter *contra legem;* atqui ista contrarietas legis nihil aliud est quam privatio conformitatis ad legem).

CAPUT VI. De peccati divisione. 175

Quæres 1. Quotuplex est peccatum? 175

(Dividitur 1° in *originale* et *personale;* — 2° personale in *actuale* et *habituale;* — 3° actuale in peccatum 1° *commissionis* et *omissionis;* 2° *ignorantiæ*, *infirmitatis* et *malitiæ;* 3° *cordis*, *oris* et *operis;* 4° *contra Deum*, *contra proximum*, *contra seipsum;* 5° *mortale* et *veniale;* 6° *materiale* et *formale;* 7° *capitale* et *non capitale*).

DISSERTATIO II. De peccatis in particulari. 177

CAPUT I. De peccato commissionis et omissionis. 178

Conclusio. Omissio potest esse probabilius voluntaria et peccaminosa absque omni voluntatis actu, qui per se, seu tanquam constitutivum essentiale ad eam pertinet; non vero sine voluntatis actu qui sit causa aut occasio omissionis. 178

(Constat 1 p., quia omissio, si sit de actu præcepto, est peccaminosa; 2 p., quia, ut fiat peccatum, necessario requiritur quoddam voluntatis exercitium).

Quæres 1. Utrum actus bonus vel indifferens, qui cum omissione culpabili est conjunctus, et incompossibilis cum observantia præcepti, sit peccatum? 181

(Resp. Si sit omissionis *causa* vel *occasio*, est peccatum, quia tunc contrahit malitiam omissionis; si secus, non est peccatum, quia tunc non participat de malitia omissionis).

Quæres 2. An qui scienter vel ex ignorantia culpabili, ponit causam omissionis, vel seipsum morali periculo exponit, eo ipso ejusdem omissionis malitiam contrahat? — Sic. 183

Quæres 3. An omissio quæ in causa culpabilis est, sit etiam culpabilis in se, eo tempore quo omittitur præceptum, etiamsi contingat hominem præ somno aut ebrietate non esse compotem rationis? 183

(Resp. Controvertitur. 1ª Sententia negat, quia tunc non est

libera nec voluntaria omissio: 2ª communiter affirmat, quia omissio fit *inchoative* et quoad affectum, quando ponitur causa ; *consummative* autem et quoad *effectum*, quando adest tempus adimplendi.

Caput II. De peccatis ignorantiæ, infirmitatis et malitiæ . . 187

Nota: (Certum est dari peccata infirmitatis et malitiæ). . 187

Quæstio I. Utrum peccatum ex habitu sit peccatum malitiæ? 188

(Resp. Peccatum ex habitu quod peccans emendare non curat, est peccatum malitiæ; nam 1° sic D. Thom.; 2° quia peccans ex habitu, peccat ex electione, quod est proprium peccati malitiæ).

Quæres: Quænam peccata reducantur ad peccata malitiæ? — Peccata in cœlum clamantia et peccata quæ specialiter dicuntur in Spiritum Sanctum. 190

Quæstio II. Utrum dentur peccata ignorantiæ et inadvertantiæ? 191

Nota 1. (Ignorantia ab inadvertentia differt, in eo quod sit privatio cognitionis *habitualis*, inadvertantia vero cognitionis *actualis*). 192

Nota 2. (Ignorantia quadrupliciter fit voluntaria: 1° *ob negligentiam* et hoc *vel directe vel indirecte;* 2° *ob passionem;* 3° *ob pravum habitum ;* 4° *ob inconsiderationem.*— Item, triplex est cognitio intellectus: 1° *plene deliberata*, cui motus *deliberatus;* 2° *semi-deliberata*, cui motus *secundo primus*, 3° *omnino indeliberata*, cui motus *primo primus* correspondet).. 193

Conclusio 1. Dantur peccata ignorantiæ. Est de fide. — Patet ex Script., et S. Bernardo 194

Conclusio 2. Ad peccandum formaliter non sufficit advertentia interpretativa. — Nam advertentia interpretativa sufficere non potest, cum nihil sit. 195

Conclusio 3. Ad peccandum formaliter, non semper necessaria est actualis cognitio, seu advertentia malitiæ actionis explicita 196

(Nam 1° Script., Joan.: *Venit hora*, etc.; 2° qui advertit se peccare, non ignoranter, sed scienter peccat; 3° ad peccandum formaliter sufficit voluntarium indirectum, ad quod non requiritur actualis cognitio malitiæ, etc). 199

Objectiones 199

Conclusio 4. Ad peccandum formaliter, semper requiritur actualis advertentia vel malitiæ, vel periculi ejus, vel saltem obligationis ad illam advertendi. 205

(Nam, præter illa, nihil est assignabile per quod inadvertentia sit culpabilis).

Conclusio 5. Peccata ex ignorantia culpabili commissa, sunt per se et ratione sui imputabilia, et non solum ratione causæ, seu dictæ ignorantiæ.—Ita sententia verior. 205
(Nam : 1° Ita Div. Th.; 2° quia contraria opinio excusat omnia peccata assuetorum peccato, qui malum operantur absque actuali advertentia ; 3° quia alioquin absurda sequerentur.
Caput III. De peccatis oris, cordis et operis. 211
Quæstio I. De mendacio 211
Quæres 1. Quid sit mendacium ?— Est locutio aut quælibet significatio contra mentem, cum intentione fallendi. 211
Quæres 2. Quotuplex sit mendacium ? 211
(Triplex: officiosum, jocosum et perniciosum).
Quæres 3. Utrum omne mendacium sit peccatum? . . . 212
(Sic; nam, 1° Script., Joan.: *Omne mendacium*, etc.; 2° quod non est ex veritate, est intrinsece malum).
Quæres 4. An mendacium sit peccatum mortale? . . . 212
(Resp. Mendacium perniciosum est mortale ex genere suo ; jocosum et officiosum sunt tantum venialia).
Quæres 5. An æquivocatio et restrictio mentalis sint vera mendacia? 213
Nota: (Æquivocatio sicut et restrictio alia est *pure mentalis*, alia *late mentalis;* unde)
(Resp. : 1° Æquivocatio et restrictio pure mentalis sunt vera mendacia, nec proinde licent; 2° restrictio late mentalis non est mendacium sed prudens veritatis occultatio, et ideo ea licet uti ex gravi et justa causa).
Quæres 6. An simulatio sit aliquando licita? 220
Simulatio *formalis* nunquam licet, cum sit mendacium ; *materialis* autem licet ex gravi et justa causa).
Quæstio II. De delectatione morosa 221
Nota : (Hoc est magnum discrimen inter gaudium, desiderium et delectationem morosam, quod *gaudium* respicit *præteritum*, *desiderium* respicit *futurum*, et *delectatio morosa* respicit *præsens*).
Articulus 1. De delectatione morosa per ordinem ad consensum. 222
Nota : (Consensus in delectationem triplex est: scilicet *positivus*, *negativus* et *virtualis*, quorum 1us et 3us sunt mortalia, si agatur de delectatione in se mortaliter mala).
Conclusio. Consensus negativus quo quis post sufficientem advertentiam, non reprimit delectationem circa illicita, sed mere negative se habet non consentiendo aut dissentiendo, sufficit ad peccatum mortale, quando imminet periculum

consensus positivi in delectationem (quia sic se exponit probabili periculo peccati mortalis); sed secluso tali periculo, non excedit veniale (quia ibi non est positivus consensus), nullum vero est, si justa causa excuset 223

Articulus II. De delectatione morosa per ordinem ad objectum. 225

Nota: (Duplex est objectum delectationis morosæ: 1° cognitio ipsius operis cogitati; 2° ipsa res mala cogitata).

Conclusio 1. Delectatio de sola cognitione rei mortaliter illicitæ, vel de solo modo insolito et mirabili quo peracta est, non est per se peccatum (quia delectatio specificatur a suo objecto immediato). 226

Conclusio 2. Delectatio morosa quæ terminatur ad rem ipsam cognitione perceptam est peccatum mortale, si res cognita sit mortaliter mala; veniale vero si res sit venialiter mala, etiamsi nulla sit voluntas opus perficiendi (quia affectus circa rem malam est malus) 226

Quæres 1. Unde dignosci possit quod delectatio habeat pro objecto solam cognitionem vel artificium rei malæ, non autem rem ipsam cognitam?—Ex motivo et affectu erga objectum. 227

Quæres 2. An delectatio morosa speciem suam desumat ab objecto et circumstantiis? — Sic. 227

Quæres 3. An liceat delectari de actu intrinsece malo per accidens citra culpam commisso? — Non. 229

Quæres 4. An delectatio morosa quam percipit viduus de copula præterita, sponsus de futura, conjugatus de futura vel præterita in absentia compartis, sit peccatum mortale? . 230

Nota: (Delectatio morosa est *spiritualis* vel *venerea*, prout fit sine vel cum motu carnali).

(Resp. Distinguendum inter delectationem spiritualem et carnalem).

Quæres 5. An liceat delectari de re mortaliter mala, sub hac conditione: *Si non esset mala nec prohibita?* — Licet, si sit tantum accidentaliter mala; non licet, si *per se* mala. 232

Quæres 6. An liceat delectari de bono effectu ex peccato secuto? — Licet. 233

Caput IV. De peccato mortali et veniali. 233

Quæstio I. De existentia et malitia peccati mortalis. . . . 233

Conclusio 1. Dantur peccata mortalia.—Est de fide, et Scriptura constat. 233

Conclusio 2. Malitia peccati mortalis, prout est offensa Dei, est quidem objective secundum quid infinita (cum infinitum Deum offendat); sed est intrinsece et simpliciter finita (cum semper ulterius extendi possit). 234

Quæstio II. De requisitis ad peccatum mortale. 236
Nota : (Ad voluntarium duo requiruntur : *advertentia* et *consensus* qui sunt 1° *formalia, virtualia, interpretativa* et *indirecta ;* 2° *plena* et *semi-plena*).
Conclusio 1. Ad peccatum mortale tria requiruntur : scilicet plena advertentia, perfectus consensus et materia gravis, in illis peccatis quæ admittunt parvitatem materiæ ; ratio, quia ad gravissimum requiruntur gravia ex parte agentis. . . 238
Conclusio 2. Ad peccatum mortale sufficit advertentia indirecta, consistens in eo quod quis possit et debeat advertere malitiam vel ejus periculum, nec tamen advertat, et sic de consensu. — Ratio, quia sufficit indirectum voluntarium, quod solum requirit advertentiam indirectam.. 239
Quæstio III. De pœnis peccati mortalis. 240
Nota : (Duplex est peccati mortalis pœna : damni et sensus).
Conclusio. Damnatorum pœnæ sunt æternæ ; est de fide. . 240
(Constat 1° Script., Is. : *Vermis eorum*, etc. ; 2° quia in æternum manet reatus pœnæ).
Quæres 1. Utrum quis possit puniri peccato alterius? . . 242
Quæres 2. Utrum unum peccatum possit esse et quandoque sit pœna præcedentis peccati? — Sic. 243
Quæres 3. Quomodo unum peccatum possit esse pœna alterius? — Quando Deus peccatorem deserit. 244
Quæstio IV. De existentia peccati venialis. 244
Conclusio. Dantur peccata venialia ex natura sua. . . . 245
(Nam : 1° damnata est illa Baii : *Nullum est peccatum*, etc ; 2° dantur peccata quæ nec mortem animæ inferunt, nec merentur pœnam æternam).
Quæres : Unde repetenda sit prima et præcipua peccati venialis a mortali differentia? — Ex hoc quod per mortale homo ita se avertat a Deo, ut finem ultimum in creatura ponat ; per veniale vero solum a Deo se avertat. 248
Quæstio V. De habitudine peccati mortalis ad veniale. . . 249
Quæres 1. An peccatum mortale ex genere suo possit fieri veniale? 249
Nota : (Peccatum mortale et veniale est tale vel ex *genere suo*, vel *per accidens ;* item, mortale est tale vel *ex genere suo toto*, vel *ex genere suo non toto.*
(Resp. Omne mortale ex genere suo, sed non toto, potest fieri veniale : non vero peccatum mortale ex genere suo toto.)
Quæres 2. Ex quibus capitibus colligendum sit peccatum esse mortale aut veniale ex genere suo? 251

(Ex Script. et Trad. ; 2° Sum. Pontiff., 3° ex gravitate damni et pœnæ ; 4° ex Theologis).

Quæstio VI. De habitudine peccati venialis ad mortale. . . 252

Conclusio 1. Peccatum per accidens veniale disponit directe ad mortale ejusdem speciei (quia ad illud movet et inclinat). 253

Conclusio 2. Peccatum veniale ex genere suo, si negligatur et continuetur, disponit indirecte ad mortale ; (quia removet impediens mortale). 253

Conclusio 3. Peccatum veniale ex genere suo non potest fieri mortale propter solam actus multiplicationem ; et consequenter venialia, quantumvis multiplicata, non possunt facere unum mortale (quia multiplicatio speciem non mutat). 253

Conclusio 4. Peccatum ex genere suo veniale, potest per accidens fieri mortale (nempe quando illi additur circumstantia mortaliter mala). 254

Quæstio VII. De pœnis peccati venialis. 258

Conclusio. Peccatum veniale in hac vita quoad culpam non remissum, per accidens punitur in inferno pœna æterna : secus, si quoad culpam fuerit remissum. 258

(Prob. 1 p. Nam tamdiu remanere debet pœna peccati quamdiu remanet ejus culpa ; 2 p., quia sublata culpa per remissionem, tolli potest et pœna per satispassionem).

Caput V. De peccatis Capitalibus. 260

Quæstio I. De superbia. 260

Quæres 1. Quid sit superbia ? — Est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. 261

Quæres 2. Quale peccatum sit superbia ? — Superbia *perfecta* est peccatum mortale genere suo ; *imperfecta* vero, tantum veniale. 261

Quæres 3. An superbia sit omnium peccatorum gravissimum ? — Ita, si spectetur ratione aversionis a Deo. 261

Quæres 4. Quæ et quot sint filiæ superbiæ. 262

(Tres : præsumptio, ambitio et vana gloria quæ item suas habet filias).

Quæres 5. Quænam sint superbiæ remedia ? 265

Quæstio II. De ira. 265

Quæres 1. Quid sit ira ? — Est inordinatus appetitus vindictæ, aut quasi vindictæ. 265

Quæres 2. Quale sit peccatum iræ ? — Si ex parte objecti, est mortalis ; si vero ex parte modi tantum sit inordinata, venialis. 266

Quæres 3. Quæ et quot sint filiæ iræ? 266
(Septem: indignatio, tumor mentis, clamor, blasphemia, contumelia, maledictio et rixa). 267
Quæres 4. Quænam sint remedia iræ? 268
Quæstio III. De avaritia. 268
Quæres 1. Quid sit avaritia? — Est inordinatus appetitus divitiarum. 268
Quæres 2. Quale peccatum est avaritia? — Ex genere suo est venialis, potest tamen fieri mortalis. 268
Quæres 3. Quot sint filiæ avaritiæ? 268
(Septem: Proditio, fraus, dolus, perjurium, inquietudo mentis, violentia, obduratio cordis). 269
Quæres 4. Quænam sint remedia avaritiæ? 270
Quæstio IV. De invidia. 270
Quæres 1. Quid sit invidia? — Est tristitia de bono proximi, quatenus est propriæ excellentiæ imminituvum. . . 270
Quæres 2. Quale peccatum sit invidia? — Mortale ex genere suo 270
Quæres 3. Quot sint filiæ invidiæ?
(Sex: odium proximi, contumelia, detractio, exultatio in prosperis, afflictio in adversis et susurratio).
Quæres 4. Quænam sint remedia invidiæ? 271
Quæstio V. De acedia seu desidia 271
Quæres 1. Quid sit acedia? — Est tristitia et tædium de bonis divinis ut ad nos pertinentibus. 271
Quæres 2. Quale peccatum sit acedia? — Mortale ex genere suo 271
Quæres 3. Quot sint filiæ acediæ? 272
(Sex: malitia, desperatio, pusillanimitas, rancor, torpor et evagatio mentis).
Quæres 4. Quot sunt remedia acediæ? 272
Quæstio VI. De gula. 273
Quæres 1. Quid sit gula?—Est inordinatus appetitus cibi et potus 273
Quæres 2. Quot modis gulæ peccatum committi possit? . 273
(His: præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose).
Quæres 3. Quale peccatum sit gula? — Potest esse mortalis vel venialis. 274
Quæres 4. Quot sint species gulæ?—*Crapula* quæ est peccatum per se mortale, et *ebrietas* quæ potest esse mortalis vel venialis. 275
Quæres 5. Utrum sese inebriare liceat ad mortem vitandam, aut alium inebriare, ut a majori peccato retrahatur? . . 279

(Resp. ad 1. negat, quia est intrinsece malum; ad 2. affirm. *satis probabiliter*, quia licet inducere majus volentem ad minus peccatum).

Quæres 6. Quot sint filiæ gulæ? 281

(Quinque: hebetudo mentis, inepta lætitia, scurrilitas, multiloquium et immunditia).

Quæstio VII. De luxuriâ 282

Articulus I. De luxuria in genere 282

Quæres 1. Quid sit luxuria?—Est inordinatus voluptatis venereæ appetitus vel usus; est mortalis in genere suo. . . . 282

Quæres 2. An delectatio venerea admittat parvitatem materiæ? 283

Nota: (Triplex hic distinguitur delectatio: *spiritualis*, *mere sensibilis* et *venerea*).

(Resp. In delectatione spirituali et mere sensibili datur parvitas materiæ; de venerea autem)

Conclusio. Non datur levitas materiæ in delectatione venerea.—Est communis sententia. 284

(Constat: 1° Ex Script., Eccl. III: *Qui amat*, etc.; 2° quia delectatio venerea ordinatur ad seminis effusionem, quæ, extra conjugium, est mortalis).

Quæres 3. Quid de motibus in parte inferiori exortis?—Si nulla data est eis occasio, non sunt peccata; secus, si illis data fuit occasio 286

Quæres 4. Quæ sint filiæ luxuriæ? 286

(Octo: Cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui inordinatus, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror et desperatio futuri sæculi).

Quæres 5. Quot sint remedia contra luxuriam? 295

Articulus II. De variis luxuriæ speciebus. 288

§ 1. De fornicatione simplici. 288

§ 2. De adulterio. 291

§ 3. De stupro. 293

§ 4. De raptu. 295

§ 5. De incestu. 296

§ 6. De sacrilegio venereo. 298

§ 7. De peccato contra naturam. 299

Punctum 1. De mollitie seu pollutione. 300

Punctum 2. De sodomia. 305

Punctum 3. Debestialitate. 306

Punctum 4. De inordinato concubitu. 306

Articulus III. De impudicitia. 307

Nota: (Impudicitia est peccatum luxuriæ, in quo non intervenit effusio seminis).

Quæres 1. Quid de osculis sit dicendum? — Oscula, amplexus, etc., sunt mortalia, si sint libidinosa; si secus, et modo absit circumstantia aggravans, sunt tantum venialia, imo aliquando nulla. 307

Quæres 2. Quid de tactibus sit dicendum?—Tactus pudendorum, si libidinosi et absit necessitas, sunt mortales: aliarum vero partium corporis sunt *per se* veniales, vel nulli. . . 308

Quæres 3. Quid de aspectibus sit dicendum? — Præcisa necessitate, non licent aspectus inhonesti 309

Quæres 4. Quid de turpiloquio sit dicendum? — Non licet, et potest esse veniale vel mortale. 310

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Præambulum. *De virtutibus in communi.* 313

Caput I. De essentia et divisione virtutis. 314

Quæres 1. Quid sit virtus?—Ex. Th., est bona qualitas mentis, qua recte vivitur et nemo male utitur. 314

Quæres 2. Quomodo dividitur virtus? 315

(Aliæ sunt *Intellectuales*, nempe *intelligentia*, *sapientia*, *scientia* et *ars*; aliæ *Morales*, nempe *prudentia*, *fortitudo*, *temperantia* et *justitia*; et aliæ *Theologicæ* nempe *fides*, *spes* et *charitas*).

Caput II. De proprietatibus virtutis. 316

Nota: (Tres sunt proprietates virtutis: *supernaturalitas*, *mediocritas* et *connexio*. Unde)

Articulus I. De supernaturalitate virtutis. 316

Nota: (1° Virtus potest esse infusa vel *per se* vel *per accidens*; 2° De fide est virtutes theologicas esse infusas).

Conclusio. Dantur virtutes morales per se infusæ. — Scriptura constat. 317

Articulus II. De medietate virtutis. 318

Nota: Duplex est medium virtutis: *rei* et *rationis*).

Conclusio 1. Virtutes theologicæ et intellectuales non consistunt in medio *per se* et *ex parte obiecti*. — Ratio, quia contra illas non potest peccari per excessum. 319

Conclusio 2. Omnes virtutes morales consistunt in medio.—Ratio, quia contra illas peccatur per excessum et defectum. . 319

Articulus III. De connexione virtutum. 320

Conclusio. Virtutes morales, consideratæ in statu imperfecto, non sunt necessario inter se connexæ; secus vero, si in statu perfecto considerentur. 321

(Constat 1 p., quia una potest haberi sine alia; 2 p., quia tunc una ad aliam trahit.)

Quæres : An virtutes sint inter se æquales? — Non. . . . 322
Dissertatio I. De Fide theologica. 323
Nota : (Multiplex est acceptio fidei in Script.).
Caput I. De essentia et divisione fidei. 323
Quæres 1. Quid sit fides?—Est virtus theologica divinitus infusa, qua firmiter assentimur iis quæ a Deo revelata sunt, propter auctoritatem ipsius revelantis. 324
Quæres 2. Quotupliciter fides theologica dividatur? . . . 324
(Dividitur 1° in *actualem* et *habitualem*; 2° in *explicitam* et *implicitam*; 3° in *vivam* et *mortuam*; 4° in *formalem* et *virtualem*).
Caput II. De objecto fidei. 325
Quæres 1. Quotuplex est objectum fidei? 325
(Duplex : *formale et materiale*).
Quæres 2. Quomodo dividitur objectum materiale fidei? . 325
(Dividitur : 1° in *primarium* et *secundarium*; 2° in *articulos* fidei et *puncta* fidei).
Caput III. De necessitate fidei. 326
Nota : (Duplex est actus fidei : *internus* et *externus*).
Articulus I. De necessitate interioris actus fidei. 327
Nota : (Duplex est necessarium, *præcepti* scilicet, et *medii* quod est tale vel *absolute*, vel *hypothetice*).
Conclusio 1. Actus fidei internus omnibus adultis ad obtinendam justificationem et salutem, est et semper fuit necessarius necessitate medii absolute. 328
(Nam : 1° S. Paulus : *Sine fide*, etc.; 2° Ita Trident.).
Quæres 1. Quænam mysteria fuerunt omni tempore necessaria necessitate medii credenda? — Fides explicita Dei *existentis* et *remuneratoris*. 330
Quæres 2. An post Evangelium, ad justificationem et salutem necessaria sit necessitate medii fides explicita Incarnationis quoad divinitatem, humanitatem, passionem et resurrectionem, et SS. Trinitatis? — Disputant. 331
Conclusio 2. Datur præceptum speciale fidei obligans omnes adultos ratione utentes. 334
(Nam : 1° Joan. *Hoc est mandatum*, etc.; 2° Alex. VII contrariam damnavit propositionem).
Quæres 1. Quænam fideles tenentur credere et scire vi præcepti? 335
Quæres 2. Quandonam præceptum divinum actus fidei obliget? — Præceptum fidei affirmativum sæpius obligat in vita, tum per se, tum per accidens. 336
Quæres 3. In quibus casibus actus fidei potissimum obliget, tum per se, tum per accidens?. 336

Articulus II. De actus externi seu confessionis fidei necessitate. 339
Nota : (Duplex est præceptum confitendi fidem : aliud *affirmativum*, aliud *negativum*).
Conclusio 1. Extat præceptum aliquando fidem exterius confitendi. — Ratio, quia quod est ad salutem necessarium cadit sub præcepto. 339
Quæres : Quandonam obliget præceptum affirmativum confitendi fidem? 339
Conclusio 2. Nullo unquam casu licet fidem exterius negare, sive ex animo, sive ex simulatione. 342
(Constat 1 p., quia Matth. : *Qui negaverit*, etc.; 2 p., quia fidem negare, etiam ex simulatione, est intrinsece malum).
Caput IV. De vitiis fidei oppositis. 346
Articulus I. De infidelitate. 346
Nota : (Infidelitas est carentia fidei in subjecto apto, et est triplex : *pure negativa*, quæ non est peccatum; *privativa*, quæ est mortalis ex genere suo; *positiva*, quæ pariter est mortalis ex genere suo).
Quæres 1. An Principes Christiani possint licite permittere Paganos et Judæos inter Christianos commorari et suos ritus peragere, seu libertatem conscientiæ donare? — Non, *per se loquendo*. 348
Quæres 2. Quænam est justa causa ad hanc libertatem conscientiæ tolerandam? — Bonum commune Ecclesiæ. . . . 349
Quæres 3. An Ecclesia, vel per se, vel per Principes Christianos, possit compellere Paganos et Judæos, ad fidem amplectendam seu profitendam? 349
(Resp. *negat.* si infideles non sint temporaliter subditi Ecclesiæ; si secus, potest eos compellere Ecclesia ad fidem audiendam).
Quæres 4. Quid sit hæresis formalis? — Est error voluntarius et pertinax contra aliquam fidei catholicæ veritatem, in eo qui se Christianum profitetur. 352
Quæres 5. Quot et quænam sint hæreticorum pœnæ? . . 354
Nota : (Hæresis formalis est *interna* et *externa* quæ est vel *occulta* vel *publica*. Item, hæreticorum pœnæ aliæ sunt *temporales*, aliæ *spirituales*).
Quæres 6. Quinam possunt absolvere ab excommunicatione propter hæresim contracta? 355
Quæres 7. An prohibita sit cum hæreticis communicatio?—Non licet cum *nominatim* excommunicatis. 356
Quæres 8. An prohibita sit cum hæreticis disputatio? . . 356

Quæres 9. An prohibita sit librorum hæreticorum lectio? — Sic jure naturali et ecclesiastico. 357
Quæres 10. Sub qua pœna prohibentur libri in Indice? . 358
Quæres 11. An in lectione libri hæretici detur parvitas materiæ? — Aliqui affirmant, sed potius negandum. 358
Quæres 12. An Bulla *Cœnæ* et *Index* librorum prohibitorum vigeant in Gallia? — Sic. 359
Quæres 13. Quomodo Romæ proceditur in prohibitione librorum? 359
Quæres 14. An Episcopus possit in propria diœcesi libros noxios prohibere? — Sic. 261
Articulus II. De blasphemia. 263
Quæres 1. Quid sit blasphemia? — Est contumeliosa in Deum locutio. 263
Quæres 2. Quotuplex sit blasphemia? 264
(Triplex : *hæreticalis*, *imprecativa* et *mere dehonestativa*).
Quæres 3. Quale sit peccatum blasphemia? — Per se mortale. 264
Quæres 4. An species blasphemiæ debeat exprimi in confessione? — Sic. 366
Dissertatio II. De Spe theologica. 367
Caput I. De essentia et divisione spei. 367
Quæres 1. Quid sit spes? — Est virtus theologica, — per quam certo cum fiducia beatitudinem æternam — et media illius consequendæ a Deo expectamus. 367
Quæres 2. Quotupliciter spes theologica dividitur? . . . 368
(Dividitur 1° in *habitualem* et *actualem* ; 2° in *formatam* et *informem*).
Caput II. De objecto spei. 369
Articulus I. De objecto materiali spei. 369
Conclusio 1. Objectum materiale primarium spei est Deus et possessio Dei, sive est Deus possidendus. — (Ratio, quia Deus possidendus *per se* expectatur, et cætera propter illum). 369
Conclusio 2. Objectum secundarium spei, sunt omnia media ad Deum possidendum necessaria. — (Ratio, quia movent ad objectum primarium). 372
Articulus II. De objecto formali spei, seu de immediato motivo propter quod speramus. 372
Conclusio. Objectum formale spei, spectatæ prout est amor seu desiderium beatitudinis nostræ, est bonitas Dei relative ad nos ; spectata vero ut est tendentia ad beatitudinem, est omnipotentia Dei auxiliatrix, nobis propter merita Christi promissa. 372
Caput III. De distinctione spei a fide et charitate. 374

Conclusio. Spes est realiter a fide et charitate distincta. — Est contra Lutheranos et Jansenistas). 375
(Nam · 1° Script., Corinth. : *Nunc autem manent*, etc.; 2° habet objectum formale realiter diversum a fide et charitate).
APUT IV. De subjecto spei. 380
Nota : (Certum est spem non remanere in damnatis, neque in beatis, neque in hæreticis).
Conclusio. Virtus et actus spei reperiuntur in omnibus justis viatoribus, quantacumque perfecta charitate prædíti supponantur. 381
(Constat : 1° ex oratione Dominica : *Adveniat regnum*, etc. ; 2° Conc. Trid. : *Justificatis hominibus*, etc. ; 3° exemplis in Scriptura imitationi propositis).
CAPUT V. De proprietatibus spei. 385
ARTICULUS I. De certitudine spei. 385
Conclusio. Spes est certa ex parte Dei, incerta vero ex parte nostri. 385
(Constat 1 p., ex Script., Eccl.: *Scitote quia*, etc. ; 2 p., quia spes ex parte nostri est conditionata, cum pendeat ex custodia mandatorum Dei).
ARTICULUS II. De necessitate spei. 386
Conclusio 1. Actus spei est necessarius necessitate medii ad justificationem : ratio, quia illum requirit Scriptura et Trid. 386
Conclusio 2. Actus spei necessarius est adultis necessitate præcepti, tum naturalis, tum divini. 387
(Constat 1 p. ex dictis ; 2 p. ex psal.: *Sperate*, etc.).
Quæres : Quandonam præceptum spei obliget ? 387
CAPUT. VI. De vitiis oppositis spei. 388
Nota : (Duo vitia spei opponuntur : *desperatio* et *præsumptio*).
Quæres 1. Quid sit desperatio?—Est voluntaria diffidentia assequendi beatitudinem, et obtinendi media ad illam necessaria. 388
Quæres 2. Quid sit præsumptio ? — Est temeraria beatitudinis et mediorum ad eam assequendam necessariorum expectatio. 388
Quæres 3. Qualia sunt peccata desperatio et præsumptio ? — Mortalia ex genere suo. 389
DISSERTATIO III. De Charitate. 391
CAPUT I. De essentia et divisione charitatis. 392
Quæres 1. Quid sit amor benevolentiæ ? — Est efficax volitio boni in commodum personæ amatæ. 392
Quæres 2. Quid sit charitas ? — Est virtus theologica infusa, qua Deus super omnia diligitur propter se, et proximus sicut nos propter Deum. 394

Quæres 3. Quotuplex sit charitas? — Duplex : *habitualis* et *actualis*. 394
Quæres 4. An charitas illa actualis quæ est amor benevolentiæ, sit simul amor amicitiæ? — Sic ; nam charitati perfecte conveniunt omnes conditiones ad veram amicitiam requisitæ. 395
Caput II. De objecto materiali et formali charitatis. 396
Conclusio 1. Objectum materiale adæquatum charitatis est Deus, nosmetipsi et proximus.— Ratio, quia super hæc omnia cadit charitas. 396
Conclusio 2. Objectum formale charitatis est Deus, quatenus in se summe bonus et infinite amabilis. — Ratio, quia propter Dei bonitatem tendit charitas in objectum suum materiale. 398
Caput III. De proprietatibus charitatis.. 399
Quæstio I. De necessitate charitatis. 399
Nota : (Hic tantum agi de actu charitatis, tum erga Deum, tum erga proximum).
Articulus I. De præcepto charitatis erga Deum. 400
Conclusio 1. Actus interni charitatis erga Deum extat speciale præceptum, et ab aliis distinctum. — Ratio, quia respectu aliorum est *primum* et *maximum*, et ab illo omnia alia pendent. 400
Conclusio 2. Præceptum charitatis affirmativum non semper obligat et pro semper, ita ut teneamur omnia prorsus opera nostra in Deum ex motivo veræ charitatis referre. . . 402
(Nam : 1° Ita Div. Aug. et Thom. ; 2° alioquin omnes nostræ actiones quæ ad Deum sic non referrentur essent peccata, quod fuit damnatum).
Objectiones. 403
Conclusio 3. Præceptum affirmativum charitatis Deo debitæ obligat sæpissime. 407
(Nam : 1° Sic Script., Deuteron. : *Diliges Dominum*, etc. ; 2° nostræ conclusioni propositiones adversantes damnaverunt Alex. VII et Innoc. XI).
Quæres : Quandonam præceptum charitatis obliget? . . . 407
Articulus II. De præcepto charitatis erga proximum. . . . 409
Conclusio. Datur præceptum speciale diligendi proximum non tantum actu externo, sed formali et interno benevolentiæ actu. — Sic Scriptura. 410
Quæres 1. Quandonam teneamur ad actum internum dilectionis proximi? 410
(Resp. 1° ad talem actum sæpius tenemur ; 2° quando autem obligat *per se*. non constat).

Quæres 2. An præceptum charitatis proximi sese extendat ad inimicos? — Sic; nam : *Diligite inimicos*, etc. 411
Quæres 3. Quid exigat a nobis præceptum dilectionis inimicorum? 411
(Resp. Ut illis ex corde remittamus offensam, et sincero corde parati simus ipsis exhibere debita internæ affectionis signa .
Quæres 4. An veniam petenti teneamur remittere injuriarum actionem et satisfactionem pro injuria in bonis famæ vel fortunæ? — Non, per se loquendo. 414
Quæres 5. An pars læsa æquam ad prudentum arbitrium satisfactionem ab inimico oblatam, teneatur acceptare? Sic, ordinarie. 414
Quæres 6. Quisnam ordo in reconciliatione ineunda sit servandus? 414
Quæstio II. De ordine charitatis. 416
Nota : (In exercitio charitatis duplex est ordo servandus : *dilectionis* qui petitur ex *dignitate* et *subventionis*, seu *beneficii*, qui petitur ex *indigentia* personæ).
Conclusio 1. In exercitio charitatis talis debet esse ordo *dilectionis*, qualis est ordo rerum quoad bonitatem. — Ratio, quia meliora magis amari debent. 418
Conclusio 2. Ordine *beneficii* unusquisque tenetur seipsum magis diligere quam proximum, in eodem bonorum genere.—Ratio, quia regula potior est regulato; atqui amor sui est regula amoris proximi. 418
Quæres : Utrum quilibet teneatur propriam vitam corporalem exponere pro æterna proximi salute?—Distinguendum. 420
Conclusio 3. Ubi omnibus in pari necessitate constitutis non possumus succurrere, extrancis debemus præferre eos qui nobis sunt sanguine, amicitia, vel religione conjuncti, juxta gradum et rationem conjunctionis. 421
Caput IV. De officiis charitatis, seu operibus misericordiæ. . 423
Quæres 1. Quid sit misericordia? — Est alienæ miseriæ efficax compassio. 423
Quæres 2. Quot sint opera misericordiæ corporalia? — Hæc : *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.* . . . 423
Quæres 3. Quot sint opera misericordiæ spiritualia? — Hæc : *Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora* 424
Quæstio 1. De correptione fraterna. 424
Nota : (Triplex est correptio, nempe : *juridica*, *paterna* et *fraterna*).
Quæres 1. An correptio fraterna cadat sub præcepto? — Sic. 424
Quæres 2. Quinam obligantur præcepto fraternæ correptionis? 425

Quæres 3. Quinam sint ex præcepto corripiendi? . . . 426
Quæres 4. Quænam conditiones requirantur ut quis ad fraternam correptionem obligetur? — Sex conditiones. . . 426
Quæres 5. Quis ordo servandus sit in correptione fraterna? 428
(Resp. Ordo a Christo præscriptus : *Si peccaverit*, etc.).
Quæres 6. An sit obligatio corrigendi peccantem ex ignorantia invincibili? — Distinguendum est.. 430
Quæstio II. De corporali eleemosyna. 430
Nota 1. (Eleemosyna est opus misericordiæ,—quo datur aliquid indigenti, ex compassione propter Deum; et triplex est : *extrema, gravis* et *communis*).
Nota 2. (Bona alicui necessaria triplicis sunt generis : 1° *vitæ;* 2° *status;* 3° non necessaria, sed *superflua* vel vitæ, vel statui, vel utriquc).
Quæres 1. Utrum detur præceptum faciendæ eleemosynæ? — Sic, naturale et divinum. 431
Quæres 2. Quinam possint eleemosynam facere? 431
Quæres 3. De quibus bonis erroganta sit elcemosyne? — Ex superfluis *generaliter*. 432
Quæres 4. An præcepto eleemosyna satisfaceret qui indigenti mutuum posthac reddendum daret? 434
Quæres 5. Quænam sint qualitates eleemosynæ? 434
Caput V. De vitiis charitati oppositis. 435
Quæstio I. De odio Dei et proximi . . . . . 436.
Quæres 1. Quid sit odium? — Est actus mentis aliquod objectum aversantis. 436
Quæres 2. Quotuplex sit odium? — Duplex : *abominationis* et *inimicitiæ*. 436
Quæres 3. Quale sit peccatum odium Dei? — Mortale. . . 436
Quæres 4. Quale sit peccatum odium proximi? 437
Quæstio II. De bello. 438
Quæres 1. Quid sit bellum? — Est publica armorum contra extraneos assumptio. Reipublicæ tuendæ aut vindicandæ gratia. 438
Quæres 2. An bellum sit licitum in Nova Lege? — Sic. . 439
Quæres 3. Quænam requirantur ad justitiam belli? . . . 439
(Duo : causa certe justa et recta intentio).
Quæres 4. An bellum utrinque justum esse possit? . . . 440
(Utique *formaliter*, non autem *materialiter*).
Quæres 5. An repræsaliæ sint licitæ? 442
Appendix. De duello. 442
Quæres 1. Quid sit duellum? — Est periculosum certamen duorum vel paucorum, ex condicto ad certum locum et tempus initum. 443

Quæres 2. An duellum sit licitum? — Non, *generaliter*. . 443
Quæstio III. De schismate. 444
Quæres 1. Quid sit schisma?—Est voluntaria separatio baptizati ab unitate Ecclesiæ 444
Quæres 2 Quotuplex sit schisma? 444
(Duplex : *purum* et *conjunctum hæresi*).
Quæstio IV. De scandalo. 446
Articulus 1. Quid sit scandalum, quotuplex, quale peccatum? 446
Quæres 1. Quid sit scandalum?—Est dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis. 446
Quæres 2. Quotuplex sit scandalum? 447
(Est 1° *passivum* quod est *pharisaicum* et *pusillorum* ; et 2° *activum* quod est *directum* vel *indirectum*).
Quæres 3. An scandalum sit peccatum et quale? 447
(Resp. Sunt peccata : 1° scandalum passivum ; 2° scandalum activum directum. Quoad scandalum datum indirecte, probabilius est peccatum mortale ex genere suo).
Articulus II. An et quænam opera teneamur omittere ad vitandum scandalum? 450
Conclusio 1. Ad vitandum scandalum passivum nihil unquam contrarium juri naturali facere licet, vel omittere aliquid quod necessarium sit necessitate medii ad salutem. . 450
Conclusio 2. Ad vitandum scandalum pharisaicum, nulla bona seu temporalia, seu spiritualia, sunt dimittenda. . . 451
Conclusio 3. Ad vitandum scandalum infirmorum, debet actio indifferens dimitti, imo opera spiritualia consilii debent vel omitti vel differri, donec tollatur occasio scandali . . 451
Quæres 1. An ad vitandum scandalum infirmorum, quis possit omittere actionem bonam præceptam? — Probabilius affirmant. 452
Quæres 2. An bona temporalia sint dimittenda ad scandalum vitandum infirmorum? — Sic, si bona sint propria ; secus, si non propria. 253
Quæres 3. An liceat suadere minus malum alicui ad majus determinato? — Sic, probabilius. 254
Quæres 4. An liceat occasionem peccandi proximo permittere ut reus corrigetur, aut eam præbere ut ejus fidelitas probetur?—Sic. 454
Quæstio V. De cooperatione. 455
Quæres 1. Quid sit cooperatio?—Hic, est participatio quædam ad actionem pravam alterius. 455
Quæres 2. Quotuplex sit cooperatio? 456
(Est *immediata* vel *mediata*, *proxima* vel *remota*, *positiva* vel

negativa, *formalis* vel *materialis*, *directa* vel *indirecta*, *physica* vel *moralis*).

Nota: Ut cognoscantur cætera quæ de cooperatione traduntur, sufficit hic dicere quod nunquam licita est cooperatio actionibus peccaminosis alterius, nisi quatuor adsint conditiones sequentes :

1° Ut cooperatio sit tantum materialis ; 2° ut actus sit de se bonus vel indifferens ; 3° ut malus effectus per bonum compensetur ; 4° ut causa sit *justa* simul et *proportionata*.

FINIS INDICIS ANALYTICI.

INDEX BREVIS.

TRACTATUS DE VARIORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS

SEU PRÆCEPTIS PARTICULARIBUS.

DISSERTATIO I. DE OBLIGATIONIBUS IN SOCIETATE RELIGIOSA. . . . 1
QUÆSTIO I. De obligationibus Clericorum. 2
CAPUT I. *De obligationibus generalibus Clericorum.* 3
Articulus 1. De his quæ specialiter Clericis præcipiuntur. . 3
Articulus 2. De his quæ specialiter Clericis prohibentur. . . 9
CAPUT II. *De obligationibus Beneficiatorum.* 13
QUÆSTIO I. De Horis Canonicis 13
Articulus 1. De quidditate, numero, fine et institutione Horarum. 13
Articulus 2. De obligatione Horarum Canonicarum. . . . 15
Articulus 3. De modo recitandi. 22
Articulus 4. De causis excusantibus ab Horis recitandis. . . 33
QUÆSTIO II. De Beneficiis. 35
Articulus 1. De natura et divisione Beneficiorum. 36
Articulus 2. De variis modis seu titulis Beneficium acquirendi. 38
§ 1. De collatione libera. 39
§ 2. De præsentatione et subsequa Institutione. 40
§ 3. De electione et subsequa Confirmatione. 42
§ 4. De postulatione et subsequa admissione. 43
§ 5. De resignatione. 43
§ 6. De permutatione. 45
Articulus 3. De Beneficiorum pluralitate. 52
Articulus 4. De Beneficiariorum residentia. 55
Articulus 5. De Simonia. 57
Sectio 1. De natura, malitia et divisione Simoniæ. 57
Sectio 2. De modis quibus Simonia committi potest. . . . 63
Sectio 3. De pœnis Simoniæ. 70
QUÆSTIO II. De obligationibus Religiosorum. 76

Caput I. *De natura et essentia status Religiosi.* 76
Caput II. *De Religionis ingressu et Noviciatu.* 78
Caput III. *De professione religiosa.* 81
Caput IV. *De professorum obligationibus.* 85
Quæstio I. De obedientia religiosa. 85
Quæstio II. De castitate religiosa. 88
Quæstio III. De paupertate religiosa. 88
Caput V. *De Religionis egressu.* 95
Caput VI. *De Prælaturis religiosis.* 99
Caput VII. *De variis quæstionibus Regularium.* 99
Dissertatio II. De obligationibus in societate civili. 103
Quæstio unica. De obligationibus Privatorum. 104
Caput I. *De obligationibus Parentum erga liberos, et vicissim.* . 104
Caput II. *De obligationibus Tutorum, Curatorum, Minorum,* etc. 107
Caput III. *De obligationibus Magistrorum et Discipulorum.* . . 108
Caput IV. *De obligationibus Dominorum et Famulorum erga se invicem.* 109
Dissertatio III. De obligationibus personarum judicialium et forensium. 110
Caput I. *De Judice.* 110
Caput II. *De Accusatore, Denuntiatore et Testibus.* 117
Caput III. *De Reo.* 123
Caput IV. *De Advocato, Referente, Procuratore, Notario et Apparitore.* 126
Dissertatio IV. De obligationibus regum et magistratuum, ducum et militum. 129
Dissertatio V. De obligationibus medicorum, pharmacopolarum et chirurgorum. 130
Appendix circa receptionem Concilii Tridentini. 132

TRACTATUS DE PECCATIS.

Dissertatio I. De peccatis in communi. 134
Caput I. *De essentia peccati.* 134
Caput II. *De causis peccati.* 143
Articulus 1. De causis peccati externis occasionalibus. . . 143
Articulus 2. De causis peccati internis occasionalibus. . . . 146
Caput III. *De mutua peccatorum ab invicem distinctione.* . . 152
Quæstio I. Undenam peccatorum specifica distinctio desumenda sit. 152
Quæstio II. Undenam repetenda sit distinctio peccatorum numerica. 156
Caput IV. *De peccatorum connexione et inæqualitate.* 164

Caput V. *De effectibus peccatorum.* 170
Caput VI. *De peccati divisione.* 175
Dissertatio II. De peccatis in particulari. 177
Caput I. *De peccato commissionis et omissionis.* 178
Caput II. *De peccatis ignorantiæ, infirmitatis et malitiæ.* . . 188
Quæstio I. Utrum peccatum ex habitu sit peccatum malitiæ. 188
Quæstio II. Utrum dentur peccata ignorantiæ et inadvertentiæ. 191
Caput III. *De peccatis oris, cordis et operis.* 211
Quæstio I. De mendacio. 211
Quæstio II. De delectatione morosa. 221
Articulus 1. De delectatione morosa per ordinem ad consensum. 222
Articulus 2. De delectatione morosa per ordinem ad objectum. 225
Caput IV. *De peccato mortali et veniali.* 233
Quæstio I. De existentia et malitia peccati mortalis. . . . 233
Quæstio II. De requisitis ad peccatum formale. 236
Quæstio III. De pœnis peccati mortalis. 240
Quæstio IV. De existentia peccati venialis. 244
Quæstio V. De habitudine peccati mortalis ad veniale. . . 249
Quæstio VI. De habitudine peccati venialis ad mortale. . . 252
Quæstio VII. De pœnis peccati venialis. 258
Caput V. *De peccatis capitalibus.* 260
Quæstio I. De superbia. 260
Quæstio II. De ira. 265
Quæstio III. De avaritia. 268
Quæstio IV. De invidia. 270
Quæstio V. De acedia seu desidia. 271
Quæstio VI. De gula. 273
Quæstio VII. De luxuria. 282
Articulus 1. De luxuria in genere. 282
Articulus 2. De variis luxuriæ speciebus. 288
§ 1. De fornicatione simplici. 288
§ 2. De adulterio. 291
§ 3. De stupro. 293
§ 4. De raptu. 295
§ 5. De incestu. 296
§ 6. De sacrilegio venereo. 299
§ 7. De peccato contra naturam. 299
Articulus 3. De impudicitia. 307

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Præambulum. De virtutibus in communi. 313
Caput I. *De essentia et divisione virtutis.* 314
Caput II. *De proprietatibus virtutis.* 316
Articulus 1. De supernaturalitate virtutis. 316
Articulus 2. De medietate virtutis. 318
Articulus 3. De connexione virtutum. 320
Dissertatio I. De fide theologica. 323
Caput I. *De essentia et divisione fidei.* 323
Caput II. *De objecto fidei.* 325
Caput III. *De necessitate fidei.* 326
Articulus 1. De necessitate interioris actus fidei. 327
§ 1. An actus fidei internus sit necessarius necessitate medii simpliciter, et quibus? 328
§ 2. An fides actualis interna sit necessaria necessitate præcepti? 334
Articulus 2. De actus externi, seu confessionis fidei necesssitate. 339
Caput IV. *De vitiis fidei oppositis.* 346
Articulus 1. De infidelitate 346
Articulus 2. De blasphemia 363
Dissertatio II. De spe theologica. 367
Caput I. *De essentia et divisione spei.* 367
Caput II *De objecto spei.* 369
Articulus 1. De objecto materiali spei. 369
Articulus 2. De objecto formali spei, seu de immediato motivo propter quod speramus. 372
Caput III. *De distinctione spei a fide et charitate.* 374
Caput IV. *De subjecto spei.* 380
Caput V. *De proprietatibus spei* 385
Articulus 1. De certitudine spei. 385
Articulus 2. De necessitate spei. 386
Caput VI. *De vitiis oppositis spei.* 388
Dissertatio III. De charitate. 391
Caput I. *De essentia et divisione charitatis.* 392
Caput II. *De objecto materiali et formali charitatis* 396
Caput III. *De proprietatibus charitatis.* 399
Quæstio I. De necessitate charitatis. 399
Articulus 1. De præcepto charitatis erga Deum. 400
Articulus 2. De præcepto charitatis erga proximum. . . 409
Quæstio II. De ordine charitatis. 416

Caput IV. *De officiis charitatis, seu operibus misericordiæ.* . . 423
Quæstio I De correptione fraterna. 424
Quæstio II. De corporali eleemosyna. 430
Caput V. *De vitiis charitati oppositis.* 435
Quæstio I. De odio Dei et proximi. 436
Quæstio II. De bello. 438
Appendix. De duello. 442
Quæstio III. De schismate. 444
Quæstio IV. De scandalo. 445
Articulus 1. Quid sit scandalum, quotuplex et quale peccatum? 446
Articulus 2. An et quænam opera teneamur omittere ad vitandum scandalum? 450
Quæstio V. De cooperatione. 455
Index analyticus. 467
Index brevis. 496

FINIS INDICIS BREVIS.

PARIS. — IMPRIMERIE PIERRE LAROUSSE, RUE NOTRE-DAME-DES-CHAMPS, 19.

208.9
8905
C 382 CHARMES, THOMA EX
AUTHOR
Theologia Universa V
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	STORAGE - CBPL	

8905